STEPHANI GOURLINI

PRESB. ET THEOLOGI PARISIENSIS

DE IANSENIO

E T

I A N S E N I S M O

DISSERTATIO HISTORICA

Quae supplementi loco esse potest tum Operi, quod inscribitur *Augustinus*, tum *Tractat. Theologico de Gratia Christi Salvatoris, & de Praedestinatione Sanctorum.*

L O V A N I I.

A N N O M D C C X C.

DE

IANSENIO
ET
IANSENISMO.

A Deo famosa evasit Iansenismi accusatio, totque ac tanta certamina occasione Bullarum contra Iansenium & olim viguerunt & etiamnum inter catholicos acerrime vigent, ut rem pergratam omnibus Theologiae candidatis me facturum existimem, si controversiae huius originem, progressum, variasque phases describere aggrediar. Amplissimum sane argumentum ac salebrosum; in quo ita versari enitar, ut nemo rerum gestarum veritatem aut diminutam, aut dissimulatam, aut laesam conqueri merito queat. Quae utrimque obiecta vel responsa sunt, ea summa cum fide suis e fontibus hausta proferam in medium; brevitati tamen, quantum in infinita rerum copia fieri potest, consulendo.

CAPUT PRIMUM.

In quo Iansenismi historia narratur atque historicae difficultates enodantur.

HUius capitis duae partes erunt. In prima gestorum seriem exponam, dubiisque levioribus, si quae occurrant, satisfaciam. In altera difficultates graviores, ad historiam pertinentes, quae in narrationis decursu sufficienter enodari non potuerint, singillatim expendam.

SECTIO PRIMA

Synopsis historica Iansenismi.

UT facilius memoria teneantur, quae in caussa Iansenii acta sunt, varias in aetates ea distribuere iuvat.

1.ª Aetas complectitur motus contra Iansenium excitatos, antequam deferrentur quinque famosae propositiones. 2.ª A propositionum delatione usque ad motam facti quaestionem excurret. 3.ª Erit ab exordio istius quaestionis usque ad Formulare, exactionemque subscriptionum. Ad 4.am pertinent dissidia occasione diversorum Formularium exorta. 5.ª Multo laetior est pace per Clementem IX. Ecclesiae reddita. 6.ª Novis tumultibus agitabitur occasione cuiusdam casus conscientiae. 7.ª Demum comprehendet, quae post hunc casum ad praesens usque tempus subsecuta sunt.

Prima aetas, seu primi motus in Iansenium excitati ante confictas atque delatas quinque Propositiones.

Quis Iansenius? Opus eius de gratia.

Cornelius Iansenius anno 1585. Leerdami, Bataviae oppidulo, Catholicis parentibus natus, Ultraiecti litteris humanioribus, tum Lovanii Philosophiae & Theologiae operam dedit. Mutato valetudinis caussa natali solo, Parisios venit; ubi cum D. Du-Verger de Hauranne Abbate San-Cyrano familiarem amicitiam contraxit, eiusque favore ingenui adolescentis studia rexit. Inde Baïonam cum amico profectus, ibique Collegii Primarius institutus, lectioni SS. Patrum, imprimisque S. Augustini totum se tradidit. Anno 1617. Lovanium reversus, S. Pulcheriae Collegio praefectus est, quod suppeditata a Provisoribus pecunia restauravit. Cum autem animadverteret, cura & regimine iuventutis, multum temporis studiis suis deperire, secessit, sibi & scientiae Ecclesiasticae vacaturus.

Laurea Doctorali in Theologica Lovaniensi Facultate insignitus est anno 1619. Subinde ob singularem ingenii atque eruditionis famam ab Academia bis in Hispaniam delegatus, commissa sibi negotia strenue perfecit; obtinuitque revocationem licentiae, quam Iesuitae extorserant, humaniores litteras & Philosophiam publice Lovanii docendi.

Anno 1630. Regius Sacrarum Litterarum Professor institutus est: quas partes quemadmodum impleverit, declarant eruditissima illius Commentaria in Pentateuchum, libros Sapientiales, & Evangelia.

Eodem anno, occasione bellorum, quae tunc Regem Christianissimum inter & Catholicum fervebant, libellum sub nomine Alexandri Patricii Armacani edidit, inscriptum *Mars Gallicus*, in quo Regis Catholici, cuius subditus erat, partes acriori stilo defendit.

In Iprensem Episcopum anno 1635. electus & consecratus, novam dignitatem non diu tenuit, 6. Maii 1638. lue consumptus.

Mores Iansenii tales fuerunt, quos nec adversariorum livor rodere potuerit. Summa in obeundis muneribus sibi commissis diligentia, pietasque in Deum non vulgaris.

Acri ingenio memoriaeque capacissimae accesserant assidua cultura, studium vix umquam intermissum, lectio diligens & attenta, sincerusque amor veri; omnia S. Augustini volumina decies & amplius, opera vero adversus Pelagianos trigesies legerat; atque in eius amorem adeo accendebatur, ut identidem diceret caeteros Patres utiles esse, Augustinum necessarium, unumque pro omni materia Theologica sufficere. Hoc dictum reprehenderunt Iansenii adversarii; sed quam immerito, aequi rerum aestimatores iudicabunt. Tanta in eo caritas veritatis fervebat, ut saepe inter solitarias in horto suo meditationes visus auditusque sit, oculis in caelum sublatis, erumpere in hanc vocem: *o veritas!*

Hoc amore veritatis impulsus, per viginti annos elaboravit grande volumen de gratia Christi ad refellendas Lessii ac Molinae novitates, quae in Scholis Theologicis magis magisque serpebant, suoque operi titulum hunc praefixit, *Augustinus*, seu doctrina S. Augustini &c., quia S. Augustini doctrinam ipsius met Ecclesiae doctrinam esse, Conciliis, Romanis Pontificibus, Sanctisque Patribus unanimi consensu id affirmantibus, pro certo tenebat. Morte praeventus hunc librum in lucem emittere non potuit, sed Liberti Fromondi & Henrici Caleni amicorum suorum curis ac diligentiae commendavit; addens in suo testamento: „ sentio aliquid difficulter „ mutari posse: si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, sum „ obediens filius; & illius Ecclesiae, in qua semper vixi usque ad „ hunc lectum mortis, obediens sum. Ita mea postrema voluntas „ est “. Hanc viri catholici submissionem in eius defensoribus de-

ſiderari perinique clamitant Anti-Ianſeniani : nam quicumque librum Ianſenii innoxium iudicant, vel dubitant, an revera noxius ſit, errores a SS. Pontificibus damnatos toto corde reſpuunt, quam ſolam ſubmiſſionem vovere potuit Ianſenius: quo ad attributionem vero eorumdem errorum factam libro Ianſenii, ſincere pollicentur eam ſilentii ſubmiſſionem, quae ſola paſtoribus Eccleſiae in quaeſtionibus facti, ex conſenſu Theologorum, debetur.

Contra librum Ianſenii praeter quinque propoſitiones, de quibus dicetur poſtea, tria praeſertim obiiciunt illius adverſarii. 1. Inquiunt, Scholaſticos Doctores adeo contemnit, ut dicat germanam S. Auguſtini doctrinam per annos quingentos a Scholis exulaſſe. 2. In epiſtolis familiaribus ad amicum San-Cyranum, maxime in 16., 21., 53., 63., 131. confitetur ſe ſubodorari opus ſuum iudicibus Romanis non probatum iri; & in aliis ad eumdem, ſuſpicatur doctrinam, quam ex S. Auguſtino referabat, omnibus ſtupori futuram. 3. Fatetur ſe poſt diligentem lectionem ardenteſque fuſas ad Deum preces, non multum tamen in S. Auguſtini doctrina profeciſſe: igitur, inquiunt, doctrina S. Auguſtini, ipſo Ianſenio iudice, obſcura eſt.

Lib. Prooemialis Cap. 28.

Ibidem.

Verum levia haec ſunt. Nam quod primam criminationem attinet, non ipſam Scholaſticam, ſed Scholaſticos duntaxat, qui illa abuſi ſunt, reprehendit Ipreſis Epiſcopus, nec de integra S. Auguſtini doctrina aut praecipuis illius capitibus loquitur, quaſi magiſtris omnibus per 500. annos ignota fuerint, ſiquidem plurimos paſſim laudat illius doctrinae vindices, quam ipſe ex Auguſtino aſſeruit; ſed de mira omnium Auguſtinianae doctrinae partium conſenſione & quaſi concatenatione, quam certum eſt, pleriſque Scholaſticis, lectioni SS. Patrum parum aſſuetis, exploratam vulgo non fuiſſe. Quamvis enim Schola Thomiſtarum ſemper acerrime gratiam ab intrinſeco efficacem, gratuitamque praedeſtinationem defenderit, pauciſſimi tamen ex illa ſchola perſpectam habuiſſe videntur connexionem harumce veritatum cum originali peccato, cum naturae totius depravatione & regulis morum, quam connexionem mirum in modum expoſuit Ianſenius. Praeterea iam obſervavimus multos ex Scholaſticis, virorum doctiſſimorum, valdeque catholicorum iudicio, errores Pelagii non ſatis vitaſſe, hancque ob cauſſam Clementem VIII. in Congregationibus *de auxiliis* praecepiſſe, ut illis omiſſis, ex S. Auguſtini certiſſima & inconcuſſa doctrina Molinae liber expenderetur.

Quantum ad alterum caput, dato, non concesso, genuinas esse illas epistolas, quae Abbate San-Cyrano Regis iussu comprehenso in potestatem Iesuitarum venerunt, quis Iansenio succenseat, quod comperta Iesuitarum potentia timuerit, ne illorum artibus Curia Romana praeoccuparetur, librique sui publicationem impediret? Hic metus non est malae vel suspectae caussae indicium, sed sapientis animi atque omnia suscepti laboris incommoda praevidentis. Si vero ominatus est Iansenius doctrinam libro suo contentam multis stupori futuram, non propter doctrinae novitatem id veritus est, quippe cum Augustiniana & Apostolica dogmata tueri se crederet, sed partim ob mysteriorum gratiae profunditatem, partim ob praeconceptas a multis opiniones.

Demum risu dignos se praebent Iansenii accusatores, cum ex modestia Doctoris catholici profitentis se parum profecisse in doctrina S. Augustini, concludunt doctrinam S. Augustini obscuram esse adeoque mediocris auctoritatis. Iprensis volumen salutasse satis est ad cognoscendum quam confidenter Augustini sententias proponat, quamque manifestis testimoniis demonstret quid tantus Doctor senserit. Nimirum duplici e fonte nascitur cuiusvis doctrinae difficultas, vel quia obscure proposita, vel quia profunda est ac sublimis. Illam a S. Augustini doctrina procul ablegavit Iansenius, hanc agnovit lubens; hoc sensu dixit se parum profecisse in illa caelesti doctrina; sed addidit continuo: „ hoc saltem unum consecutus sum, „ ut non obscure mihi cernere videar quam procul huiusmodi recentiores in multis percipiendis ab Augustini mente deviaverint ".

Lib. Prooemiali Cap 28. pag. 26. Col. 2.

Mortuo Iansenio, Fromondus & Calenus, quibus id moriens commendaverat, curarunt, ut eius liber typis ederetur. At Iesuitae & alii, quibus Augustini doctrina displicebat, nihil omiserunt, ut per Internuncium Bruxellis residentem impediretur eius editio & publicatio, eo solo praetextu, quod SS. Pontifices vetuissent quidquam circa gratiam imprimi nisi obtenta licentia & approbatione Apostolicae Sedis. Lovanienses contendebant non ligari se illo decreto, quod nunquam sibi significatum fuerat; sed solos Iesuitas, ad quos fuerat missum, & qui nihilominus novos quotidie de hoc argumento libros cudebant. Durante hoc dissidio, Lovaniensis editio absoluta est anno 1640. & anno sequenti Parisiensis & Rothomagensis prodiere, cum approbationibus duorum Censorum Lovaniensium & sex Doctorum Parisiensium, quibus postea accesserunt suffragia & laudes

Iansenii opus ab Urbano VIII. supprimitur.

V. *Dupin* 17. *Siecle* Tom. 2. pag. 12.

Archiepiſcopi Philippenſis, Theologorum Lovanienſium, Colonienſium, Duacenſium, Abbatum plurimorum, Decanorum nonnullarum Eccleſiarum Cathedralium, Parochorum, Lectorum Theologiae Ordinum, Benedictini, Praemonſtratenſis, Minorum, Capucinorum, Auguſtinenſium, Dominicanorum, Carmelitarum, Minimorum, unius Carthuſiani, & unius Superioris Oratorii Ieſu nomine ſui Sodalitii.

Journal de S. Amour 6. Partie Cap. 20. pag. 447.

Ianſenium Galliae miniſtris inviſum fecerat publicatus ab eo, *Mars Gallicus:* ideoque Cardinalis Medicis coram Summo Pontifice & aliquot Cardinalibus dicebat 8. Maii 1653. illum a Gallis perſecutionem pati ob politicas rationes; Romanis quoque odioſus factus eſt, eo quod obiecta ſibi Bulla adverſus propoſitiones Baii, ſic reſpondet lib. 3. de ſtatu naturae purae cap. 22. pag. 385. Col. 2. „ Haereo, fateor. Sed quid ad doctrinam Auguſtini clariſſimam „ conſtantiſſimamque, quam toties probavit & ſequitur ſequendamque „ monuit Apoſtolica Sedes &c. “? Haec haeſitatio quamvis innoxia, Romanae Curiae miniſtris viſa eſt argumentum animi erga Sedis Apoſtolicae decreta parum obſequentis; & tanquam grande piaculum Ianſenii defenſoribus ſaepe obiecta eſt a Cardinalibus Albizzio & aliis.

Journal de S. Amour 2. Part. Art. 10. pag. 68

At nullos acrius in ſe commovit quam Ieſuitas, quorum novitates toto in opere refellit. Momordit eos inprimis, teſte Albizzio, *Parallelum* quod in operis calce inſtituit Ianſenius inter Maſſilienſium errores & Molinae, Leſſiique dogmata; hinc exulcerati non quieverunt, donec libri damnationem obtinuerunt.

Ibid. 3. Part. Art. 7. pag. 116.

Statim atque liber prodiit, inſtantiſſime egerunt, tum Bruxellis apud Internuncium, tum Romae, ut ſuppr imeretur velut inconſulta Sede Apoſtolica & contra eius decreta editus. Theologi Lovanienſes in oppoſitum tendebant. Utrimque Scripta, Theſes utrimque, maxime ex parte Ieſuitarum. Tandem 1. Auguſti 1641. Romana Inquiſitio, inſtantibus Cardinalibus Barberino & Cueva, librum Ianſenii, ſimulque Theſes Ieſuitarum, & alia Scripta prohibuit, eo ſolo quod abſque licentia prodiiſſent. Sed hoc decretum Placito Regio deſtitutum a Lovanienſibus receptum non eſt neque executioni mandatum.

Dupin 17. Siec. Tom. 2. pag. 11. & ſeqq.

Tres Facultatis Theologicae Lovanienſis Doctores, Ieſuitis coniunctiſſimi, relationem miſerunt ad Urbanum VIII. de his, quae Lovanii agebantur, ſimulque indicem errorum, quos in Ianſenii libro

Urbani VIII. Bulla contra librum Ianſenii.

extare affirmabant. Horum ingenium & ſenſus indicant litterae ab eiſdem miſſae ad Card. Barberinum ſub finem anni 1642., in quibus aiebant, S. Auguſtini auctoritatem non eſſe tantam, ut eius doctrinam ſequi neceſſe ſit; nonnullas propoſitiones ipſius verbis expreſſis a Pio V. & Gregorio XIII. damnatas eſſe: eiuſdem auctoritatem fuiſſe lapidem offenſionis petramque totius ſcandali, nec non omnium errorum Ianſenii fontem. Ex altera parte Facultas Lovanienſis epiſtolam miſit ad S. Pontificem a duodecim Doctoribus ſubſcriptam ad purgandam ſuam agendi rationem diluendaſque malevolorum criminationes.

Histoire du Jansenisme T. 1. pag. 53. & 61.

Cardinalis Barberinus trium Doctorum relationem S. Pontifici avunculo ſuo legit, reque ad S. Officium delata, loca quaedam ex Ianſenio recitavit, ut virus illius patefaceret: ſed ei fortiter reſtitit Sacri Palatii Magiſter, poſtea Cardinalis a S. Clemente, oſtenditque errores Ianſenio attributos apud ipſum non extare. Urbanus VIII. ratus diſcordiarum ſemina ſopitum iri, ſi deceſſorum ſuorum Pii V. & Gregorii XIII. Bullae renovarentur, id muneris iniunxit Albizzio S. Officii Aſſeſſori, vetans ne quemquam in Bulla nominatim deſignaret. Verum his mandatis poſthabitis, Albizzius Ianſenium pluries nominavit eiuſque librum prohibuit, non ſolum quia ſine licentia prodierat, verum etiam eo quod multas e damnatis a Pio V. propoſitionibus renovaret. Hanc damnationis cauſſam alteram ſic concepit Albizzius: „ Cum autem ex matura & diligenti „ eiuſdem libri, cui titulus *Auguſtinus*, lectione poſtmodum compertum fuerit in eodem libro multas ex propoſitionibus a prae„ deceſſoribus noſtris olim, ut praefertur, damnatas contineri, & „ magno cum Catholicorum ſcandalo, & auctoritatis dictae Sedis „ contemptu, contra praefatas damnationes & prohibitiones defen„ di; nos huic malo in ſcandalum totius Reipublicae Chriſtianae, „ & fidei Catholicae perniciem vertenti, opportunum remedium „ adhibere volentes .... motu proprio & ex certa ſcientia noſtra, „ ac de Apoſtolicae poteſtatis plenitudine, hac perpetuo valitura „ Conſtitutione eiuſdem Pii & Gregorii praedeceſſorum huiuſmodi „ conſtitutiones praedictas, omniaque & ſingula in eis contenta, „ Apoſtolica auctoritate tenore praeſentium perpetuo confirmamus „ & approbamus, librumque praedictum, cui titulus eſt *Auguſtinus*, „ opiniones & ſententias in dictis conſtitutionibus reprobatas atque „ damnatas, ut nobis compertum eſt, continentem & renovan-

Journal de S. Amour 4. Partie pag. 196. Art. 5.

„ tem, aliaque omnia opera praesentibus nostris litteris subinserta“ (Theses nimirum a Patribus Societatis Iesu Antuerpiae assertas) „ eadem auctoritate per praesentes omnino prohibemus, ac pro vetitis & prohibitis haberi volumus & mandamus. Iubentes insuper sub omnibus poenis &c.“. Haec Bulla instructa nomine Urbani VIII. 6. Martii 1642. nonnisi 19. Iunii 1643. Romae affixa est.

Vani in Belg. prolaaf. nio conatus.

Ab huius Constitutionis acceptatione supersederunt Lovanienses, tum quia munita non erat placito Regio, tum quia manifestas suppositionis notas prae se ferre, & sub Iansenii nomine ipsius met Augustini doctrinam damnare videbatur. Itaque Doctores duo, Ioannes Synnich & Cornelius de Paepe Canonista, Romam deputati sunt

25 Nov. 1643

ab Academia & a Brabantiae Statibus. Admissi ad audientiam S. Pontificis, exposuerunt Bullam subreptitiam videri, timendumque

Histoire du Jansenisme T. 1. pag. 83. & seqq.

esse ne Iansenium damnando S. Augustinus damnatus crederetur. S. Pontifex inter alia respondit vetuisse se ne quisquam in Bulla nominaretur; opponentesque Iansenium nihilominus pluries nominatum esse, ad Albizzium Bullae compilatorem remisit. Albizzius ab his conventus, factum negare non ausus est, obiecitque memo-

Initio anni 1644.

ratam Iansenii phrasim, *haereo*, *fateor*. Institerunt Deputati apud S. Pontificem ut querelae postulationesque suae audirentur; oblato etiam memoriali, in quo aperte referebant, quod sibi dictum fuerat a S. Pontifice, nimirum vetuisse se ne cuiusquam nomen in Bulla exprimeretur. Res ad S. Officium delata est; Lovanienses tradiderunt duo memorialia Cardinalibus ad hoc nominatis, unaque parvum tractatum, quo probandum susceperant nullum errorem a Pio V. damnatum assertum fuisse a Iansenio, & Iansenii doctrinam non differre ab Augustiniana.

Prima Congregatio habita est 19. Martii 1644. Secunda 28. Aprilis. Promiserunt Deputati se omnibus criminationibus contra Iansenium factis dilucide responsuros, novisque Scriptis ostenderunt eum non peccasse adversus Bullam Pii V. Tertia congregatio habita est 22. Iulii ad ludendos Deputatos usque ad obitum Urbani

Recueil des Bulles pag. 49.

VIII. quae contigit 29. eiusdem mensis. Nam tunc eis traditum est decretum latum 16. Iunii, quo authenticum exemplar Bullae ipsis dari iubebatur, praecipiebaturque „ ut eidem exemplari sic con„ signato fides adhibeatur, & ab omnibus Christi fidelibus Bullae „ huiusmodi omnino pareatur sub poenis & censuris in ea conten„ tis: demum super dubitationibus, difficultatibus ac querelis occa-

„ sione

„ sione Bullae quoquo modo excitatis vel excitandis perpetuum „ silentium imponi ". Hoc decretum ad Internuncium Bruxellis residentem missum est 5. Decembris „ ut si forsan, ait Inquisitio, „ Doctorem Synnich ad fovendas contentiones alendamque refractariorum & huic constitutioni inobedientium contumaciam aliter aut „ ad Universitatem Lovaniensem, aut ad alios scribere contingat, „ ac spem faciat fore, ut Bulla revocetur aut mitigetur, Dominatio vestra unumquemque de veritate rei edocere, deque ea Universitates Belgii illiusque Praelatos securos reddere possit, nunquam ne per minimam quidem cogitationem sanctissimo Domino „ venturum in mentem, ut Bullam hanc quacumque demum sui „ parte immutet, verum fore ut invigilet, ut ei obtemperetur atque „ ea servetur ". Iam antea Urbanus VIII. ad Archiepiscopum Mechliniensem scripserat adversus eos qui suum Diploma falsitatis & suppositionis arguebant. Sic Romae nescit vox semel emissa reverti. 24. Oct. 1643.

Cardinalis Pamphilius 15. Septembris 1644. electus est in S. Pontificem, seque Innocentium X. cognominavit. Cum memorato Decreto minime satisfieret difficultatibus Deputatorum, novum memoriale novo Pontifici obtulit 5. Novembris Synnichius: sed frustra instantem revocavit Universitas Lovaniensis. Innocentius X. eum ob singularem eruditionem Romae detinere voluit, sed ille assentiri noluit, nisi ea, quae in memoriali postulaverat, sibi annuerentur. Sic votorum impos Lovanium rediit, munitus indulgentiis sibi suisque munifice impertitis.

Dum haec Romae agebantur, Praefectus Belgii, postulante per libellum supplicem Ioanne Iansenio, Iprensis Episcopi fratris filio, inquiri iussit, an reipsa, sicut a quibusdam dicebatur, Iprensis liber caussa scandali extitisset. Omnes Episcopi, Namurcensi excepto, Doctoresque Lovanienses, demptis tribus Iansenii accusatoribus, inquisitione facta, unanimi consensu retulerunt, praedictum librum non fuisse caussam scandali, sed meram occasionem, nec omnibus natum esse illud scandalum, sed eis duntaxat quibus vera Christi gratia scandalo erat. His ad se perlatis, Rex Catholicus Innocentium X. litteris obtestatus est, ut librum Iansenii examinari iuberet, pateretur que ut, donec omnia mature expensa essent, acceptio Bullae suspenderetur. Nihilominus multis Brevibus ad Episcopos, ad Universitatem atque ad Praefectum Belgii datis instabat Innocentius, ut decessoris sui Constitutio reciperetur. Rex quoque Catholicus, 30. Ianuarii 1646.

Internuncio urgente, mandata misit ad Praefectum Belgii, praecipiens ne quisquam obstaret quominus Bulla promulgaretur.

Iam aliqui Doctores ad *requisitionem Pronuncii Apostolici* scripto declaraverant mense Decembri 1643. ante reditum Deputatorum, se Bullam Urbani VIII. qua confirmantur Constitutiones Pii Papae V. & Gregorii XIII. ac prohibetur *Augustinus* Cornelii Iansenii olim Iprensis Episcopi, in quo multae ex propositionibus a Sede Apostolica ante damnatis continentur & contra easdem damnationes defenduntur, iam Romae legitime affixam & publicatam reverenter suscipere, ideoque in omnibus & per omnia parituros. Universitas Lovaniensis, ab Internuncio vehementissime pressa, differendum tamen censuit, donec Summus Pontifex difficultatibus a se propositis satis fecisset, declarassetque nihil imminutum esse a Sede Apostolica de S. Augustini in materia gratiae auctoritate. Postulationis suae momenta Regi Catholico exposuerunt litteris ad eum datis 14. Aprilis.

15. Novembris. Verum Rex in incoepto perstitit, novisque mandatis praecepit Praefecto Belgii, ut Bulla reciperetur; & ineunte anno 1647. praefecit Belgio Archiducem Leopoldum Iesuitis devotum, cui inprimis curae fuit, ut iussis Pontificiis obtemperaretur, obsistentibus licet reique gravitatem exponentibus Archiepiscopo Mechliniensi, Episcopo Gandavensi, quinque Abbatibus Praemonstratensibus, nec non Universitate Lovaniensi. Quamobrem una cum Internuncio & Iesuitis Formulare condidit anno 1648.; quo quicumque ad munia, dignitates, & beneficia aspirabant, iurare compellerentur se Bullam Urbani VIII. debita cum submissione recipere. Hoc est primum Formulare ad extorquendam Iansenii damnationem instructum. Claudius d'Acheü Archiepiscopus Bisuntinus hoc in Synodo Dioecesana promulgavit 27. Maii 1648. At praeter ipsum nemo; Episcopi tamen Antuerpiensis & Namurcensis Brevibus Pontificiis excitati Bullam receperant & publicaverant solemnibus mandatis, ille quidem 10. Maii 1646., hic vero 21. Aprilis eiusdem anni. Nonnullis existimantibus ac dicentibus Facultatem Duacenam favere libro & doctrinae Iansenii, tres Doctores huius Facultatis scripserunt Archiduci Leopoldo se Bullam Urbani VIII. amplexos, ipsamque in Scholis publicis 27. Iulii 1648. solemni ritu promulgasse, ideoque a S. Pontifice Brevi peculiari & Apostolica benedictione cohonestatos. Insuper censuisse „ se communibus suffragiis humillime

Recueil hist. des Bulles pag. 31. Et hist. Baian. App. pag. 56.

„ suam Celsitudinem rogandam, ut pergat doctrinam illam Iansenia-
„ nam serio extirpare, qua nequaquam docetur beati Augustini
„ mens “. Hanc a Facultate alias sibi coniunctissima datam declarationem moleste tulerunt Lovanienses, proposueruntque, ut pacificae collationes de Iansenii doctrina coram arbitris instituerentur, eo scilicet fine, ut si ab Augustino Hipponensi discrepare convinceretur, ab utrisque damnaretur; sin autem, ab utrisque communi studio defenderetur. Aequissimae postulationi Duacenses acquiescere recusarunt, asserentes ore sui Decani scire ac credere doctrinam Iansenii eamdem esse ac propositionum a Pio V. damnatarum: idque scire ac credere propter Iudicium Urbani VIII. qui circa fidem & mores errare non potest, cum docet universam Ecclesiam, atque in rei veritate iudicium S. Pontificis esse independens ab hominum informatione, & a sola Spiritus Sanctus assistentia infallibilitatem habere.

Cum cernerent Lovanienses nihil se apud Archiducem proficere, litteras ad Summum Pontificem miserunt, unaque libellum, cui titulus: *Planctus Augustinianae veritatis in Belgio patientis SS. D. N. Innocentio X.* In eo Iansenii librum vindicabant, examinari postulabant, pollicebantur demonstraturos se maximam Iansenianae doctrinae cum Augustiniana concordiam; querebantur quod auditae non essent postulationes suorum Deputatorum; exponebant, quibus calumniis & persecutionibus in Belgio veritas pateret; addebantque fidei professionem, in qua inter alia agnoscebant Summum Pontificem ad definienda fidei capita infallibilem esse (haec quippe erat Lovaniensium opinio ab ipso Iansenio tradita). *Histoire du Baianism. p. 43. & 431.*

His non obstantibus S. Pontifex in incoeptis perstitit. Itaque Iacobus Boonen Archiepiscopus Mechliniensis, Episcopus Gandavensis, Abbates Praemonstratenses, & Lovaniensis Universitas, communi consilio, Deputatos miserunt ad Regem Catholicum, suggerentes multum interesse, ut non promulgaretur Bulla quae S. Augustinum indirecte petebat, maximam esse S. Doctoris in materia gratiae auctoritatem, & manifestam Iansenii cum ipso consensionem; precabanturque, ut non ante promulgaretur Bulla, quam diligenti examine de sensu Iansenii constitisset. Antequam Deputati Matritum pervenissent, Archidux novis litteris a Rege acceptis ad urgendam receptionem Bullae, Concilium privatum ad eam publicandam compellere conatus est. Concilium censuit maturato opus non esse, ex-

pectandumque, donec Rex Deputatos audivisset. Eis auditis, Rex rescripsit Archiduci promulgandam esse Bullam, omnia tamen cum suis ministris, qui illic erant, communicari oportere, & post publicationem Bullae orandum S. Pontificem, ut librum Iansenii examinari, erroresque, si deprehenderentur, absque auctoris infamia corrigi curaret; quasi vero libri examen praeire non debuisset promulgationi Bullae qua damnabatur. Vetuit insuper, ne amplius exigeretur iuramentum ab Archiduce praescriptum. Eadem mandata renovavit novo Edicto die 28. Februarii 1651., iniuncta transgressoribus mulcta 300. florenorum pro prima vice, & pro secunda poena exilii in sexennium. Tunc demum in Belgio Bulla publicata est, apposita iussu Archiducis hac clausula, quae Romanis valde displicuit, *salvis iuribus ac libertatibus Belgii*. Atque hic finis controversiarum Belgii fuit. Antequam autem motus in Gallia excitatos referam, nonnulla praemittenda sunt circa Bullam Urbani VIII.

Bulla Urbani VIII. subreptitia.

1.um Haec Bulla quatenus Iansenium eiusque librum notat, prae se fert manifesta subreptionis indicia. Si enim S. Pontifex reipsa praecepit, ne quis nominaretur, & contra eius mentem mentio Iansenii inserta sit, certe subreptio manifestissima est. Porro id constat ipsiusmet Urbani VIII. declaratione supra relata.

Nec dicat quis, hac in re credendum non esse Deputatis. Quis enim sibi persuadeat viros honestos, publicoque munere fungentes se ipsos gratis deshonestasse putido mendacio? Non domi tantum id retulerunt, sed Romae omnibus audire volentibus palam declararunt; id ipsimet Albizzio fraudis architecto narraverunt; id in memoriali, quod S. Pontifici, Cardinalibus, Sanctoque Officio obtulere, testati sunt. Si falso illud iactassent, stolidum mendacium refutasset inprimis S. Pontifex, reclamasset Albizzius, Sanctum Officium iniuriam S. Pontifici suoque Assessori factam inultam non sivisset. Cur ergo in re tanti momenti omnium ora siluerunt, nisi quia constabat verum esse quod a Deputatis dicebatur? Synnichius Lovanium reversus facti veritatem iuramento confirmavit instrumento publico coram notario ac testibus confecto 22. Februarii 1647., & die 25. eiusdem mensis simile instrumentum confectum est. Testes vero citantur clarissimus D. Cornelius Papius, & venerabilis D. Petrus Vercanteren Canonicus & Cantor Ecclesiae Mechliniensis, qui S. Pontificis audientiae praesentes adfuerant.

Journal de S. Amour pag 270. Append.

Sed inquiunt; si tam insignis fraudis convictus fuisset Albiz-

zius, quis credat SS. Pontifices publica negotia ei commissuros fuisse? Mirum illud est, fateor: hancque praesertim ob caussam Doctores Augustiniani tantopere postularunt, ne Albizzius in caussa quinque propositionum partes Secretarii ageret, ut postea dicetur. Cur ergo a publicis negotiis & a Pontificum favore non est exclusus? Nescio; nisi forte quia vel potentes Patronos Romae nactus est Iesuitarum amicus, vel Iansenii nomen adeo invisum erat, ut eius damnationem contra S. Pontificis mentem Bullae inseruisse, pro levi culpa haberetur.

Aiunt: Alexander VIII. anno 1690. damnavit hanc propositionem: „ Bulla Urbani est subreptitia ". Respondeo Alexandrum VIII. potuisse falli circa factum dudum praeteritum: potuisse etiam, indecisa quaestione de subreptione Constitutionis, proscribere propositionem tanquam in Urbanum VIII. contumeliosam, vel tanquam Iansenii defensoribus faventem. Ut ut sit, certe quod factum erat infectum reddere non potuit.

Alterum, quod circa Urbani Bullam observandum habemus, est, nullum examen iuridicum libro Iansenii praelusisse. Hoc constat; 1. Quia nusquam apparet ullum vestigium huiusmodi examinis. Cardinalis quidem Barberinus aliquos errores veluti a Iansenio assertos recitavit; sed statim a Sacri Palatii Magistro confutatus est, nullumque aliud examinis iuridici vestigium ostendi potest. 2. Sanct-Amorius testatur Albizzium se praesente dixisse „ Bullam a *Journal de S. Amour pag. 204.*
„ se digestam fuisse ea spe fore ut excitati tumultus statim eo pa-
„ cto sedarentur, nullo facto praevio doctrinae examine, quod
„ certissime praemissum fuisset, si quod contigit, potuisset praevide-
„ ri ". Refert etiam Patrem Hilarionem sibi dixisse, Iansenii li- *Ibid. pag. 203.*
brum non propter doctrinam, quae discussa non fuerat, damnatum, sed quod absque licentia editus fuisset, prohibitum. 3. Lucas Waddingus qualificator S. Officii, & Pater Marius Dominicanus, Congregationis Indicis Secretarius, Lovaniensibus Deputatis testati sunt, nullum libri Iansenii examen Bullae Urbani VIII. praelusisse, ut refertur in historia Iansenismi. *I. Tom pag. 94. & 95.*

Opponunt etiam haec verba, quae in Constitutione leguntur:
„ cum ex matura & diligenti eiusdem libri lectione compertum fuerit
„ in eodem libro &c. " & postea: „ librum praedictum . . . sen-
„ tentias in dictis Constitutionibus reprobatas atque damnatas, ut
„ nobis compertum est, continentem prohibemus ".

Verum, ut omittam ex lacinia illa, quam Albizzii foetum esse probavimus, nihil posse concludi, dicit quidem Bulla, factam esse diligentem libri lectionem, sed a quibus facta fuerit, an a Iudicibus ad id commissis, ut requiritur ad examen iuridicum, an a privatis, qui librum detulerant, non dicit. Ait compertum esse sententias a Pio V. damnatas in libro Iansenii renovari, sed qua via id Sum. Pontifici compertum fuerit, minime declarat. Unde, nedum ex Bulla probetur examen legitimum habitum fuisse, contrarium potius astruitur. Notandum est insuper, etiam si examinatus fuisset Iansenii liber, huiusmodi examen nullo modo inservire posse ad probandum errores quinque propositionum extare in libro Iansenii. Cum enim Bulla Urbani VIII. hoc unum Iansenio exprobet, quod aliquos e damnatis a Pio V. articulis renovarit, ex quinque autem propositionibus tertia sola in illis articulis quo ad sensum contineatur, manifestum est aut quatuor reliquas propositiones in Iansenio non extare, aut si extant, & a iudicibus liber examinatus est, illorum diligentiam effugisse.

Non est definitoria.

Journal de S Amour 2. Part. Art. 10. & 11. 3. Part. Art. 7. pag. 119 & Art 8. pag. 126. Diarii Part. 2. Art. 10. & 11 Part. 3. Cap. 7 pag. 119. Cap. 8. pag. 126.

Notandum est demum, Bullam Urbani VIII. non esse decretoriam, nec damnare absolute librum Iansenii. Id evidens est tum ex contextu Bullae, in qua non dicitur: *librum ... damnamus, sed tantum probibemus, ac pro vetito baberi volumus*. Omnes enim norunt quantum discrimen sit inter libri prohibitionem & damnationem; tum quia admissi & auditi sunt Lovaniensium Deputati pro Iansenio, quod non concedunt Romani quando libri absolute damnati sunt; tum demum quia Cardinalis Barberinus, saepe declaravit Sanct-Amorio, doctrinam Iansenii intactam remansisse, ut testatur ipse Sanct-Amorius.

Bulla Urbani VIII. nunquam in Gallia recepta est.

Primus in Gallia vexillum adversus Iansenium erexit Isaac Habertus tunc Parisiensis Ecclesiae Theologus, postea Vabrensis Episcopus, in tribus concionibus habitis sub finem anni 1642. & initium 1643. asseruitque 40. haereses *in eius Augustino* reperiri. Ante aliquot annos idem Habertus approbaverat librum P. Gibieuf Oratorii Iesu Presbyteri *de libertate Dei & creaturae*, Ianseniano simillimum. Quibus momentis impulsus doctrinam, quam uno in libro sanam censuerat, in alio haereticam iudicarit, nostrum non est discutere, multo minus definire. Antonius Arnaldus, Doctor Sorbonicus, scandalosas Haberti declamationes refellit anno 1644. prima *Apologia pro Iansenio* edita. Hanc anno sequenti Habertus

confutare conatus eſt libro cui titulus: *Defenſio fidei Eccleſiae:* ſed decreſcente numero haereſeon, duodecim tantum Ianſenio errores attribuit. Arnaldus oppoſuit *ſecundam apologiam* pro Ianſenio, cui Habertus nihil deinceps repoſuit.

Exeunte anno 1643. Urbani VIII. Bulla miſſa eſt ad Cardinalem Grimaldi Apoſtolicum in Gallia Nuncium; verum obtinere non potuit, ut patentibus litteris muniretur, neque ut a ſupremis Regni Curiis inſcriberetur aut ab Epiſcopis publicaretur. Solus Archiepiſcopus Pariſienſis, Ioannes Franciſcus de Gondi ut Nuncio nonnihil concederetur, Bullam promulgavit 11. Decembris, quamvis Regni legibus caveatur, ne Conſtitutiones Pontificiae, niſi litteris Regiis munitae, publicentur.

Secunda Ianſeniſmi aetas, a delatione quinque Propoſitionum, uſque ad quaeſtionem natam circa factum Ianſenii.

Hactenus vaga & incerta fuerat contra Ianſenii librum dimicatio. Licet enim a multis haereſeos accuſaretur, in quo tamen eius haereſis ſita eſſet, nemo declarabat. D. Cornet ex Ieſuita Facultatis Pariſienſis Syndicus, multis licet obſiſtentibus creatus, primus omnium fabricavit, aut in lucem edidit quinque propoſitiones, quae poſtea Ianſenio attributae ſunt. Eas cum duobus aliis ad Facultatem detulit 1. Iulii 1649. dicens illas a Baccalaureis ſe invito defendi, requiſivitque, ut ea de re nominarentur Deputati. Multi e magiſtris obſtitere, alii quod inſuetum eſſet propoſitiones nullo ex certo libro excerptas examinare, alii quod gratiae ſe ipſa efficaci per illas ambiguas & aequivoce conceptas propoſitiones, inſidias ſtrui ſubodorarentur. Nonnulli ſuſpicati ſunt inſidias libro Ianſenii ſtrui, ſed reſpondit Syndicus, *non agi de Ianſenio*. Sic ea attributio, quae in Eccleſia tantas procellas excitavit, tunc a propriis auctoribus non occultabatur modo, ſed & negabatur. Caeterum valde mirum eſt, propoſitiones, quae, ut aiunt nonnulli, luce clarius traduntur a Ianſenio, per novem annos in eius libro ita latuiſſe, ut omnium oculos effugerint, donec a M. Cornet delatae ſunt tanquam a Ianſenii libro alienae. Obſiſtentium conatus vicit Syndicus; nominatiſque novem Deputatis, quales volebat, data ſunt ſingulis Doctoribus exemplaria propoſitionum, ut proximis in comitiis ſententiam ſuam aperirent. Volitarunt per id tempus multa ſcripta, quibus oſtendebatur quinque propoſitiones aequivocas eſſe & malitioſe confictas.

Journal de S. Amour 1. Part. Cap. 6.

V. Dupin 17. Siecle Tom. 2. pag. 157. & 158.

Ibid. Cap. 7. Plerique Deputati censuerunt propositiones nude & semota doctrina S. Augustini examinandas esse, caeteri hac agendi ratione offensi deliberationibus adesse noluerunt. At Sanct-Amorius Doctor Sorbonicus, qui requisitioni D. Cornet in comitiis intercesserat, ad supremum Senatum abusus nomine appellavit 31. Iulii, appellationemque suam die 2. Augusti Facultati congregatae significavit. Huic adhaeserunt Doctores septuaginta, libellumque supplicem supremo Senatus Praesidi obtulerunt; qui rem amice composuit, obtinuitque, ut hoc negotium quatuor mensibus sopiretur, & in Registros non referretur. Verum paulo post per multorum manus, tum Parisiis, tum in aliis regni partibus, cucurrit censurae prospectus sub Facultatis Parisiensis nomine, ab octo Deputatis subscriptus. 70. Doctores novo libello supplici a supremo Senatu postulaverunt, ut citarentur Deputati responsuri num censuram illam recognoscerent. Citati adsuerunt in Curia vacationum 5. Octobris MM. Cornet, Pereyret, & Hennequin. Adsuerunt ex altera parte MM. de Mincé, & de Saint-Amour. MM. Cornet & Pereyret censuram agnoverunt, sed suo iussu publicatam negarunt. E contrario M. Hennequin declaravit nihil a Deputatis definitum esse, sed notata tantum Scripturae & SS. Patrum loca, quae propositionibus contraria videbantur, ut de iis ad Facultatem referretur. Senatus eodem die arrestum dedit, quo vetabat, ne censura publicaretur aut de propositionibus disputaretur. Nihilominus suppositilia illa Censura Romam missa est, summoque Pontifici in Congregatione S. Officii oblata. E quatuor Consultoribus ad rem discutiendam nominatis, tres censuram approbaverunt. Unus varios propositionum sensus distinxit. Plerique Cardinalium censurae favebant, sed obstante Cardinale a S. Clemente ultra non progressum est.

Ibid. Cap. 12. 13. & 14.

Ibid. Part 2. Cap. 4. & 5.

Dum haec anno 1650. Romae agebantur, Conventus Cleri Gallicani Parisiis celebrabatur, in quo de illo negotio nihil prorsus dictum est. Sed Habertus ex Theologo Parisiensi Vabrensis Episcopus litteras scripsit ad Innocentium X., quibus 85. Episcopi, ostiatim ad id incitati, subscripsere. Litterarum haec verba sunt. „ Maiores caussas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiae mos „ est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro „ iure suo postulat. Aequissimae huic legi obsequentes, de gravissimo circa Religionem negotio Sanctitati tuae scribendum esse censuimus. Decennium est, ex quo vehementissimis turbis Gallia ma-

„ gno

„ gno noſtro moerore commovetur ob librum poſthumum & do-
„ ctrinam Reverend. Cornelii Ianſenii Iprenſis Epiſcopi. Tales qui-
„ dem motus ſedari oportebat tum Concilii Tridentini auctoritate,
„ tum Bullae illius qua Urbanus VIII. felicis memoriae adverſus
„ Ianſenii dogmata pronunciavit, & decreta Pii V. & Gregorii
„ XIII. in Baium edita confirmavit. Atque huius quidem Bullae
„ veritatem ac robur novo diplomate vindicaviſti; ſed quia nulli
„ ſingillatim propoſitioni certa cenſurae nota inuſta fuit, locus etiam-
„ num aliquis quorumdam cavillis & effugio relictus eſt. Interclu-
„ dendum autem penitus ſperamus, ſi, ut precamur, Sanctitas tua
„ quid in hac re ſentiendum ſit clare diſtincteque definiat; obteſta-
„ mur ergo, ut has praeſertim propoſitiones, de quibus diſceptatio
„ periculoſior ac contentio ardentior eſt, Sanctitas veſtra expendat,
„ & perſpicuam ac certam de unaquaque ſententiam ferat". Re-
ferunt deinde quinque propoſitiones quae tales ſunt.

1.ª „ Aliqua Dei praecepta hominibus iuſtis volentibus & co-
„ nantibus ſecundum praeſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia;
„ deeſt quoque illis gratia qua poſſibilia fiant".

2.ª „ Interiori gratiae in ſtatu naturae lapſae nunquam reſi-
„ ſtitur".

3.ª „ Ad merendum & demerendum in ſtatu naturae lapſae,
„ non requiritur libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coa-
„ ctione".

4.ª „ Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris
„ neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc
„ erant haeretici quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet
„ humana voluntas reſiſtere vel obtemperare".

5.ª „ Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omni-
„ no hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe".

Mirum eſt 85. Epiſcopos adduci potuiſſe ad ſubſcribendum Epi-
ſtolae, in qua contra ipſorum iura cauſſae maiores ad Sedem Roma-
nam in prima, ut aiunt, inſtantia deferri debere dicuntur, fideſque
Petri, id eſt SS. Pontificum eius Succeſſorum nunquam deficere
aſſeritur. Non minus mirum eſt laudari ab ipſis Bullas Pii V.
Gregorii XIII., & Urbani VIII., cum conſtet eas in Gallia non
eſſe receptas. Caeterum poſtulando claram definitionem perſpicuam-
que de unaquaque propoſitione ſententiam, quid aliud petunt, niſi
ut ambiguitates, ſi quae ſint removeantur, ſenſuſque catholici ab

haereticis difcernantur? Revera multi ex his Praefulibus hanc mentem fibi fuiffe diferte teftati funt: id tamen a S. Pontifice, ut videbimus, neglectum eft.

Duodecim Epifcopi poftulant, ut nihil nifi difcuffa materia de auxiliis definiatur.

Vide Epift. Epifcopi Valentini, in Diario Sancti-Amorii Part. 2. Art. 9.

In Diarii Append. pag. 5.

Nonnulli conventus Epifcopi cum comperiffent hanc epiftolam furtim & inconfulto conventu miffam, nuntium convenerunt fignificaruntque improbare fe Collegarum agendi rationem, Epifcopos a Chrifto conftitutos effe primos iudices controverfiarum in partibus fuis nafcentium; praefens negotium effe maximi momenti, fumma cum diligentia & cautione tractandum. Senonenfis quoque Archipraeful una cum alio Praefule eamdem ob cauffam Nuncium convenit. Sed veriti ne fuae querelae Nuncio commiffae ad S. Pontificem tardius pervenirent, communem epiftolam miferunt ad Innocentium expofueruntque propofitiones a Collegis fuis delatas. „ Parifienfem „ Scholam ingenti contentione, fructu nullo, commoviffe; nec vero „ fecus evenire potuit, inquiunt, cum & ad libitum fictae, & ex „ ambiguis vocibus concinnatae, aliud per fe nihil quam animorum „ iurgia & pugnantium, ut fit, in aequivocis interpretationum diffi- „ dia natae fint procreare". Improbant Collegarum fuorum factum, tum quod tutum non fit tantam litem, nifi coram auditis partibus, ut in Congregationibus de auxiliis, definire, tum quod ad Gallicanos Epifcopos pertineat quaeftionem apud fe natam primos iudicare. „ Et revera", inquiunt, „ B. P. fi propofitiones iftas ad „ examen & iudicium vocari expediret, iudiciorum ordo legitimus „ totius Ecclefiae, tum maxime Gallicanae noftrae confuetudo po- „ ftulat, ut primum a nobis maiores & difficiles, quae apud nos „ natae funt quaeftiones, difpiciantur. Aequum effet hic perpende- „ re, an iftae propofitiones pro libito fictae fuerint ad excitandam „ invidiam ciendofque tumultus; quibus in libris, quibus auctori- „ bus, quo fenfu affertae, audire hinc & hinc contendentes, infpi- „ cere opera varia circa eafdem propofitiones apud nos edita; fen- „ fus veros, falfos, ambiguos difcernere; quaecumque de his no- „ ftris in partibus gefta funt, ex quo de iftis affertionibus contro- „ verfum eft, dignofcere; tum vero quae de hac fidei cauffa a no- „ bis acta & decreta effent, ad Sedis tuae notitiam deferre, ut to- „ ta huius auctoritate iufta quae fuerit pronunciatio firmaretur". At pergunt illi, „ apud Sedem tuam, nullo noftro praeeunte hac in „ cauffa examine ac iudicio, quot poteft artibus veritas opprimi? „ Quot calumniis Praefulum ac Doctorum exiftimatio pulfari?

„ Quibus insidiis Sanctitas tua in hoc maximo fidei negotio circum„ veniri " ? Demum his verbis concludunt : „ age igitur B. P. gra„ vissimam litem, quae a multis iam saeculis catholicae unitatis „ nullo dispendio hucusque perduravit, vel paulisper etiamnum „ patere ac sustine, vel caussam hanc totam ex solemni iudiciorum „ more expende ". Hae litterae subscriptae sunt ab Archiepiscopo Senonensi, & ab Episcopis Aginnensi, Convenarum, Valentiensi, & Diensi; Aurelianensi, Sancti Papuli, Lescariensi, Catalaunensi, Ambianensi, Andegavensi, Bellovacensi. Apparet hos Praesules credidisse controversiam, quae tum movebatur, recidere in illam quae sub Clemente VIII. & Paulo V. agitata fuerat. Cum ergo ita sentire non potuerint spectatis absolute propositionibus, quas ambiguas esse agnoscebant, restat ut contendentium sententias unice attenderint, adeoque persuasum habuerint, Theologos a quibus propositiones aliquo pacto defendebantur, solam gratiam se ipsa efficacem, quam Thomistae in Congregationibus *de auxiliis* asseruerant, tueri ac defendere.

Idem Praesules ad prosequendam rem tanti momenti Sanct-Amorium, qui Roma nuper digressus in Italiae finibus adhuc versabatur, deputatum suum constituerunt, eique comites adiunxerunt Iacobum *Brousse* Doctorem Parisiensem, & in Ecclesia Sancti Honorati Parisiis Canonicum, Natalem *De Lalane* Doctorem quoque Parisiensem & Abbatem Sanctae Mariae de Valle Crescente, & Ludovicum *Angran* Licentiatum Parisiensem & Ecclesiae Trecensis Canonicum, quibus accessere postea P. Tussanus *Desmares* Oratorii Iesu Presbyter & Nicolaus Manessieu Doctor & Socius Sorbonicus.

Sanct-Amorius, salutatis Cardinalibus, admissus est ad audientiam S. Pontificis 10. Iulii 1651. Episcoporum, quorum nomine agebat, litteras reddidit, dixitque quinque propositiones dolose confictas multiplicem sensum habere, haereticum, qui a nemine defendebatur, & catholicum, quem multi impugnabant; horumque scopum esse, ut propositionum damnationem propter sensum haereticum obtinendo, catholicus, qui in eisdem latebat sensus, damnatus videretur: quamobrem undecim Praesules postulare ne quid ea ac re prius definiretur, quam auditi essent Galliae Theologi. Respondit Pontifex, si de propositionibus ab Urbano VIII. damnatis ageretur, frustra peti novum examen; si de novis & intactis, cuncta diligenter discussum iri. Alii duo Praesules, scilicet Archiepiscopus Tolosanus, *Journal* 3. Part. Art. 4.

Extant in Diario inter Collectanea.

& Episcopus Grassensis simul & Venciensis (D. Godeau) singulas epistolas ad Innocentium misere. Ille ut eum a definiendo averteret, aut saltem hortaretur ad audiendas in Congregationibus partes litigantes. Hic vero dolorem suum dolorisque caussam sic expressit. „ Non quia doleamus adiri supremum tribunal, sed quia ita factum „ est privatim, & ab uno tantum e nostris fratribus carissimis, „ qui alios ad scribendum impulit, non communicato invicem Con- „ cilio, nec collatis suffragiis, aut indicta Synodo, nedum re pro- „ posita in Comitiis Cleri Gallicani, quae opportune per id tem- „ poris haberi contigerat “. Deinde de propositionibus his verbis loquebatur Praesul doctissimus. „ Proponuntur Sanctitati Vestrae „ propositiones quinque eaedem prorsus, quae ante annos duos pro- „ positae sunt Facultati Theologicae Parisiensi, & a quarum iudicio „ eadem Facultas abstinuit, & pacis caussa, & quod animadverteret „ eas, ut sunt singulae sensus ambigui & ancipitis, nullo ex certo „ auctore illis ipsis quibus conceptae sunt verbis excerptas fuisse; „ ita ut de industria ab adversae sententiae affeclis ideo confictae „ viderentur, ut in perversum aliquem sensum facilius torqueri pos- „ sent. Iisdem de caussis facile praevidit Facultas rerum prudentissi- „ ma, nihil nisi periculose admodum statui posse de propositionibus „ huiusmodi, ne scilicet in earum censuram, non Cornelii Ianse- „ nii, sed quod calamitosius est, ipsius S. Augustini, atque ideo to- „ tius Ecclesiae, quae Augustini iudicio in caussa gratiae constanter „ adhaesit, doctrina incurrisse videretur “. Postulabat demum, ut quemadmodum sub Clemente VIII. & Paulo V. utraque pars in Congregationibus copiam dicendi haberet. Sanct-Amorius hanc epistolam tradidit Summo Pontifici; nam primam quae Archiepiscopi Tolosani erat, eo nuper mortuo reddendam non censuit.

18. Octobris.

Congregationes Romae habentur: quomodo processerint.

Journal de S Amour 2. Part. Art 10 pag. 71.

Historia quinque propositionum Tom. 1. pag. 17.

Journal 3. Part. Art. 7.

Ibid. 2. Part. Ch. 9. & 3. Part. Ch. 9.

Variae illae Epistolae Innocentium non parum sollicitum habebant. Confessus fuerat Holstenio se quaestiones illas non intelligere, approbaveratque Holstenii consilium suadentis, ut materiam per mutuas Theologorum disputationes eliquari permitteret; quod ab ipso Holstenio sibi narratum refert Sanct-Amorius. Verum brevi mutato consilio Congregationem instituit quatuor Cardinalium, qui convenire coeperunt apud Cardinalem Romam 20. Aprilis, sed ita occulte, ut per aliquot menses Sanct-Amorium latuerint. Interim Iansenii adversarii, ut aliquid ponderis adderent praetensae censurae Facultatis Parisiensis, quosdam per monasteria & domos submi-

ſerunt, qui ſubſcriptiones emendicarent. Hibernos inprimis tentarunt: ſed plerique doctrinam Sancti Auguſtini divitiis omnibus anteponentes nullis promiſſis vinci potuerunt; 26. utant fraudi patuerunt: ſed quale praeſidium. Omnes ferme ſtudebant Grammaticis aut Philoſophicis, pauci Theologicis, eoſque Univerſitatis Rector, ut par erat, caſtigavit ſolemni decreto.

Paulo poſt D. Hallier treſque alii Doctores, inſcia Facultate Pariſienſi, quemdam P. Mulard Hallerii conſobrinum, ex Capucino apoſtatam, uxoratum & in monte Peſſulo medicum, deinde Ordinem Minorum cum licentia Romani Pontificis ingreſſum, virum inquietum ac turbulentum adeoque imperitum, ut coram teſtibus diceret S. Paulum modum in diſputando exceſſiſſe, Romam miſerunt ad proſequendam damnationem quinque propoſitionum. Iactabat miſerabilis Monachus apud S. Pontificem & Cardinales delegatum ſe a Facultate Theologica Pariſienſi, utque propoſitionum cenſuram obtineret, dicebat illas in ſenſu haeretico a multis in Gallia defendi.

Duodecim Gallicanis Praeſulibus crebro inſtantibus, ut poſtularentur Congregationes, quales a Clemente VIII., & Paulo V. conceſſae fuerant, Sanct-Amorius eiuſque ſocii ipſorum vota Innocentio expoſuerunt 5. Decembris & 21. Ianuarii 1652. petieruntque enixe, ut partibus contradictorie prius auditis, diverſi ſenſus propoſitionum diſtinguerentur & ſingillatim expenderentur; nihil quippe liquido definiri poſſe, niſi diſcuſſa diligenter materia *de auxiliis*. Verum S. Pontifex conſtanter recuſavit quaeſtiones illas denuo tractare, praetexens ſe in Theologia parum verſatum eſſe; idemque reſpondit Generali Dominicanorum, qui pariter poſtulabat, oblato etiam memoriali, ut Congregationes de auxiliis inſtaurarentur. Menſis Maii 1652.

Circa idem tempus DD. *Hallier*, *Lagaut*, & *Ioiſel*, Epiſcoporum qui Vabrenſis Epiſtolae ſubſcripſerant Deputati, Romam venerunt, ibique cum Auguſtinianis Doctoribus apud D. Le Bailly de Valencay Galliae Oratorem mutuo contulerunt. Hallerius dixit nequaquam poſtulare ſe, ut materia gratiae diſcuteretur, ſed tantum ut damnarentur quinque propoſitiones; rem autem facilem eſſe, etiam definitam. Quamvis haec alterius partis Deputatos angerent, non tamen ab omni ſpe deiiciebant; eo quod plerique Cardinales & eruditi agnoſcerent rem aequiſſimam ab ipſis poſtulari, affirmarentque S. Pontificem nunquam commiſſurum, ut aliquid definirent, quin prius eos, ut exigebat rei gravitas, quantum & quomodo vellent, audiviſſet. *Journal* 3. & 4 Part Diarii Part. 3. & 4.

Ibidem Part. 5. Cap. 1. & 2. 1.° Iulii, Cardinalis Roma accersivit solos Deputatos Augustinianorum, eisque coram Albizzio declaravit, S. Pontificem, sicuti rogaverant, Congregationem instituisse: proinde se ipsos ad loquendum pararent, seque, quando parati forent, commonendum curarent, ut diem ipsis decerneret. Hi, cum in mandatis haberent nihil nisi contradictorie tractare, Cardinalem hac de re iterum convenerunt 21. eiusdem mensis, confitentem, contradictoriam illam disputationem utilem esse, immo necessariam. Nihilominus 16. Augusti idem Cardinalis eis praecepit, ut Scripta sua intra quindecim dies offerrent, eo quod sua Sanctitas absolvere illud negotium vellet. Duo igitur Scripta praepararunt. In primo, quod erat brevius, historice narrabantur quaecumque contigerant ex quo D. Cornet quinque propositiones in Sorbona detulerat, diversique illarum sensus distinguebantur. In altero, quod prolixius, S. Augustini in materia gratiae auctoritatem ducentis Summorum Pontificum, Conciliorum, Patrum & Theologorum testimoniis astruebant. Verum aegrotante Cardinali Roma, obtinere non potuerunt, ut ea suis adversariis communicarentur.

Ibid. C. 5.

Suum quoque Scriptum apparaiunt Hallerius, & Socii, in quo de ipsismet propositionibus agebant, doctrinam gratiae se ipsa efficacis pro catholica agnoscebant, Iansenioque imputabant, quod gratiam necessitantem docuisset, nullamque admisisset sufficientem.

Cardinali Roma e vivis sublato 16. Septembris Cardinalis Spada evasit Decanus Congregationis contra quinque propositiones; huic assistebant Cardinales, Ginetti, Cechinius, Chiggius, & Pamphilius. Consultores erant tredecim, nempe Vincentius Candidus, Magister Sacri Palatii Dominicanus; Visconti, Generalis Augustiniensium; Raphael Aversa, Generalis Presbyterorum Regularium; Modestus Ferrariensis, Procurator Generalis Minimorum; Dominicus Campanella, Carmelita Excalceatus, prius Iesuita; Lucas Waddingus, Observantiae S. Francisci; Marcus Antonius Carpinelli, Procurator Generalis Capucinorum; Maria Angelus Cyriae Cremonensis, Ordinis Servitarum; D'Elbene, Superior Theatinorum; Sforza Pallavicinus, Iesuita, Professor Theologus; Vincentius a Pretis, Commissarius S. Officii; Caelestinus Brunius, Augustiniensis; & Ioannes Augustinus Tartaglia, Carmelita Excalceatus. Secretarius erat Albizzius. Augustiniani Doctores postularunt saepius, ut e Consultorum numero tollerentur Iesuita, & P. Modestus approbator libri Annati

Iesuitae qui nuper suppressus fuerat eo quod Augustini auctoritatem deprimeret, utque Secretarii partes Albizzio iam legitime suspecto non committerentur aut saltem non soli: sed neutrum obtinuere.

Congregationes habitae sunt in domo Cardinalis Spada: in 1.ª die 24. Septembris 1652. actum est; ait Lucas Waddingus, in sua relatione „ de modo procedendi in singulis Congregationibus & „ de methodo disputandi: auditisque omnium sententiis, conclusum „ fuit, ut singulae propositiones per se examinarentur & qualifica- „ rentur in abstracto prout iacent, absque ullo respectu ad aucto- „ rem". Hoc statutum est, ne Deputati Lovanio venirent, ut enixe postulabatur, ad defendendum Iansenium. Hinc Cardinalis Spada scripsit ad Nuncium qui in Hispaniis agebat, Regem Catholicum hortandum esse, ut litteras in gratiam Iansenii Lovaniensibus non concederet, eo quod, aiebat, non ageretur de Iansenio, sed tantum de quinqne propositionibus, secluso auctoris sensu. Ipsemet S. Pontifex dixerat Augustinianis Doctoribus, mentem suam esse ut nulla mentio fieret de Iansenio, utpote cuius liber ab Urbano VIII. prohibitus fuerat. Is autem tunc Romae erat status animorum, ut apud plerosque in honore esset gratia ex se efficax, at Iansenii nomen ita odiosum esset, ut pro illo loqui tutum non foret. Neque id tentare ausi sunt Parisienses Doctores, ne illum defendendo, caussae suae, id est gratiae efficaci, quam solam in quinque propositionibus tueri se semper professi sunt, plurimum nocerent.

Extat inter collectanea defensionis Ecclesiae Romanae contra Leydekerum.

21. Ianuarii 1652.

Prima propositio ventilata est in quinque Congregationibus, diebus 1. 8. & 30. Octobris, 6. & 13. Novembris; secunda in quatuor, diebus 18. 20. 25. & 27. Novembris; tertia in quatuor, diebus 2. 4. & 11. Decembris; quarta in tribus, diebus 16. 18. & 23. Decembris; quinta in quatuor, diebus 30. Decembris & 13. 15. & 20. Ianuarii 1653.

Cum ad Congregationes non vocarentur Doctores Augustiniani, crebris tamen Praesulum litteris iuberentur nihil privatim tractare, sed omnia palam cum adversariis discutere; memorialia S. Pontifici & Cardinalibus hunc in finem saepissime obtulerunt; sed rem adeo iustam & terminandae quaestioni inprimis necessariam obtinere nequiverunt.

In 22.ª Congregatione 27. Ianuarii, vocatus cum suis Hallerius, absentibus Augustinianis Doctoribus peroravit erudite & ferventer, ut refert Waddingus in sua relatione; „ contra doctrinam

„ Ianfenii & fequacium. 2. Multa dixit contra eorum mores & „ vitam. 3. Alia addidit, praefertim ex iis quae fecerunt Parifiis „ contra Hibernos & Sorbonam, provocantes ad Parlamentum: Et „ demum inftanter rogavit, ut propofitiones iftae damnarentur". At quam facile eft crimina fpargere, ubi qui ea diluat adeft nemo! Inciderant paulo ante in Auguftinianorum Theologorum manus duo Hallerii Scripta, unum contra primam propofitionem, alterum contra fecundam. In primo congefferat 60. loca S. Auguftini inter quae Pelagii profeffio Doctori gratiae attribuebatur atque a Zozimo approbata dicebatur, quamvis non ignoraret Hallerius, quod in aliis Scriptis anno 1632. & 1644. obfervaverat, illam approbationem a Zozimo fuiffe revocatam. Unde vel mala fide id factum eft, vel hoc Scriptum a Iefuitis accepit Hallerius, quos quotidie invifebat, & in quorum officina pleraque eius Scripta cufa effe non infirmis argumentis probat Sanct-Amorius.

Journal de S. Amour 4 Par. Ch. 11. p. 253. & 306.

Ibid Part. 6. Ch. 2.

Vocatique fuerunt Doctores Auguftiniani, ut loquerentur fi vellent in Congregatione habenda 28. vel 30. Ianuarii; refponderunt fe ultro adfuturos, modo praefentes effent adverfarii, materiaeque contradictorie tractarentur: id fe in mandatis habere, id poftulaffe femper, nec licere fibi aliter loqui. Obiiciente autem Card. Spada, rem ab eis peti ufibus S. Officii contrariam, ipforumque non effe leges Sedi Apoftolicae praefcribere, nihilominus in propofito manferunt.

Ibid. Cap. 5. pag. 330.

Sub idem tempus Generalis Auguftinenfium memoriale Pontifici tradidit, in quo oftendebat doctrinam S. Auguftini, quoniam directe non poterat, fub Ianfenii & quinque propofitionum umbra impugnare; atque in illis propofitionibus comprehenfam fuiffe maxima cum fraude totam controverfiam de auxiliis, de poffibilitate mandatorum, de gratia fufficiente & efficaci, de libertate arbitrii.

Hallerii colloquium cum Dominicanis.

Nihilo fegnius agebant Dominicani ut propofitionum abfolutam damnationem impedirent. Hoc comperto Hallerius eiufque Socii illorum Generalem convenerunt 11. Februarii, eique declaraverunt nolle fe ullum praeiudicium inferre doctrinae de gratia per fe efficaci; immo paratos effe fubfcribere quinque propofitionibus in illo fenfu acceptis, modo Dominicani vellent fecum pofequi earum damnationem in fenfu gratiae neceffitantis. Conftituta eft autem illa Collatio in diem 14. eiufdem menfis. Tunc P. Reginaldus propofitiones ad fenfum gratiae efficacis revocatas Hallerio obtulit fubfignan-

ſignandas, promittens, ſi faceret, Dominicanos proſecuturos eſſe illarum in pravo ſenſu condemnationem.

En propoſitiones Dominicanorum.

1.ª „ Gratia de ſe efficax vere, realiter & phyſice praemovens „ & praedeterminans, infallibiliter inſuperabiliter & indeclinabiliter, ita eſt neceſſaria ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei „ & ad orationem, ut ſine illa homo etiam iuſtus non poſſit adimplere Dei praecepta, etiam ſi velit & conetur affectu & conatu imperfecto; quia deeſt illi gratia qua poſſit, ſive qua fiant „ ipſi poſſibilia poſſibilitate cum effectu, ut loquitur S. Auguſtinus „ de natura & gratia Cap. 42. “.

2.ª „ In natura lapſa nunquam reſiſtitur gratiae interiori, id „ eſt efficaci in ſenſu explicato in prima propoſitione, quae ſecundum phraſim Auguſtini vocatur interior “.

3.ª „ Ad merendum & demerendum in ſtatu naturae lapſae, „ non requiritur libertas ab omni neceſſitate, ſed ſufficit libertas „ ab omni coactione, hoc eſt a violentia & naturali neceſſitates “.

4.ª „ Admiſerunt Semipelagiani gratiae interioris neceſſitatem „ ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant haeretici quod vellent eam gratiam eſſe, cui poſſet voluntas humana „ reſiſtere vel obtemperare, id eſt, in hoc erant haeretici quod „ vellent gratiam non eſſe efficacem modo explicato in prima propoſitione “.

5.ª „ Error eſt Semipelagianorum dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe aut Sanguinem fudiſſe: „ quia videlicet Chriſtus eſt quidem mortuus pro omnibus quod ad „ ſufficientiam pretii ſufficienter, non tamen efficaciter, quia non „ omnes participant beneficium mortis eius “.

Tergiverſatus Hallerius, aſſeruit ſe gratiam efficacem, qualis a Thomiſtis admittitur, admittere, idque unum poſtulare, ut gratia ſufficiens definiretur, conatuſque eſt abſtractionum ope foedus cum Thomiſtis inire, dicendo ſcilicet agi tantummodo de admittenda gratia ſufficiente indefinita, indifferentia indefinita, poſſibilitate mandatorum indefinita, & abſtrahente a ſenſu Thomiſtico & Moliniano. Sed quantum cum Thomiſtis, tantum cum Auguſtinianis conſentiebat: *quae enim ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, ut eleganter ridet Iraeneus diſquiſitione 4.ª Reſponderunt Dominicani non eſſe de fide Gratiam ſufficientem omnibus dari:

Gorl. D

multos Thomiſtas negare eam dici debere ſufficientem, omnemque gratiam ſemper eſſe effectricem alicuius effectus, ad quem a Deo abſolute datur. Demum D. Hallier & Sociis expoſitae a Dominicanis doctrinae ſubſcribere detrectantibus, Generalis concluſit, non debere illos graviter ferre, ſi conatibus eorum obſiſterent.

Negatur Dominicanis interventio in cauſſa Ianſenii.

Revera nihil omiſit ut obtineret interveniendi licentiam. Die 16. Februarii petiit Pontificis audientiam, oblaturus memoriale, quo poſtulabat, ut diſtinguerentur ſenſus propoſitionum, quae maligne contextae videbantur, plurimaque alia Scripta, quorum undecim referuntur in Diario Sanct-Amorii inter collectanea. His in Scriptis quinque propoſitiones Ianſenio adiudicantur, & in ſenſu gratiae ſe ipſa efficacis aſſeruntur. Negata audientia, conatus eſt eadem Scripta per alios S. Pontifici offerre. Sed fruſtra. Inſtitit tamen, audientiamque ſeptemdecim vicibus propoſuit, nec obtinuit; non aliam profecto ob cauſſam, quam quod S. Pontifex controverſiam de auxiliis nollet attingere.

Interim Conſultores vota ſua tribus in Congregationibus recognita tradiderunt S. Pontifici, & 10. Martii ſententias ſuas coram illo expoſuere. Initio Congregationis S. Pontifex declaravit ſe omnino nolle praeiudicium ullum inferre doctrinae S. Auguſtini & Thomae. Habitae ſunt aliae decem coram ipſo Congregationes diebus 12. 18. 22. 26. & 29. Martii, & 1. 3. 5. & 7. Aprilis.

Auguſtiniani ſemel audiuntur.

Die 9.ª Romam pervenerunt duo Auguſtinianorum Doctorum Adiutores. D. Mancſſier & P. Deſmares. Admiſſi 4. Maii ad Audientiam S. Pontificis, flagitarunt enixe, ut cum adverſariis contrarie diſputandi copia ſibi concederetur. Reſpondit S. Pontifex id neceſſarium non eſſe, Sanctique Spiritus inſpirationem ad recte definiendum ſibi affuturam (quod iam ſaepius eorum Sociis dixerat), caeterum eos auditum iri quantum vellent. Nihilominus hac ipſa die didicerunt Bullam paratam eſſe & prope diem publicandam. Incerti quid agerent; tandem decreverunt adire Summum Pontificem eique declarare ſe ad loquendum quando & quomodo vellet paratos eſſe. Sperabant enim hoc pacto ſe facilius obtenturos quam fruſtra poſtulaverant contrariam diſputationem. Dies eis aſſignata eſt 19. Maii, ſtatimque adornarunt quinque Scripta. In 1.º teſtimoniis Ieſuitarum oſtendebant eos S. Auguſtini doctrinae inimicos eſſe. In 2.º quod iamiam integrum referam, varios ſenſus quinque propoſitionum diſtinguebant. 3.^um Conſtabat quatuor partibus.

1.ª Sexdecim argumentis adſtruebat doctrinam gratiae per ſe efficacis. 2.ª Continebat indicem Summorum Pontificum, Conciliorum, SS. Patrum, Theologorum qui ab Auguſtino gratiam ſe ipſa efficacem velut Eccleſiae fidem tenuerant & docuerant. 3.ª Referebat vota & definitiones Conſultorum in Congregationibus *de auxiliis*. 4.ª Oſtendebat plurimos errores per neceſſariam conſecutionem deduci ex doctrina oppoſita. 4.um Scriptum ſub hoc titulo: *Informatio de 1.ª propoſitione, ſeu potius de poſſibilitate mandatorum Dei*: ſex capitibus abſolvebatur. In primo aſſignabant ſenſum catholicum, in quo primam propoſitionem tuebantur, ſimulque haereticos eiuſdem ſenſus. In 2.° Propoſitionem eo, quem defendebant, ſenſu intellectam probabant multis argumentis. In 3.° probabant auctoritate S. Thomae. In 4.° ex neceſſitate gratiae efficacis, ſine qua SS. Patres, Pontifices & Concilia dicunt hominem non poſſe obſervare mandata. In 5.° obiecta ſolvebant. In 6.° probabant gratiam orandi, perinde ac caeteras per ſe efficacem eſſe, nec dari omnibus. Quinto Scripto reſpondebatur ad 60. teſtimonia S. Auguſtini ab Hallerio contra 1.am propoſitionem allata.

Sed quoniam ſecundum Scriptum multis litibus obnoxium fuit, de quibus poſtea dicturi ſumus, iuvat illud integrum hic deſcribere, maxime cum breve ſit. In eo varii ſenſus quinque propoſitionum diſtinguebantur & in tres columnas diſtribuebantur; ideoque appellatur ſcriptum trium columnarum. Prima columna hunc titulum habet. *Senſus haereticus qui 1.ae 2.ae &c. propoſitioni maligne affingi poſſet, quem tamen legitime ſumpta non habet*. Qui quidem titulus intelligendus eſt ad mentem Sanct-Amorii, ſpectata ſcilicet propoſitione non abſolute in ſe ipſa, ſed eo ſenſu, quo ab aliquibus defendebatur. Senſum quippe *legitimum* appellabat eum in quo propoſitio defenditur, etiamſi minus apte conveniret terminis propoſitionis ſecundae columnae praenotatis. Secunda columna hunc habet titulum: Prima propoſitio prout a nobis intelligitur ac defenditur. Tertiae demum titulus hic eſt: Propoſitio primae, ſecundae &c. contraria, ut ab adverſis defenditur.

I. Propositio.

Iustis omnibus quantumlibet volentibus & conantibus secundum praesentes quantascumque vires, quae a magna gratia & efficace habentur, mandata Dei sunt impossibilia, deest quoque illis semper & quandiu vivunt gratia, qua possint vel unum ex mandatis Dei sine peccato adimplere. Haec propositio est Haeretica, Calviniana, aut Lutherana, & a Concilio Tridentino damnata.

I. Propositio.

Aliqua Dei praecepta aliquibus iustis volentibus & conantibus invalide & imperfecte secundum praesentes quas habent vires parvas scilicet & infirmas, seu auxilio efficaci ad plene volendum & operandum necessario destitutis impossibilia sunt proxime & complete, seu ab iis adimpleri proxime non possunt. Deest quoque illis gratia efficax, qua praecepta illis proxime possibilia fiant, seu deest illis speciale illud auxilium, sine quo iustificatus, ut ait Concilium Tridentinum, in accepta iustitia, idest in observatione mandatorum Dei, perseverare non potest.

I. Propositio.

Omnia Dei praecepta iustis volentibus & conantibus secundum praesentes quas habent vires, sunt semper possibilia per gratiam eorum libero arbitrio subiectam; nec unquam ipsis deest gratia ad operandum, vel saltem ad orandum proxime necessaria, qua possibilia fiant.

II. Propositio.

Interiori gratiae efficaci in statu naturae lapsae eatenus nunquam resistitur, quatenus voluntas hominis respectu gratiae efficacis mere passive se habet, & velut inanime quiddam nihil omnino agit, nec operatur, nec libere assentitur. Haec propositio est Haeretica, Calviniana, Lutherana, & a Concilio Tridentino damnata.

Alius sensus erroneus: Interiori gratiae, sumptae pro simplici quadam illuminatione intellectus & suasione voluntatis in statu naturae lapsae nunquam resistitur. Haec propositio est falsa & erronea, quia

II. Propositio.

Gratiae Christi ad singulos pietatis actus proxime necessariae nunquam resistitur; hoc est, nunquam illa frustratur eo effectu, ad quem a Deo proxime datur.

II. Propositio.

Gratiae Christi ad singulos pietatis actus, seu operandi, seu saltem orandi, necessariae, in statu naturae lapsae aliquando resistitur, hoc est, illa aliquando frustratur eo effectu, ad quem a Deo proxime datur.

talis gratia non est vera gratia Christi ut docet S. Augustinus in libro de gratia Christi.

Alius sensus erroneus interiori gratiae Christi, cum adhuc parva est, & dat tantum voluntatem inchoatam, in statu naturae lapsae nunquam resistitur quantum ad effectum ulteriorem, ad quem disponit: haec propositio est falsa & erronea.

III. Propositio.

Ad merendum & demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate naturali, qualis etiam reperitur in motibus indeliberatis; sed sufficit mera libertas a coactione. Haec propositio est Haeretica, Calviniana, aut Lutherana.

III. Propositio.

Ad merendum & demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate infallibilitatis; sed sufficit libertas a coactione cum iudicio rationis, si consideretur praecise essentia libertatis & meriti: quanquam ex ratione status semper reperiatur indifferentia potentiae, qua voluntas etiam sub gratia proxime necessaria & ex se efficace potest non velle, non tamen ut unquam simul cum eadem gratia non velit.

III. Propositio.

Ad merendum & demerendum in statu naturae lapsae requiritur in homine libertas a necessitate infallibilitatis, seu necessaria est indifferentia proxima agendi & non agendi, qua voluntas instructa omnibus ad agendum praerequisitis, pro suo nutu modo se flectit in unam partem, modo in oppositam.

IV. Propositio.

Gratia Christi talis est, ut liberum arbitrium hominis ab ea motum & excitatum non possit dissentire si velit. Aliter dicere Semipelagianum est.

IV. Propositio.

Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus imperfectos, etiam ad initium fidei, & in hoc haeretice sentiebant, quod vellent eam gratiam talem esse, ut voluntas illi pro nutu suo obtemperaret, vel eam respueret, seu ut ex se efficax non esset.

IV. Propositio.

Semipelagiani non admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus imperfectos, nec ad initium fidei; nec in hoc errabant quod vellent eam gratiam talem esse, ut ex se efficax non esset.

V. Propositio.	*V. Propositio.*	*V. Propositio.*
Christus mortuus est tantummodo pro praedestinatis, ita ut ii soli per meritum mortis Christi veram fidem ac iustitiam accipiant.	Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus, seu nemine excepto, mortuum esse, eo sensu ut omnibus, nemine excepto, per mortem eius oblata sit gratia ad salutem necessaria, quam consequi in nutu arbitrii sit positum sine gratiae ex se efficacis adiutorio.	Non est Semipelagianum, sed catholicum dicere Christum morte sua omnibus omnino hominibus, seu nemine excepto, communicasse gratiam proxime necessariam ad operandum, aut saltem ad incipiendum & ad orandum.

In fine huius Scripti declarabant se semper perstituros in defensione sensus secundae columnae, nisi a Sancta Sede aliter definiretur, neque eam ob rem a Summo Pontifice aut a Purpuratis proceribus unquam reprehensi sunt. Sed iam historia retexenda est. Die dicta Augustiniani Doctores Congregationi adfuerunt. Ibi D. De Lalane longa oratione demonstravit, doctrinam Sancti Augustini summo studio retinendam esse a Sede Apostolica; quinque propositiones aequivoce confectas fuisse ad illam per cuniculos subruendam; Iesuitas publicis in Scriptis auctoritatem S. Augustini parvi pendisse, valde necessarium esse, ut contradictoria disputatio fieret. Addidit se iudicium Apostolicum prompto animo excepturos. Deinde veniens ad quinque Scripta, quae Congregationi offerebant, secundum, quod modo descripsimus, integrum legit, memorans in detegenda connexione propositionum cum doctrina gratiae per se efficacis, & mala intentione eorum qui illas absolute damnari volebant; observansque identidem ea, quae, a se dicebantur, per congressum cum suis adversariis, maiorem adhuc vim & claritatem habitura. Postquam loqui destitit, P. Desmares gratiae se ipsa efficacis doctrinam asseruit, tum Ecclesiae precibus, tum aliis argumentis, Molinaeque novitates totis nervis oppugnavit. Plura dicere volentem nox impedivit.

In *cavillis* Iansenianorum pag. 37. Fallitur ergo aut mentitur impudentissime Duchesnius *Hist. Baian.* Lib. 5. n. 54 pag. 444. cum dicit Deputatos II. Episcoporum auditos esse in 45. vel. 50. sessionibus.

Oratorum eruditionem laudibus extulerunt Cardinales. Verum hac tantum vice auditi sunt. Nam nulla de caetero habita Congregatione, ut fatetur P. Annatus, Bulla quae iam parata erat, publicata est 9. Iunii. Illust. Du Bosquet Episcopus Lodevensis, postea Montis Pessulani testatus est in Comitiis Cleri Gallicani anni

1656. Summum Pontificem sibi dixisse, veritatem sibi per Spiritum Sanctum clare monstratam, eiusque luce abstrusiores Theologiae recessus unico instanti patefactos fuisse.

Antequam ultra progrediamur, pauca dicenda sunt de Consultorum votis, quae dudum typis edita sunt cum animadversionibus alicuius S. Thomae discipuli. Extant inter Diarii Collectanea.

Primam propositionem, *aliqua Dei praecepta hominibus iustis &c.* 1. Vincentius Candidus Dominicanus censuit veracissimam esse & catholicam: 2. absolute damnarunt, prout iacet, Augustinus Maria a Cremona, Campanella, Aversa, Brunius: 3. sensus distinxerunt & intellectam de quibusdam tantum iustis, & de potentia proxima & completa, & de gratia per se efficaci absolverunt, intellectam vero de iustis indefinite & de impossibilitate absoluta, haereticam pronuntiarunt, Carpinetus, D' Elbene, Modestus, Vicecomes, Waddingus qui censuit propositionem in sensu a Iansenio intento non mereri censuram, De Pretis qui dixit prius distinguendos esse propositionis sensus quam qualificaretur, addiditque: *Haec propositio non est qualificabilis ratione proferentis, quia proposita fuit in abstracto ut praescindit ab omni proferente.* Et Tartaglia qui solus damnavit propositionem in sensu auctoris 4. Palavicinus propositionem explicuit de illis viribus & illa gratia, quas Deus tenetur tribuere nullo supposito peccato, nec originali quidem, censuitque illam esse erroneam. Iansenium non nominavit, sed in voti recognitione, 3. Februarii propositionem damnavit in sensu Iansenii.

Secundam, *Interiori gratiae, in statu naturae lapsae nunquam resistitur*, de Gratia efficaci intellectam absolverunt; sed pro ut iacet & omnem gratiam designare videtur, damnarunt Tartaglia, Brunius, D' Elbene, Cremonensis, Waddingus, Aversa: 2. absolute spectatam damnarunt Carpinetus, Campanella & Modestus: 3. ab omni censura liberarunt De Pretis, Vicecomes, Candidus & Palavicinus, qui eam non damnavit nisi pro ut a Iansenio traditur & sequitur ex prima propositione: 4. in sensu Iansenii damnarunt Tartaglia, Brunius, Palavicinus, D' Elbene, Cremonensis, Campanella, Modestus, Aversa. Caeteri de Iansenio siluere; immo Waddingus, *haec propositio*, ait, *cuiuscumque auctoris illa sit &c.*

Tertiam, *ad merendum aut demerendum in statu naturae lapsae, non requiritur libertas a necessitate*, sed sufficit libertas a coactione, 1. acceptam sensu Thomistarum & necessitatis consequen-

tis, a censura immunem pronuntiarunt; sed qualis enuntiatur damnarunt Carpinetus & De Pretis: 2. absolute damnarunt Brunius, D' Elbene, Cremonensis, Modestus, Aversa: 3. probabilem & nulla censura dignam iudicarunt Waddingus, Vicecomes, Candidus: 4. in sensu Iansenii damnarunt Tartaglia, Palavicinus, Carpinetus, Cremonensis, Campanella. Caeteri de illo tacuerunt.

Quartam, *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris &c.* 1. ut iacet damnarunt Tartaglia, Brunius, Campanella, Modestus, Aversa; 2. a censura liberarunt, nisi forte ob censurae acerbitatem, Palavicinus, Waddingus, De Pretis, Vicecomes, & Candidus; 3. quo ad factum Semipelagianorum falsam declararunt Brunius, Cremonensis, Modestus, Aversa. 4. Idem a censura expresse exemerunt Carpinetus, D' Elbene, Campanella, De Pretis, Vicecomes, Candidus; 5. Iansenii sensum damnarunt Tartaglia, D' Elbene, Cremonensis: 6. Eum censurae subtraxerunt Palavicinus, Carpinetus & Lucas Waddingus, qui ait auctorem propositionum omnino deceptum fuisse circa mentem Iansenii. 7. Caeteri de Iansenio non locuti sunt.

Quintam, *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse*, 1. absolute condemnarunt Brunius, Carpinetus, Campanella, Modestus, Aversa: 2. defenderunt Waddingus, De Pretis, Vicecomes, Candidus: 3. ob censurae severitatem damnarunt Tartaglia, Palavicinus, Cremonensis: 4. Eo sensu quod Christus pro solis praedestinatis mortuus intelligatur, damnarunt; hoc vero quod non aequaliter pro omnibus mortuus sit, nec auxilia sufficientia omnibus conferat, approbarunt Tartaglia, & D' Elbene: 5. in Iansenii sensu quasi docentis Christum mortuum non esse pro reprobis temporaliter iustificatis, damnarunt Tartaglia, Palavicinus, D' Elbene, Cremonensis, Aversa: 6. eamdem cum nota Semipelagianismi apud Iansenium non extare affirmat Waddingus: 7. Caeteri Iansenium non attigerunt.

Ex hac votorum summa apparet. 1. Doctrinam S. Augustini & D. Thomae de gratia per se ipsam efficaci ab omnibus agnitam esse pro catholica; si quidem qui propositiones absolvere, ideo absolvere, quia eas intellexerunt in sensu gratiae efficacis; qui autem damnaverunt, ideo damnavere, quia longe alio sensu intellexerunt, multique expressam sensuum distinctionem fecerunt, ut sensum gratiae per se efficacis a censura subtraherent.

Apparet

Apparet 2. propositiones Consultoribus ambiguas visas esse. Hoc aperte declarant quotquot varios earum sensus distinguendos censuerunt. Idem patet de aliis, qui propositiones absolute absolverunt vel damnaverunt. Cum enim omnes consentirent sensum gratiae per se efficacis damnari non posse, cur alii alias in partes abiere, nisi quia propositiones diversimode acceperunt?

Apparet 3. iniunctum non fuisse Consultoribus, ut Iansenii sensum discuterent: licet enim aliqui de illo verba fecerint, plerique tamen abstinuerunt; unusque illorum Commissarius S. Officii, expresse dicit propositiones *propositas fuisse in abstracto & prout praescindunt ab omni proferente*.

Iam de Bulla agendum. Sic illa incipit. „ Cum occasione im- Bulla Innocentii X. contra quinque propositiones. Extat in Collect. Bullar. pag. 76.
„ pressionis libri cui titulus, *Augustinus Cornelii Iansenii Iprensis*
„ *Episcopi*, inter alias eius opiniones orta fuerit, praesertim in
„ Gallia, controversia super quinque ex illis; complures Galliarum
„ Episcopi apud nos institerunt, ut easdem propositiones nobis ob-
„ latas expenderemus, ac de unaquaque earum certam & perspi-
„ cuam ferremus sententiam ". Relatis deinde quinque propositionibus addit. „ Pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardi-
„ nalibus ad id specialiter saepius congregatis, a pluribus in Sacra
„ Theologia Magistris easdem quinque propositiones nobis oblatas
„ fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia tum
„ voce tum scripto relata mature consideravimus, eosdemque ma-
„ gistros, variis coram nobis actis Congregationibus, prolixe super
„ eisdem ac super earum qualibet differentes audivimus ". Auditis propositiones examinatas: librum autem Iansenii minime. Sequitur paulo post damnatio in hunc modum.

„ 1.^am Praedictarum propositionum: *aliqua Dei praecepta, ho-*
„ *minibus iustis volentibus & conantibus secundum praesentes* quas
„ habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia qua pos-
„ sibilia fiant; temerariam, impiam, blasphemam, anathemate dam-
„ natam & haereticam declaramus, & uti talem damnamus ".

„ 2.^am *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resi-*
„ *stitur;* haereticam declaramus & uti talem damnamus ".

„ 3.^am *Ad merendum & demerendum in statu naturae lapsae*
„ *non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit* liber-
„ tas a coactione; haereticam declaramus & uti talem damnamus ".

„ 4.^am *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interio-*

„ *ris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei; & in*
„ *hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui*
„ *posset humana voluntas resistere vel obtemperare;* falsam & haere-
„ ticam declaramus & uti talem damnamus ".

„ 5.am *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus* omni-
„ no hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse, falsam, te-
„ merariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro
„ salute duntaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphe-
„ mam, contumeliosam, divinae pietati derogantem & haereticam
„ declaramus, & uti talem damnamus ".

In fine demum Constitutionis addit: „ non intendentes tamen
„ per illam declarationem & definitionem super praedictis quinque
„ propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quae
„ continentur in praedicto libro Cornelii Iansenii ".

Augustini doctrinae non nocet, nec Iesuitis favet.

Emissâ semel Bullâ, nihil amplius Augustinianos Doctores Romae detinebat. Admissi sunt igitur 13. Iunii per Oratorem Regis Christianissimi S. Pontifici valedicturi. „ Honorificentissimis verbis „ eos prosecuta est sua Sanctitas ", ait ipsemet Orator in Epistola ad Comitem de Brienne Regi ab interioribus secretis data 16. Iunii „ S. Augustini & S. Thomae doctrinam, nec non efficacis „ gratiae dogma Decreto suo minime damnari confirmavit; omnesque „ controversias eodem loco relictas dixit, quo sub Clemente „ VIII. & Paulo V. relictae sunt. Sed cum ipsimet declarassent „ de propositionibus vel Calvinistice, vel Pelagiane, vel Catholice „ sentiri posse; erroneas ac temerarias ideo iudicari debuisse, cum „ certo sensu haereticae essent. Omnis enim propositio in qua latere „ potest venenum populis instillari non debet .... Postremo „ Summus Pontifex illos collaudavit ac gratias egit ". Idem susius enarrant Sanct-Amorius Diarii Part. 6. Cap. 27. & caeteri Deputati in epistola quam tunc ad Praesules scripserunt (*ibidem*).

Non omiserunt Augustiniani tam honorifica verba totam per urbem suis amicis referre. Quod moleste ferens Hallerius, de illis apud S. Pontificem questus est; verum respondit S. Pontifex se quod dixerat vere ac mature dixisse, nec obstare quin efferretur in publicum; hoc responso declarabat quam alienus fuisset ab intentione condemnandi doctrinam gratiae per se ipsam efficacis. Et sane Generalis Dominicanorum asseruit in Epistola ad Priorem Cadomensem scripta sub finem anni 1653. „ Pontificem saepe & coram per-

Journal Part. 7. Cap. 5.

„ sonis omni exceptione maioribus vivae vocis oraculo declarasse „ propositionum examine vel censura nusquam doctrinam D. Augustini aut D. Thomae de gratia efficaci in dubium revocari, vel „ minimum attingi debere ". Hinc Iesuitis Collegii Romani Constitutione abutentibus ad stabiliendas opiniones Molinae, Innocentius X. per Cardinalem Barberinum illorum Generali praecepit, ut per omnes Sodalitii domos litteris vetaret, ne quis nova Bulla uteretur ad astruendum aliquid in Scholis controversum, vel ad imminuendam auctoritatem SS. Augustini & Thomae, impugnandamve doctrinam gratiae per se efficacis. Hoc factum ex Card. Barberini ore acceptum testatus est P. Petit Presbyter Oratorii Romani, in epistola ad Doctores Augustinianos scripta mense Iulio 1653. Ad haec omnia attendens eruditissimus Morinus, Iansenismi non suspectus, respondit P. Souvigio, qui ipsum circa novam Bullam consuluerat, „ *eam Iansenianis potius* favere quam Iesuitis; tum quia Ianseniani „ iam damnaverant propositiones in sensu haeretico; sensum autem „ adversariorum haereseos accusaverant, cum adversarii ausi non „ fuerint sensum illorum reprehendere; qua in re Pontifex non „ culpavit Doctores; tum quia Pontifex dixit Doctoribus; se noluisse damnare gratiae efficacis doctrinam, & ubi est Augustinus „ ibi esse Ecclesiam ". Ita Morinus. Ibid. Cap. 2.

Non distulit Innocentius X. Bullam suam in Galliam mittere cum duobus Brevibus, uno ad Regem, altero ad Praesules. Statim Rex Declaratione data significavit *velle se & iniungere*, ut ab omnibus Praesulibus Bulla reciperetur. Archiepiscopi & Episcopi, qui Parisiis agebant, numero triginta convenerunt apud Cardinalem Mazarinum, obtinueruntque, ut novae litterae darentur, in quibus sublato *iniungendi* verbo, dicit Rex *exhortari se & admonere*. Tunc Bulla omnium suffragiis recepta est 11. Iulii 1653. & die 15. litterae ab Illust. de Marca compositae missae sunt, aliae ad S. Pontificem, aliae ad absentes Praesules una cum prospectu mandati, ad Constitutionem uniformiter promulgandam. In Epistola ad S. Pontificem dicitur (quod tamen Bulla non dicit) *quinque propositiones excerptas esse e Cornelii Iansenii Iprensis Episcopi libro*. Omnes Episcopi Bullam in suis Dioecesibus publicarunt, sed nonnulli, ut Archipraesul Senonensis, Episcopus Bellovacensis & alii clausulam mandatis suis Pastoralibus inserendam putarunt, qua Augustini doctrinae auctoritatem intactam remansisse declarabant.

Bulla recipitur.

V. Dupin 17. *Siecle* Tom 2. pag. 255. & *Recuil historique des Bulles* pag. 83.

1.ª Augusti Bulla in Sorbonam, lata cum litteris Regis communi omnium Magistrorum consensu recepta est. Recepta est etiam a Doctoribus & Theologis Lovaniensibus die 3. Novembris. Recepta est demum ab omnibus fidelibus, nullo contradicente, atque ab eis ipsis, qui Ianseniani dicebantur, ut testis est non suspectus auctor historiae quinque propositionum. „ Bulla emissa “, inquit, „ nemo, exceptis Calvinianis, quinque propositiones asseruit: sed qui „ eas prius (aliquo sensu) defenderant, damnationi simpliciter „ subscribentes, negarunt tantum doctrinam Iansenii illis contineri “. Enim vero quamvis illi Theologi quinque propositiones sincere damnarent, duo tamen in Bulla desiderabant. Primum distinctionem diversorum sensuum, quam ab exordio veluti absolute necessariam postulaverant; metuentes nimirum, nec sine fundamento, ut eventus monstravit, ne circa damnatum sensum novae contentiones orirentur, multique damnatione quinque propositionum abuterentur ad firmanda novitia dogmata. Dolebant secundo quod Iansenii libro attributae essent illae propositiones, quas in eo nec expressis verbis, nec penes sensum extare credebant. Verum haec momenta non obstiterunt, quin Bullam reciperent. Non primum; quia & si credebant doctrinam gratiae non satis liquido per Bullam exponi, cernebant tamen nihil falsi per eam definitum esse, eiusque sensum alioqui obscurum determinari partim declaratione multiplici S. Pontificis, qui asseruerat se nullo modo damnare voluisse doctrinam gratiae per se efficacis, partim consensu universae Ecclesiae doctrinam illam a censura vindicantis: non alterum, quia licet supponeretur in Bulla, quinque propositiones a Iansenio traditas esse, non tamen definiebatur.

Tom. 1. pag. 101.

Tertia aetas ab exordio disputationum circa factum Iansenii usque ad formularum inventionem, exactionemque subscriptionum.

Conventus Cleri Gallicani definit quinque propositiones esse excerptas e libro Iansenii & in eius sensu damnatas.

Quaestionem de facto Iansenii ex ipsa Bulla nascentem acriorem fecit D. De Marca, affirmando in Epistola ad Innocentium, a Praesulibus conventus subscripta *quinque propositiones excerptas esse ex Iansenii libro*. Cum enim propositio ex libro excerpi non possit, nisi quae verbis totidem in eo extat, quinque autem propositiones, si primam exceperis non reperiantur saltem in terminis in

Ianſenii *Auguſtino*, Diſputatio nata eſt, quae tamen facile ſopiri potuiſſet, ſi de re nullius ad fidem momenti ſilentium fuiſſet impoſitum, aut conceſſa facultas de illo facto ſentiendi, ut voluiſſet, aut ſaltem dubitandi. Sed pacis inimici ſumpta inde occaſione nova bella concitarunt, & pro facto nullius momenti quaſi pro aris & focis decertantes Eccleſiam Gallicam turbis impleverunt 38. Epiſcopi Pariſiis agentes iterum convocantur in Lupara apud Card. Mazarinum 9. Martii 1654. nominantur octo Commiſſarii, Archiepiſcopi Turonenſis, Ebrudenenſis, Rothomagenſis, & Toloſanus, & Epiſcopi Auguſtodunenſis, Montis Albani, Rhedonenſis, & Carnutenſis, qui collatis quinque propoſitionibus cum aliquot textibus libri Ianſenii, retulerunt 26. eiuſdem menſis (abſente Archiepiſcopo Turonenſi qui Collegarum ſententiam non approbabat). Duo a ſe decem in ſeſſionibus examinata fuiſſe: 1.um An quinque propoſitiones ex Ianſenii libro excerptae eſſent? Alterum quonam in ſenſu damnatae? Circa primum dixerunt quinque propoſitiones ex Ianſenii libro excerptas eſſe; 1. quia Bulla id dicit; 2. quia Epiſcopi, qui illarum damnationem ab Innocentio poſtulaverant, idem ſuppoſuerant; 3. quia Praeſules, qui anno praecedente convocati fuerant, in Epiſtola ad S. Pontificem (cuius auctor D. De Marca) affirmaverant propoſitiones excerptas fuiſſe e libro Ianſenii; 4. quia eiſdem cum textibus Ianſenii collatis, facti veritatem cognoverant.

Circa 2.um Caput dixerunt non dubium eſſe, quin quinque propoſitiones damnatae fuerint in ſenſu proprio, hunc autem eſſe ſenſum Ianſenii. Diſſenſit a caeteris Commiſſarius Praeſul Auguſtodunenſis. Audita relatione Commiſſariorum nonnulli Epiſcopi dixerunt defenſores Ianſenii ultro paratos eſſe damnare quinque propoſitiones in omni ſenſu ab Eccleſia damnato, ſed affirmare non poſſe ſenſum illum haereticum traditum eſſe a Ianſenio. Remiſſa eſt deliberatio ad diem 28. ut interim Commiſſarii conferrent propoſitiones cum locis Ianſenii, quae ab eius defenſoribus proferebantur. Extracta utriuſque generis, tum quae ab accuſatoribus, tum quae a defenſoribus Ianſenii oblata fuerant, in comitiis lecta ſunt, declaratumque fuit quinque propoſitiones excerptas eſſe ex Ianſenio, & in eius ſenſu, qui proprius propoſitionum, damnatas. Archiepiſcopi Senonenſis & Burdigalenſis, & Epiſcopi Valentienſis, Convenarum & Bellovacenſis obſtiterunt, ne quid declararetur praeter id quod in Bulla exprimitur. Sed praevalente numero ſuffragiorum, Senonenſis

& Praeſul Convenarum ſubſcripſerunt rati in re ad fidem non pertinente ſubſcriptionem non eſſe indicium conſenſus, ſed ut in Curiis, merum pluralitatis ſuffragiorum teſtimonium. Caeterum in acta Comitiorum relata non ſunt loca Ianſenii, quae fidem fecerant quinque propoſitiones iu ipſius libro contineri.

Obtulerant inſuper Commiſſarii expoſitionem doctrinae tenendae quinque articulis comprehenſam, & Molinianis dogmatibus non abſimilem. Sed huiuſmodi Commentarium reſpuit conventus.

D. De Marca Archiepiſcopo Toloſano nominato ut ad Summum Pontificem, Carnotenſi ut ad abſentes Galliae Praeſules ſcriberet iniunctum eſt. In Epiſtola ad Innocentium ſic deſcribuntur

Vid. Recueil hiſtoriq. des Bulles pag. 116.

Ianſenii defenſores: „ Quinque propoſitiones Decreto illo proſcriptas damnare ſe quoque profitentur; ſed alio plane ſenſu quam „ qui a Ianſenio traditus & explicatus eſt; ad quem propoſitiones „ illas nullatenus pertinere conſtantiſſime aſſerunt. Hac arte reſtaurandis diſputationibus iiſdem ſibi locum apertum relinquere parant „ & redivivae litis prolixam materiam ". Quam inique haec de Auguſtini Diſcipulis ſiniſtra opinio Praeſulum mentibus a malevolis impreſſa fuerit ſequentia demonſtrabunt.

Epiſtola ſic proſequitur: „ Quare ut illis incommodis praeverteretur, & Conſtitutioni auctoritas ſua conſtaret, atque ſincera eius executio ſequeretur, nos in hac urbe Pariſienſi congregati cenſuimus & . . . declaravimus propoſitiones illas & opiniones „ eſſe Cornelii Ianſenii & in eiuſdem Ianſenii ſenſu a Sanctitate „ veſtra damnatas diſertis & manifeſtis verbis ". Et in Epiſtola ad Epiſcopos abſentes, cuius tranſumptum Romam miſſum eſt;

Recueil hiſtorique des Bulles pag. 112.

„ Mirari ſatis non poſſumus ", inquiunt, „ homines illos affirmare immo & perſuadere aliis velle res duas vanas omnino atque „ inanes: alteram, quinque illas propoſitiones non eſſe Ianſenii; „ alteram, damnatas eſſe eo in ſenſu, qui ad Ianſenium nihil pertineat. Poteſt enim quidquam eſſe abſurdius, quam tueri id velle, „ cui refellendo, revincendoque nihil opus ſit rationibus, nihil „ diſquiſitione etiam mediocri aut levi, ſed ſola Pontificiae Conſtitutionis, quae per ſe ipſam rem totam aperte dirimit lectione "? Multi tamen exiſtimabunt multo conſultius futurum fuiſſe, perſpicuis Ianſenii verbis rem manifeſtam reddere, quam factum obſcurum & controverſum adſtruere per eam Conſtitutionem, quae praeterquam quod errori circa facti quaeſtionem obnoxia eſt, illud ſuppo-

nit verius quam decernit dirimere. Addunt, Commiſſariis a ſe nominatis „ ex ipſa Conſtitutionis lectione atque inſuper ex opere „ Ianſeniano, quod etiam, quantum ad quinque illas propoſitiones „ attinet, ſtudioſe legerunt expenderuntque (quanquam ſola per ſe „ ad id ſufficiat conſtitutio) manifeſtum & perſpectum fuit quin- „ que propoſitiones vere eſſe Ianſenii & damnatas eſſe in vero & „ proprio verborum ſenſu, & eo plane quo a Ianſenio traduntur & „ explicantur. Atque cum id ipſi ad nos, ſcilicet in unum rurſus „ congregatos retuliſſent, & a nobis quoque idem cognitum & ex- „ ploratum fuiſſet; declaravimus & hoc noſtro iudicio declaramus, „ rem plane ita ſe habere & nullum eſſe dubitandi locum". Rem procul dubio omnibus gratam & compeſcendis motibus perutilem egiſſent ſi quis nam ſit ille verus ac proprius ſenſus propoſitionum a Ianſenio traditus & explicatus determinare ſtuduiſſent: ſed ab hoc labore ſuperſedere, commodius viſum eſt: maxime cum ipſi de ſenſu damnato non conſentirent, ut vel ex eo demonſtratur, quod doctrinae proſpectus a Commiſſariis oblatus, caeteris diſplicuerit.

Eorum ſtudio non ſatisfacit Innocentius.

Ambae illae Epiſtolae miſſae ſunt ad Epiſcopum Lodevenſem, qui tunc Romae agebat, & per ipſum Summo Pontifici redditae 24. Maii 1654. Reſponſionem diſtulit Summus Pontifex uſque ad 29. Septembris, eoque tempore dato Brevi, Praeſulum quidem pro ſuae Bullae executione zelum maxime collaudavit, at de Ianſenii facto ieiune admodum, & opinando potius quam affirmando locutus eſt, quaſi inſinuare volens, ſibi non placuiſſe, quod in eo tantopere inſtitiſſent. „ Iucundum ſane accidit", inquit „ probari nobis „ luculentius veſtrae pietatis zelum in iis partibus obeundis, quas „ nos omnibus Paſtoralis officii adminiſtris iniunximus, ut, qua „ par eſt obedientia, ubique ſervari enixe curent Conſtitutionem „ noſtram, qua, die 31. Martii 1653. damnavimus in quinque pro- „ poſitionibus Cornelii Ianſenii doctrinam in eius libro contentam, „ cui titulus, *Auguſtinus*". Ambiguum eſt an haec verba, Cornelii Ianſenii referantur ad vocem praecedentem propoſitionibus; an ad ſubſequentem, doctrinam. Quidquid ſit certe Innocentius X. non ſatisfecit zelo Epiſcoporum poſtulantium ut expreſſe definiretur propoſitiones excerptas fuiſſe e libro Ianſenii & in eius ſenſu damnatas. Adde quod refertur in actis Comitiorum anni 1656., Epiſcopum Lodevenſem palam retuliſſe, Innocentium X. ſibi declaraſſe, „ ſe nec perſonam Ianſenii, nec facti quaeſtionem attingere vo-

„ luiſſe, ut ſcilicet cavillationes declinaret occurreretque quaeſtionibus quae eam ob rem moveri potuiſſent; nec neceſſarium exiſtimaſſe id definire. Caeterum ſe in Bulla ſua ſatis aperte iuſinuaſſe mentem ſuam eſſe quinque propoſitiones libro Ianſenii contineri ". Hinc in Brevi miſſo 21. Martii 1654. ad Tutelenſem Epiſcopum, ſic loquitur ipſemet Innocentius; „ propoſitiones quae ex Cornelii Ianſenii libris excerptae eſſe videbantur ".

Mirati ſunt conventus Praeſules Summum Pontificem tam frigide ſtudiis ſuis reſpondiſſe; nihilominus Card. Mazarinus Epiſcopos quindecim in Lupara congregavit 15. Ianuarii 1655. ut illud Breve qualecumque erat ad omnes Epiſcopos mitteretur. Quoniam vero publicari non poterat, utpote quod nonnulla contineret libertatibus noſtris contraria, & in Commentarios ſupremarum Curiarum relatum non eſſet, Praeſules formulam fecere, qua omnes profiteri tenerentur, ſe damnare quinque propoſitiones Ianſenii in eius libro contentas, collegaſque ſuos litteris hortati ſunt, ut huic formulae ab omnibus Capitulis, Parochis, Univerſitatumque Rectoribus ſubſcribi curarent. Verum plerique Epiſcopi adeo inuſitatam agendi rationem improbarunt, formulamque ſpreverunt. Interim e vivis erepto Innocentio X. ſucceſſit 7. Aprilis 1635. Chiggius, dictus Alexander VII.

Anno 1655. quidam Parochiae San-Sulpitii Presbyter abſolutionem denegavit Clariſſimo Duci *De Liancourt*, eo quod filiolam ſuam e Portu-Regienſi Monaſterio, ubi educabatur, abſtrahere, amicitiamque quam cum Theologis eo in ſeceſſu degentibus ſovebat, abrumpere nollet, eiuſque factum Parochus probavit & confirmavit. Conſultus ea de re Antouius Arnaldus Doctor & Socius, Confeſſarii factum coarguit Epiſtola Scripta 24. Februarii, quae cum plurimis Scriptis impugnaretur, alteram ſcripſit 10. Iulii ad Ducem (De Luynes) & Parem Franciae. In hac multis argumentis probavit S. Petrum quo tempore cecidit, non habuiſſe omnem gratiam ad vincendam iuſtantem tentationem neceſſariam, ſicque concludebat: „ Interea vir illuſtriſſime, veritas haec magna per Evangelium conſtituta & SS. Patrum auctoritate confirmata, qui nobis in B. Petro exhibent hominem iuſtum, cui gratia ſine qua nihil poſſumus, in ea deſuit occaſione, in qua non peccaſſe dici non poteſt, ſtatim evaſit in Calvinianam haereſim ſiqua Molinae Sectatoribus fides ". Definiebat inſuper, eos qui cum quin-

que

que propositiones ex animo damnent, adduci non possunt ut credant eas in libro Iansenii contineri, haereticos non esse, nec dignos quibus absolutio sit neganda; maxime si consentiant se se obligare ad silentium obsequiosum, quod est maximum submissionis genus ipsis Conciliis oecumenicis debitum quo ad huiusmodi facta particularia.

Cum his duobus adversariorum animos irritari cerneret Arnaldus, ad Alexandrum VII. S. Pontificem scripsit 27. Augusti factum exponens, eiusque aequitatem implorans; verum id non obstitit quominus altera eius Epistola ad Facultatem Parisiensem deferretur 4. Novembris.

Arnaldus natus 6. Februarii 1612. ex illustri familia, quam singularis in Deum & patriam pietas magis quam tituli commendabant, totam S. Augustini de gratia doctrinam, maxime quantum ad gratiae utriusque status discrimen, summo omnium & Cleri qui frequens aderat applausu defendit anno 1635. in Thesi quam Tentativam vocant, sex integris annis antequam liber Iansenii ederetur. Factus Doctor, ob singularem doctrinae copiam in Societatem Sorbonicae domus praeter morem & statuta, postulante ipsa domo, maximo cum honore ipsi soli hactenus concesso adscitus est. Talis erat Antonius Arnaldus, quem doctissimorum Scriptorum multitudo, susceptique contra inimicos gratiae, contra moralis Evangelicae depravatores, & contra heterodoxos pro tuenda catholica doctrina labores celeberrimum etiam apud exteras gentes reddiderunt.

Delata, ut diximus, eius Epistola, nominati sunt (reclamantibus licet multis Doctoribus, eo quod Arnaldus caussam suam ad Sedem Apostolicam retulisset) MM. *Chapelas*, *Cornet*, *Le Moyne*, *De Breda*, *Bail*, & Pater *Nicolaï*, qui omnes Arnaldo aperte infensi erant, ut de hoc negotio ad proxima Comitia referrent. Doctores supra 60. libello supplici postularunt a supremo Senatu, 16. Novembris.
ut conclusio irrita declararetur, questique sunt, quod multo plures Regulares suffragia in Comitiis dedissent, quam sinerent Facultatis statuta. Appellavit quoque abusus nomine Arnaldus, conquerens maxime quod Doctores sibi aperte infensi in Deputatos nominati essent. Senatus iudicavit Epistolam examinatum iri per Deputatos 29. Novembris.
a Facultate nominatos. Regulares autem in Curia vocatum iri, ut de eis quod aequum foret decerneretur. Verum hoc ultimum effectu caruit.

F

Causa Arnaldina pag. 26.

Arnaldus litteras ad Facultatem scripsit 1. Decembris, postulans, ut quae in Epistola sua reprehensione digna videbantur, sibi indicaret. His, aliquibus licet obsistentibus, perlectis, Deputati dixerunt se duo reprehendenda in illa Epistola reperisse. Primum (quod quaestionem facti appellabant) quod diceret quinque propositiones a S. Pontifice damnatas non reperiri in Iansenio; & illos, qui lecto Iansenii libro eas minime repererant, non posse contra conscientiam affirmare eas in illo contineri : alterum (quod iuris quaestionem vocabant) quod in praedicta Epistola doceretur *Gratiam, sine qua nihil fieri potest, iusto in persona S. Petri defuisse ea in occasione, in qua dici non potest non peccasse*. Concessum est Arnaldo ut 7. Decembris Comitiis adesset, tantum mentem suam sincere ac simpliciter aperturus, non disputaturus. De hac conditione, qua se ipsum defendendi copia ei negabatur, conquestus est Arnaldus altera Epistola, quam 7. Decembris ad Facultatem misit, una cum brevi Scripto, quo propositionem suam SS. Chrysostomi & Augustini testimoniis e regione appositis vindicabat hoc pacto.

Ibid. pag. 30.

Augustinus in Epistola laudatus pag. 220.	*Propositio Arnaldi in Epistola pag. 226.*	*Chrysostomus in Epistola laudatus pag. 226.*
Quid est enim homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cum negaret Christum? Et ideo B. Petrum paululum Dominus subdeseruit; ut in illo totum hominum genus posset agnoscere nihil se sine Dei gratia praevalere.	Sancti Patres nobis in Petro exhibent hominem iustum, cui gratia sine qua nihil fieri potest, defuit in ea occasione, in qua non potest dici non peccasse.	Casus Petri non frigiditate sed superni auxilii derelictu contigit . . . Illa negatio non tam erat socordiae & negligentiae, quam ex eo quod eum Deus deseruerat erudiens eum, ut humanam sciret mensuram . . . & sciret quod absque Deo nihil potest fieri.

Deinde tres in sua propositione partes distinguebat: 1.ª est, *Gratiam Petro defuisse cum tentatione pulsatus negavit Christum*. 2.ª *Est Petro defuisse gratiam sine qua nihil possumus, hoc est, sine qua propriae infirmitati relictus gravissimam illam tentationem superare non poterat, potentia scilicet proxima & expedita quae ab efficaci gratia est*. 3.ª *Est, Petrum antequam in tentationem caderet iustum fuisse;* singulisque partibus seorsim probatis, ostendebat propositionem suam a prima e damnatis propositionibus toto caelo differre.

Hoc Scriptum ſimulque Epiſtola Arnaldi lecta ſunt in Comitiis: deinde ad facti quaeſtionem ventum eſt. Quamobrem aliud Scriptum apparavit Arnaldus, miſitque ad Facultatem 10. Decembris. In huius fine ſtatum quaeſtionis exponebat hoc pacto: „ Agi„tur tantum de illa iuris Eccleſiaſtici quaeſtione: an qui dubitet „ de aliquo facto in Pontificia Conſtitutione expoſito, ob id unum „ cenſeri debeat haereticus & a Chriſti corpore ſegregatus. Negavi „ ego tot exemplorum auctoritate & omnium Theologorum con„ſenſione permotus. In re igitur ipſa nihil a me peccatum eſt: „ ac ne in verbis quidem, quae plane innoxia, & religioſa mode„ſtia plena, quivis profecto facile recognoſcit “. Hoc quoque Scriptum in Conventu lectum eſt; deinde deliberatum per multos dies, ſcilicet diebus 17. 18. 20. 22. 23. 24. 29. 30. 31. Decembris, & 5. 7. 8. 10. 11. 12. 13. & 14. Ianuarii ſequentis. Verum in tam longa deliberatione librum Ianſenii nullatenus examinaverunt, quamvis multi Doctores obſervaſſent id inprimis neceſſarium eſſe ad probandam veritatem facti. His deliberationibus a die 20. Decembris adfuit Regis nomine Seguierius Galliae Cancellarius. Demum 14. Ianuarii numeratis ſuffragiis, repertum eſt, 130. Doctores cenſuiſſe propoſitionem facti *eſſe temerariam, ſcandaloſam, iniurioſam Summo Pontifici & Epiſcopis Galliae, atque etiam praebere occaſionem renovandae ex integro poſt damnationem Ianſenii doctrinae* (obſervandum inter illas notas non poni notam falſitatis): caeteros numero 68. propoſitionem ab omni cenſura vindicaſſe. Ibid. pag. 48.

Decimo ſeptimo Ianuarii Arnaldus Apologeticum ad Facultatem miſit, ſimulque Epiſtolam in cuius capite hoc praemonebat; „ Ubicumque aio gratiam alicui deeſſe, ſine qua tentatio vinci non „ poteſt, de ea ſemper intelligi volo, ut ſaepe ſignificavi, quam „ proximam, immediatam, & expeditam Theologi appellant, & de „ ea tentationis victoria, quae ſalubris ſit & ſecundum Deum “. Apologeticum legere noluit Conventus; cumque Arnaldi defenſores inter deliberandum diutius loquerentur, quam adverſarii volebant, ſtatutum eſt, ne quis pluſquam ſeſquihora loqueretur. Hac inuſitata lege offenſi Doctores pluſquam 60., noluerunt deinceps adeſſe Comitiis, in quibus omnia iura tam aperte violabantur. Deliberatum eſt diebus 18. 19. 20. 21. 22. 24. 25. 26. 27. 28. & 29. Arnaldus ſentiens ad ſui damnationem omnia properare miſit die 27. *inſtrumentum ſeu libellum conteſtatorium*, in quo multis de cauſſis Ibid. pag. 145.

proteſtabatur adverſus ea quae agebantur, declarabatque ſe illa pro nullis habiturum. Verum nulla huius habita ratione numeratis die 29. ſuffragiis, cum 127. Magiſtri propoſitionem iuris damnarent ut *temerariam*, *impiam*, *blaſphemam*, *anathemate damnatam & haereticam*, novemque tantum pro Arnaldo ſtarent (nam, ut diximus, ſexaginta à Comitiis diſceſſerant), concluſum eſt, lectoque & approbato Cenſurae proſpectu ſtatutum, ut Arnaldus ni intra dies 15. Cenſurae acquieſceret e Doctorum Albo eraderetur; quibus elapſis reipſa expunctus eſt. Eiecti ſunt ſimul Doctores ferme 70. qui Cenſurae conſentire conſtanter detrectarunt, atque hos inter eruditus Launoïus Socius Navarricus, qui quamvis circa gratiam aliter ſentiret, oppreſſam in tanto viro Scholarum libertatem ingemuit, maluitque e Facultatis ſinu ſe quoque immerentem expelli, quam iniquae conſpirationi conſenſu ſuo vires addere. Scripſit etiam breves *notationes in Cenſuram*, & 27. argumentis probavit iniuſtam illam atque irritam eſſe. Statutum eſt quoque, neminem deinceps ad gradus vel munia Facultatis, niſi ſubſcripta Cenſura, admiſſum iri. Tali iudicio damnatus eſt & eiectus Arnaldus, quo nec abſolvi voluiſſet. Nec multo poſt nimirum 24. Martii a Sorbonica Societate expulſus eſt, & decretum, ut qui praedictae Cenſurae non ſubſcriberent pariter expellerentur.

Hac in Cenſura, cuius macula etiamnum perſeverat, cuique ab omnibus Baccalaureatus Candidatis ſubſcribitur, multa merito reprehenſa ſunt, ſive formam, ſive materiam ipſam ſpectes.

Huius Cenſurae vitia.

Contra formam haec potiſſimum notantur: 1.um quod in Deputatos electi ſint apertiſſimi adverſarii Arnaldi, quorum opiniones Scriptis impugnaverat, vel quibus cum alias lites habuerat. Porro repugnat iuri naturali, aequitatiſque legibus, ut quis iudicet inimicus, praeſertim recuſatus.

2.um Quod ſuffragii iure gaviſi ſint Doctores San-Sulpitiani, contra ius commune, quod prohibet ne quis iudicet in ſua cauſſa, cum ageretur de Scripto facto occaſione ſcandali a Presbytero San-Sulpitiano excitati. Nec dicant perſonam quidem Arnaldi ab illis iudicari non debuiſſe, doctrinam vero potuiſſe; nam praeter quam quod circa doctrinam ipſam erat illis cum Arnaldo diſceptatio, certe non doctrinam eius tantum modo, ſed etiam perſonam damnaverunt.

3.um Quod contra Facultatis Statuta Regulares ad minus 40. ſententiam tulerint.

4.^{um} Quod Arnaldus auditus non fuerit, eaque lege permissum illi sit ad Comitia accedere, ut non disputaret. Risu digni sunt qui respondent non decere gravitatem iudicum, ut cum reis disputent: quasi vero in iudiciis omnibus, maxime doctrinalibus, non liceat reo caussam suam, quibus potest momentis, defendere & ea diluere quae contra opponuntur.

5.^{um} Quod Arnaldi apologeticus circa propositionem iuris, in Comitiis lectus non fuerit.

6.^{um} Quod limitatum fuerit deliberandi tempus contra perpetuum Facultatis usum, maxime in ea quaestione disceptanda, quae nisi ex Scripturis, Conciliis, & SS. Patribus resolvi nequit. Nec dicant hoc ideo praescriptum, quia Arnaldi defensores tempus terebant; nam supponamus aliquos reipsa moras loquendo traxisse; idcirco ne absurdissima lex eo tempore sanciri debuit, quae caeteris praeiudicaret? Ubi vero agitur de damnando Collega, qualis fuit Arnaldus, non festinatione, sed maturitate opus est; ibique inprimis observare decet tritum adagium: sat cito, si sat bene.

7.^{um} Quod Cancellarius Regis nomine Comitiis adsuerit. Hoc enim suffragiorum libertatem imminuisse nemo non videt. At inquiunt: adfuit duntaxat ut turbas comprimeret, quemadmodum Iudices saeculares saepenumero Conciliis interfuerunt. Bene; hoc credamus, si omnia iuridice & legitima forma peracta sunt: at ubi iura omnia violantur, quis credat pacis caussa adiisse Regum Ministros, ac non potius, ut ad fortiorum arbitrium cuncta fiant?

8.^{um} Quod contra morem in Facultate usitatum & constantem, conclusum sit, cum plusquam tertia pars obsisteret. Nam e Magistris minus quam ducentis 72. obstiterunt. Porro Launoïus *notatione* 1.^{a} *in Censuram* & in tractatu de *Scholis celebrioribus* ex Cap. 60. & 61. probat Censuras omnes, quae pro legitimis habentur, factas esse concorditer, unanimi omnium voto & consensu, nemine repugnante & contradicente. Cum autem hoc generatim aequissimum sit, tum maxime debet observari, ubi de doctrina agitur, quae una apud omnes esse debet. Unde idem Launoïus, *notatione* 7.^{a} *in Censuram*, ait Theologorum sententias, nisi unanimes sint, non conficere argumentum; quia fieri potest, ut maior pars meliorem vincat, a qua rationum pondere superatur: laudatque hanc in rem Canum lib. 8. de locis Theologicis Cap. 4. Concl. 6. Dominicum Bañez in 2.^{am} partem quaest. 1. Art. 8. dub. 3. Concl. 1. Christophorum Gillium Tom. 7. lib. 1. de locis Cap. 13. num. 2.

Certe in Conciliis ipsis Generalibus, nihil circa fidem, nisi ex concordi unanimitate pronunciatur; ut alibi probavimus: quanto magis id servandum est in conventibus Doctorum, qui non definitivum sed doctrinale tantum iudicium ferunt?

9.um Quod Doctorum contradicentium mentio in Censura non facta fuerit. Solemnis enim mos est Facultatis, quemadmodum probat Launoïus ibid. notat. 2.a ut si qui dissentiant, eorum numerus in conclusione exprimatur, ne lectores in errorem inducantur, existimando omnibus visum esse, quod maiori tantum parti visum fuerit. Cur autem in Censura Arnaldi hoc omissum fuerit in promptu est, quia videlicet ridendos se praebuissent Arnaldi adversarii, si dixissent omnes ita sensisse, exceptis 72. Magistris.

10.um Quod Censurae auctores coegerint tot Collegas suos iudicio a se lato assentiri, renitentesque ac reluctantes a coetu suo expulerint: hoc enim quid aliud est quam alienae fidei tyrannice dominari? Talis agendi ratio eo est iniustior, quod Doctorum iudicium, etiamsi concors fuerit, non sit irreformabile: quanto magis ubi tot graves viri reclamant.

11.um Quod omnes aspirantes ad gradus & munia Facultatis obligaverint ad subscribendum; quod ne in rebus quidem certissimis & maximi momenti fieri solet. Dicentne licitum esse cuilibet Societati leges subditis suis imponere? Fateor: sed illae leges debent ad rationis normam exigi, & tales esse, quae conscientiam non torqueant, nec offendiculum sint infirmis, mentiendique occasio.

Hactenus de forma: nunc de materia dicendum, quae duplex est: una facti, altera iuris. Utramque male iudicatam esse haec momenta demonstrant. Propositio facti male dicitur *temeraria*, ut observat Launoïus notat. 15.a & seqq. quia legitima subsunt fundamenta dubitandi, an Iansenii errores quinque propositionum docuerit: male *iniuriosa Summo Pontifici*, quia verum est Summum Pontificem & Episcopos falli posse circa facta, ut deinceps ostendemus; male *scandalosa*, cum Theologi quotidie in dubium revocent facta Theodoreti, Honorii &c. in Conciliis Generalibus definita, nec idcirco scandali arguantur.

Iuris quoque propositio immerito damnata est. Nam 1. ipsis SS. Augustini & Chrysostomi verbis exprimitur ut supra ex Arnaldo retulimus; & alibi demonstrabimus plurimis SS. Patrum & Theologorum testimoniis, recte dici nihil fieri posse (potentia

ſcilicet proxima & expedita, complectenteque omnia ad agendum neceſſaria ut toties Arnaldus expoſuit) ſine gratia efficaci; eamque gratiam aliquibus iuſtis, dum urget tentatio, non adeſſe. 2. Vel Arnaldina propoſitio in ſe damnata eſt tanquam male enunciata, vel relative ad ſenſum auctoris. Si prius iniuſtum eſt ſub auctoris catholici nomine damnare propoſitionem catholico ſenſu ab eo traditam: iniuſtius ipſum auctorem dicta ſua catholice exponentem damnare. Si poſterius: Ergo damnata eſt propoſitio in ſenſu Thomiſtarum, quem unum in ſuis expoſitionibus & apologeticis defendit Arnaldus; quod ſine ingenti piaculo fieri non potuit. Tunc igitur Arnaldo contigit, quod olim S. Chryſoſtomo & aliis bene multis, nempe factione inimicorum obrui. Illudque advertendum, eum non ante ab aemulis oppreſſum, quam Facultatis libertas oppreſſa geruiſſet. Hiuc tempore Clementis IX. Arnaldus una cum quatuor Praeſulibus, pace potitus eſt abſque ulla ſuarum propoſitionum retractatione aut nova expoſitione. Nemo ei litem propter Cenſuram movit; nemo ad revocandam Epiſtolam ſuam coegit: non Summus Pontifex, non eius Nuncius, non Pariſienſis Archipraeſul Perefixius; licet dubitari non poſſit, quin auctores Cenſurae mentionem illius ſaepe ingeſſerint. Adeo illa habita eſt velut irrita & aperte iniqua! Fruſtra reſpondent Arnaldum illuſiſſe S. Pontifici, Clementemque IX. exiſtimaſſe illum mutaſſe mentem. Nam in re tanti momenti, mentis mutatio non ſupponitur, ſed exigitur; non gratis creditur, ſed certis argumentis probatur. Cur ergo Arnaldo praeceptum non eſt, antequam pacis beneficio gauderet, ut propoſitionem eiuraret, niſi quia per factionem damnata viſa fuit?

Nulla huius Cenſurae habita eſt a Summis Pontificibus & Epiſcopis ratio.

At inquiunt, hoc ipſo propoſitionem ſuam eiuravit, quod ſubſcripſit damnationi quinque propoſitionum. Quaſi vero tempore Cenſurae aperte non declaraſſet ſe illas ſincere damnare? Quaſi palam non oſtendiſſet propoſitionem ſuam a prima e damnatis diverſam eſſe? Aliud igitur quam damnatio quinque propoſitionum ei praeſcribi debuit, ſi Pontifex & Epiſcopi propoſitionem eius pro legitime damnata habuiſſent.

Et certe cum anno *1669.* edidit Arnaldus grande opus *de perpetuitate fidei*, effuſae laudes ei tanquam Doctori valde catholico datae ſunt a 27. Archiepiſcopis & Epiſcopis, & a 24. Doctoribus libri approbatoribus; quorum plures eum Doctoris Sorbonici titulo decorare non dubitarunt. Ipſimet SS. Pontifices Arnaldum in

pretio semper habuerunt. Clemens X. optavit ut exemplar libri *de perpetuitate fidei* ad se mitteret. Innocentius XI. proposuerat in Cardinalium Collegium eum cooptare, modo pro Romanae Curiae opinionibus scribere consentiret: eiusque nomine Cardinalis Cibo litteras ad Arnaldum scripsit benevolentia plenissimas, in quibus eum Doctorem Sorbonicum appellat. Alexander VIII. dum Cardinalis esset, suum ei favorem litteris promisit, tristemque tanti viri statum deflevit. Ex his omnibus manifestum est Censuram in Arnaldum latam ipsius nomen apud Ecclesiae Proceres obscurare non potuisse.

Satisfit argumentis.

Opponunt 1. Facultatis Parisiensis iudicium, his omnibus praeponderare. 2. Hoc iudicium confirmatum esse ab innumeris Doctoribus & Baccalaureis, qui ab annis 80. Censurae subscripserunt. 3. Iniquum esse tot graves & pios viros damnare, ut unus homo, isque damnatus absolvatur. 4. Licuisse Arnaldo ius suum, si quod habuisset prosequi apud Summum Pontificem aut alia Tribunalia; quod cum non fecerit maxime tempore pacis Clementinae, quo omnia ex voto ei succedebant, certum indicium esse illum caussae suae non confidisse.

Respondeo ad 1.um suffragium Doctorum fere 80. qui cum Arnaldo expelli maluerunt quam Censurae acquiescere, tanti esse apud aequos rerum aestimatores ponderis, ut damnantium numerum longe superet, si quidem illi nullius commodi temporalis spe, sed solo veritatis amore duci potuerunt; hi vero partim veteri odio, partim anticipatis Molinae opinionibus, partim metu vel spe ad condemnandum Arnaldum impelli facile potuerunt.. Plurima sunt in antiquitate exempla factionum potentium, in quibus melior pars a maiore victa sit. Certe adeo non miror Arnaldi inimicos in mala caussa praevaluisse; ut potius mirer, prout vulgo sunt homines, tot veritatis amantes pro illo fortiter & perseveranter stetisse.

Ad 2.um Respondeo nihil esse in extortis Censurae subscriptionibus, unde illius aequitas probari queat. Quis enim nescit inter Candidatos, qui subscribunt, alios parandis examinibus ac Thesi unice intentos, nescire qualis sit Censura cuius subscriptio ab ipsis exigitur, immo nescire plerumque cui rei subscribant; atque ideo subscribere, quia praesumunt nihil nisi iustum a Laureatis Magistris exigi: alios audivisse quidem Censuram illam a viris doctis & piis improbari, sed graduum adipiscendorum amore, aut parentum, qui

summis

ſummis eorum ſtudia promoverunt, metu & reverentia caecatos, nolle intelligere, ut bene agant & numero ſubſcribentium ſtimulos conſcientiae comprimere; quaſi propterea non peccent aut venialiter peccent, quia cum multis peccant; alios etiam eſſe, qui cum probe ſciant Cenſuram iniquam eſſe, Doctoratus gloriam & commoda veritati anteponunt; pauciſſimoſque eſſe, qui ex animo & praevia matura deliberatione ſubſcribant. Hinc multos reperire eſt, qui adeptis gradibus ſubſcriptionem a ſe datam vehementer doleant, vellentque non datam. Sane quid Facultas de illa Cenſura ſentiat, & quid, ſi deliberandi libertas daretur, decerneret, evidenter demonſtrat quod factum eſt anno 1717. Cum enim D. Bourer Baccalaureus inter reſpondendum dixiſſet Cenſuram latam contra Arnaldum haberi non poſſe ut verum Facultatis opus; duodecim Deputati unanimi conſenſu iudicarunt rem ita eſſe, ac proinde exigi deinceps non debere a Candidatis, ut ei ſubſcriberent; Facultaſque in hanc ſententiam lubentiſſime conceſſiſſet, niſi iuſſa Regia omnem ea de re deliberationem impediviſſent. At tamen certum eſt, omnes Candidatos, quibus ea ſubſcriptio ſcrupulos movebat, ab illius onere per aliquot annos, hoc eſt, quamdiu liberum fuit, levatos fuiſſe.

Ad 3.um dico non ſolum Arnaldum, ſed omnes, qui cum illo expulſi ſunt, viros doctos & pios, immo veritatem ipſam, cui, ut ait Tertullianus, nihil praeſcribere poteſt, in eis inique damnatam, a nobis defendi. Aliunde quis excuſet eos, qui Cenſurae, cuius aequitas ſibi comperta non ſit, quales ſunt plerique ſubſcribentium, ſubſcribere non verentur? Certe non tam eos damnamus, quam ipſi ſe ipſos damnant, cum cognita poſtea veritate, fatentur ſe temere ſubſcripſiſſe.

Ad 4.um reſpondeo idcirco Arnaldum ſui reſtitutionem proſecutum non eſſe tempore pacis per Clementem IX. conceſſae, quia eius adverſariis pacem illam moleſte ferentibus, hoc ſolatium dari placuit, ut ea cauſſa non retractaretur, quemadmodum poſtea narrabimus. Revera portento ſimile eſt, Arnaldo tunc a Rege, ab Archipraeſule, a Nuncio Apoſtolico ſummo cum plauſu excepto, tanquam valde catholico, obtinuiſſe tamen Regis Confeſſarium, ut Cenſurae negotium non moveretur. Legi poſſunt circa hanc Cenſuram *hiſtoria* quinque propoſitionum, Tom. I. *Cauſſae Arnaldinae*, Vita Arnaldi Gallice ſcripta, primae ad Provincialem Epiſtolae, & inter Epiſtolas Arnaldi 25.a, 26.a, 27.a, 28.a, 37.a, & 46.a.

Alexander VII. a 40. Galliae Episcopis impulsus definit factum Ianfenii.

Hoc anno 1656. habita sunt comitia Cleri Gallicani. Aderant 40. Archiepiscopi & Episcopi. D. De Marca Archiepiscopus Tolosanus retulit quae acta fuerant in Lupara annis 1653. & 1654. Deinde sermone obscuro & intricato factum cum iure insolubili nexu coniungens, dixit Pontificiae decisionis auctoritatem ad iuris quaestionem restrictam fuisse. Postridie receptum est Breve Innocentii X. & confirmata sunt absque novo facti examine quae superioribus annis gesta fuerant. Condita est etiam formula ab omnibus intra mensem subscribenda, cuius hic tenor est. „ Ego sincere me submitto Constitutioni SS. Pontificis Innocentii X. datae 31. Martii „ 1653. iuxta verum illius sensum expositum a Conventu Illustriss. „ DD. Episcoporum Gallicanorum habito 24. Martii 1654. & „ confirmatum per Sanctitatis suae Breve datum 29. Septembris „ eiusdem anni. Profiteor teneri me Constitutioni parere, damnoque corde & ore doctrinam quinque propositionum Cornelii Iansenii contentam in eius libro, cui titulus, *Augustinus*, quam „ Pontifex & Episcopi damnaverunt: quae tamen non est doctrina „ S. Augustini, quam Iansenius male exposuit contra veram S. Augustini mentem ". Archiepiscopus Senonensis, qui hactenus plane non consenserat quinque propositiones in Iansenii libro contineri, his in comitiis Collegarum incitamentis atque minis cessit. In Deliberationum, relatione quam D. De Marca, iubente Conventu, confecit opinionem suam de facti & iuris inseparabilitate non omisit; sed nullo argumento probavit quinque propositiones extare in Iansenio.

Recueil histor. des Bulles pag. 133.

Composuit etiam prospectum Epistolae ad Alexandrum VII. mittendae, in qua Praesules inter alia haec dicunt: „ Promulgatum a „ Gallicanis Episcopis Decretum studiose amplexi sunt fideles po„ puli, demptis paucis, qui de Iansenii doctrina nihil constitutum „ fuisse palam cum simularent, intimis animorum sensibus ex illius „ damnatione urebantur. Horum cavillationes sine mora compri„ mendas rati, iudicio suo decreverunt religiosissimi Episcopi quin„ que propositiones illas ad Iansenium pertinere, eiusque opiniones „ fuisse proscriptas ". Addunt hoc Decretum ab Innocentio X. approbatum esse, eiusque Breve suis omnium subscriptionibus receptum. Tum; „ Iisdem (ac Pelagiani) artibus grassantur novae „ sectae Discipuli; ac praeterea ut a capitibus suis fulminis Apo„ stolici amoliantur ictum (licet obfirmato animo quinque propo„ sitiones Iansenio iterum abiudicent) ad facti quaestionem, in qua

„ Ecclesiam falli posse docent, controversiam deducere nituntur:
„ quas ingeniorum versutias vera prudentique verborum complexio-
„ ne infregit Breve Apostolicum, quod „ tricis illis sillabarum ad
„ umbratiles Scholarum disputationes relegatis, decisionisque aucto-
„ ritate ad iuris quaestionem restricta (notate iterum inseparabili-
„ tatem iuris & facti ambagibus involutam) doctrinam Iansenii,
„ quam opere illo suo explicuit, in propositionum confixarum
„ materia Pontificia Constitutione damnatam fuisse declarat “.

His litteris acceptis Alexander VII. Bullam dedit *16.* Octobris Decessoris sui Bullae confirmatricem. Sic autem in ea loquitur: 1656.
„ Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii, praedi-
„ ctas quinque propositiones, vel in libro praedicto eiusdem Cor-
„ nelii Iansenii non reperiri, vel fictas & pro arbitrio compositas
„ esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, assere-
„ re magno cum Christi fidelium scandalo non reformident; Nos,
„ qui omnia quae in hac re gesta sunt sufficienter & aperte perspe-
„ ximus, utpote qui eiusdem Innocentii praedecessoris iussu . . .
„ omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica au-
„ ctoritate eadem caussa discussa est, ea profecto diligentia qua
„ maior desiderari non posset; quamcumque dubitationem super
„ praemissis in posterum auferre volentes . . . . ex debito nostro
„ Pastoralis officii ac matura deliberatione praeinsertam Innocentii
„ praedecessoris nostri Constitutionem, declarationem, & definitio-
„ nem harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus; &
„ quinque illas propositiones ex libro praememorati CorneliiIanse-
„ nii Episcopi Iprensis, cui titulus *Augustinus*, excerptas, ac in
„ sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse declaramus ac
„ definimus “.

Quaedam circa hanc Constitutionem observantur.

Hac Bulla nihil novi definire voluit Summus Pontifex; alioquin novum examen praemisisset: sed veluti testis eorum, quae sub Innocentio acta fuerant, declarat tantummodo mentem illius fuisse damnare Cornelii Iansenii doctrinam. At tamen Iansenii defensores minime ambigebant, quin haec mens Innocentio fuerit, siquidem in sua Bulla Iansenium bis nominaverat, sed dicebant eum non definiendo, sed opinando & supponendo propositiones Iansenio attribuisse. Hoc vero in sua Constitutione non attigit Alexander VII. Quod autem dicit, caussam discussam fuisse ea diligentia qua maior desiderari non posset, intelligi non potest nisi de ipsismet proposi-

tionibus, quas discussas fuisse non negamus; quamquam maiori cum diligentia discussae fuissent, si, quemadmodum postularant 13. Galliae Praesules, disputationes contradictoriae praecessissent. Nam quod attinet caussam Iansenii, ex dictis manifestum est eam discussam non fuisse, & Consultores, qui de illo verba fecerunt, ex abundanti & absque Pontificis mandato id egisse.

Apparet ex Bullae tenore Iansenii defensores traductos fuisse apud Summum Pontificem velut errorum damnatorum conscios; sic quippe loquitur quasi ex utraque parte constitisset de sensu Iansenii, disceptatumque esset, an illum sensum, quem Iansenii esse omnes agnoscerent, Sedes Apostolica reipsa damnasset. Verum longe aliter res habebant. Illi Theologi aperte damnabant sensus omnes ab Ecclesia in quinque propositionibus damnatos; dubitabantque tantum, an Iansenii fuisset ille sensus, quem cum omnibus Episcopis damnabant. Proinde fides erat in tuto, merumque factum controvertebatur. Hunc rerum statum si cognitum habuisset Summus Pontifex, certe catholicos Doctores *filios iniquitatis* non appellasset ob id solum quod circa factum mere criticum bono & pacifico animo ab Episcopis dissentirent.

Mirum est Alexandrum VII. adeo confidenter decernere, quinque propositiones ex Iansenii libro excerptas esse. Hoc enim verbum significat, quinque propositiones, prout iacent, extare in libro Iansenii; cum tamen omnes consentiant, primam tantum in eo reperiri in terminis. *Historia Iansenismi* narrat aliquem ei ostendisse quinque propositiones in assuto folio calumniose insertas, ideoque S. Pontificem P. Lupo Augustiniensi & Doctori Lovaniensi, asserenti se & plurimos alios nunquam reperire illas potuisse in Iansenio, respondisse, se unamquamque illarum de verbo ad verbum legisse in libro Iansenii; reponente autem P. Lupo exemplar illud diversum ab aliis fuisse oportere, eiusque copiam postulante, addidisse illud ab eis qui ostenderant reportatum. Quidquid sit de hoc facto certe ex Bullae verbis innuitur suggestum esse Alexandro VII., quod P. Annatus in scriptis affirmare non veritus est, quinque propositiones totidem *individuis verbis* extare in libro Iansenii, idque nisi mala fide negari non posse.

Nonnulli Galliae Praesules Parisiis convocati Bullam receperunt 14. Martii 1657. statueruntque illam ab omnibus Episcopis promulgandam; procedendum adversus illos qui propositiones damnare

nollent in sensu Iansenii; & curandum, ut formula anno superiore condita ab omnibus intra mensem subscriberetur. Postularunt insuper a Rege, ut Declaratione solemni omnes ad subscribendum Formulae cogeret. Huic postulationi annuit Rex Christianissimus, ac recusante supremo Senatu, praesens ipse in Curia Bullam legi iussit & in Commentarios referri die 19. Novembris.

Lata quoque est Bulla in Sorbonam 5. Aprilis cum litteris iussionis, & a Facultate recepta.

Recepta est etiam 7. Aprilis a Facultate Lovaniensi, quae hac occasione Censuram suam adversum Lessium & Hamelium renovavit. Scripsit etiam 26. Martii 1660. ad Alexandrum VII. profitens suam in Constitutiones venerationem, declaransque se SS. Augustini & Thomae doctrinae constanter adhaerere, & circa gratiam ac praedestinationem perstare in doctrina Censurae suae olim ad Sixtum V. transmissae. Addebant „ si interea aliquid ad commendatio„ nem doctrinae & auctoritatis a tua Sanctitate in publicum prodi„ re contigerit; fecerit summopere ad conservandam eorumdem San„ ctissimorum Doctorum in Ecclesia auctoritatem, claudendumque „ ora quotidie rodentium doctrinam eorum, & fraenandas linguas „ obtrectantium“. Horum votis respondit Summus Pontifex Brevi dato 7. Augusti eiusdem anni, hortans eos ad sequenda & defendenda *SS. Augustini & Thomae inconcussa tutissimaque dogmata*, & tacite approbans doctrinam in Censuris contentam.

Hactenus de facto Iansenii disputatum fuerat. Post novam Bullam nova quaestio agitata est, ut refert D. Dumas, circa genus submissionis facti definitionibus debitae. Qui pro Iansenio steterant protestati sunt se Bullam ultro recipere quo ad iuris definitionem, & credere fide divina quinque propositiones esse haereticas in omnibus ab Ecclesia proscriptis sensibus; sed quod ad Iansenium attinet, dixerunt evidens non esse quinque propositiones in eius libro contineri, Summum Pontificem, Ecclesiamque ipsam, ex Theologorum omnium consensu, circa eiusmodi facta non revelata falli posse, proinde non magis posse exigi vi solius Bullae, ut crederetur interius damnatos errores extare in libro Iansenii, quam teneantur Theologi credere Monothelitarum errores contineri in Honorii Epistolis, licet ita visum fuerit Concilio VI. Generali. Praeterea firmum internumque assensum dari non posse contra valida in contrarium argumenta: submissionem igitur debitam definitionibus quae

Hist. quinqu. propos. Tom. I pag. 48. & 158

critica facta attingunt, non aliam esse, quam silentii obsequiosi & reverentiae, in eo positam, ut nihil doceatur vel scribatur contrarium iudicio Summi Pontificis: hanc porro submissionem quo ad factum Iansenii exhibere paratos se affirmaverunt. Revera post Bullam Alexandri VII. desierunt pro Iansenio loqui, nisi compellente iustae defensionis necessitate.

Quarta aetas Iansenismi, seu turbae occasione formularum fidei & subscriptionum exortae.

Plerique Episcopi non exigebant formulae subscriptionem, nec pauci sentiebant factum a fide remotissimum a iure distingui oportere. Sub finem comitiorum anni 1660. Rex impulsus a Card. Mazarino Praesules in Luparam vocatos hortatus est, ut omni ope ac studio extirpandae Iansenianorum sectae incumberent; pollicens quidquid decrevissent, se auctoritate Regia observari iussurum. Convocati sunt 17. Decembris omnes Episcopi qui Parisiis agebant. Commissariorum Dux fuit D. De Marca Archipraesul Tolosanus, formulae auctor, qui articulos quindecim composuit. Horum summa est, 1.° omnem Clerum subscribere debere formulae: 2.° qui renuerent, pro haereticis habendos & poenis canonicis castigandos. Hoc caput sic conceptum erat, ut submissio fidei divinae quo ad sensum Iansenii exigi videretur; sed ex aliorum Commissariorum consilio atque inprimis D. De Montgaillard Deputati secundi ordinis, & postea Episcopi Pontis-Poleos, reformatum est hoc pacto: „ Et „ quoniam multi conantur vario praetextu impedimenta subscriptio- „ nibus afferre, Conventus declarat se in sua formula nihil aliud „ expressisse pro definitione fidei, quam definitionem contentam in „ Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. scilicet quinque „ propositiones excerptas ex libro Iansenii, cui titulus *Augustinus*, „ haereseos damnatas esse in sensu quo ab illo auctore traditae „ sunt; ita ut contradicentes & rebelles pro haereticis habendi sint „ & castigandi poenis latis per easdem Constitutiones". Hic ius & factum promiscue assignantur tanquam fidei obiectum, & aequaliter declarantur haeretici, sive qui erroris condemnationi, sive qui eiusdem attributioni factae libro Iansenii non consentirent. Articulus tamen approbatus est, sive quia Episcopi propter auctoris favorem obniti non audebant, sive, quod magis crediderim, quia il-

S. Pont.

lius venenum non advertebant. 3.° Eo, qui contra tenorem Constitutionum olim scripserant ad retractationem cogi oportere. Omnes illi articuli a Conventu approbati sunt 1. Februarii *1661*.

In litteris ad S. Pontificem missis, auctore eodem D. De Marca, Episcopi gratias ei egerunt amplissimas; suam agendi rationem exposuerunt probaveruntque; de Iansenii verò patronis intèr alia multa haec dixerunt: „ Solertes sibi videri volunt, omnia verba Iansenii ad aliquem sensum Catholicum futiliter detorquentes “: hoc ipso agnoscentes, illos non nisi sensum catholicum in Iansenio defendisse, ac proinde ab errore damnato plane alienos fuisse. 20. Februarii.

Anno *1660*. Iesuitae Parisienses publicis Thesibus docuerant in Collegio Claromontano, Summum Pontificem eamdem quam Christus habet infallibilitatem habere tam in facti, quam in iuris quaestionibus; ideoque credi posse fide divina quinque propositiones excerptas esse ex libro Iansenii & in eius sensu damnatas. Hanc Thesim ab Arnaldo impugnatam, & denunciatam velut haereticam, defenderunt, libello cui titulus, *Expositio Thesis*; nitentes praesertim tertio articulo in postremo Cleri Conventu sancito & modo a nobis relato. Mirum est Episcopos Conventus obmutuisse & passos esse tam crassum errorem sibi impune adscribi, maxime cum excepto D. De Marca, caeteri omnes aliter sentirent, ut testantur Episcopus Pontis Poleos in Epistola ad Cameracensem Archiepiscopum, & Illust. De Harlay tunc Rothomagensis Archipraesul in Epist. ad Cardinalem Rospigliosum. V. *Iustification du silence respectueux* Tom. 2. Ch. 33. n. 4.

Circa idem tempus Reformati Angliae arrepta ex libri Iansenii damnatione calumniandi materia, dixerunt Ecclesiam Romanam novos fidei articulos condere, adeo ut ipsamet facta humana pro fidei dogmatibus obtruderet. Eruditus Holdenus Doctor Sorbonicus, natione Anglus, consultus hac de re librum edidit cui titulus: *Defensio formulae fidei adversus haereticorum calumnias*; in quo contendit damnationem quinque propositionum unicum esse formulae obiectum; earumque attributionem esse merum incidens, in quem Pontificia definitio non cadit. „ An verò iudicium de quaestione „ facti sit omnino certum verum & indubitatum; profecto, inquit, „ nec ad substantiam praecipuam ipsius Constitutionis, nec ad no„ stram subscriptionem pertinere compertum esse arbitror “. Huius libri mentionem fecit Henricus Arnaldus Praesul Andegavensis in

Epiſtola ad Alexandrum VII. 28. Auguſti 1661. ut demonſtraret quanti momenti ſit factum a iure diſtinguere, tum ad fovendam inter catholicos pacem, tum ad comprimendam audaciam haereticorum.

Ergo varias in partes animi diſtrahebantur: haeretici Eccleſiae conviciabantur; inter catholicos pauci factum cum iure confundentes fidem divinam utrique deberi contendebant. Caeteri factum a iure ſecernebant, ſolamque ſilentii ſubmiſſionem vi ipſius Conſtitutionis quo ad factum deberi ſentiebant. Hanc plerorumque Praeſulum Galliae ſententiam fuiſſe teſtis eſt Epiſcopus Pontis-Poleos in Epiſtola ad Cameracenſem. Sed horum aliqui exiſtimabant Summos Pontifices recte iudicaſſe de mente Ianſenii, alii non credebant aut ſaltem dubitabant; hique rurſus in duas claſſes dividebantur: nam plerique opinabantur nihilominus pure ac ſimpliciter ſubſcribi poſſe formulae, eo nimirum, quod ſubſcriptio, prout factum attingit, ſolam ſilentii reverentiam ex ipſa facti natura ſignificat: alii contra credebant ſinceritatem Chriſtianam poſtulare, ut ſubmiſſiones inſigniter diverſae, fidei divinae quo ad ius, & obſequioſi ſilentii quo ad factum, in ipſa ſubſcriptione diſtincte exprimerentur.

In hoc opinionum conflictu, multi Epiſcopi poſtulabant, ut nationalis Synodus convocaretur; maxime cum Comitia ordinaria nullam haberent ad negotia fidei definienda poteſtatem. Plurimi etiam Theologi ſcriptis publicis flagitabant, ut vagus ille Ianſenii ſenſus, in quo quinque propoſitiones damnatae dicebantur, clare determinaretur. Hiſce poſtulationibus poſthabitis, Rex acta Conventus ſupremi Concilii arreſto confirmavit 13. Aprilis, litteriſque encyclicis ad omnes Epiſcopos miſſis praecepit, ut formulae ſubſcriptio ab omnibus Clericis, immo a Monialibus & Ludimagiſtris exigeretur.

D'Aleth, de Vence, & de Comminges. Epiſcopi Alectenſis, Andegavenſis, Vencienſis, & Convenarum Regi expoſuerunt quas ob cauſſas huic mandato obtemperare non poſſint. Multi ſubſcriptionem imperando factum a iure palam diſtinxerunt. Alii diſtinctionem illam exprimere ſuperfluum arbitrabantur; quippe quae ex rerum definitarum inſigni diſcrimine ſatis intelligeretur. Nicolaus Pavillon Alectenſis Epiſcopus, conſultus anno 1657. circa debitam facti reverentiam, reſponderat eos qui illuc uſque Ianſenium ab omni errore immunem crediderant, Pontificiae auctoritati privatorum quorumvis iudicio praecellenti cedere debere.

Sed

Sed mature ponderatis Antonii Arnaldi obſervationibus, quibus oſtendebatur intellectum captivari non poſſe in obſequium illius auctoritatis quae falli queat, ſententiam illam depoſuit Praeſul Sanctiſſimus, non levitate culpanda a veritate ad falſitatem, ut malevoli dixerunt, ſed ſingulari pietatis exemplo a falſa opinione ad veritatem converſus, ut alibi, Deo dante, oſtendam.

2.ª Maii *1661*. DD. Henricus *De la Mothe* Rhedonenſis, & Harduinus *de Perefixe* Ruthenenſis Epiſcopus, in Sorbonam venere inſtructi litteris Regis, quibus formulae ſubſcriptio imperabatur. Facultas plurimis, ut diximus, membris mutilata, ſtatim obtemperavit, ſuaque concluſione ſtatuit formulam ab omnibus Doctoribus, Licentiatis, & Baccalaureis, antequam ad Comitia, vel ad reſpondendum aut argumentandum accederent, ac deinceps ab omnibus Candidatis ſubſcribendam. Etiamnum haec ipſa formula, qualem retulimus, ſubſcribitur in Facultate Pariſienſi ab omnibus Candidatis qui primo curſu, hoc eſt pro Baccalaureatu ſupplicant.

De Rennes. De Rhodez.

Vicarii Generales Cardinalis *de Retz* Archiepiſcopi Pariſienſis, urgentibus Regis iuſſionibus, mandatum dederunt, in quo dicebant quinque propoſitiones ſub Innocentio X. examinatas fuiſſe abſolute ſine ullo reſpectu ad auctorem; ſolamque obſequioſi ſilentii ſubmiſſionem Conſtitutionibus deberi quantum ad factum Ianſenii in eis contentum. Hoc mandatum ab omnibus Parochis, Presbyteris, & Monialibus Portu-Regienſibus ſummo cum plauſu exceptum, tanquam ſervandae paci aptiſſimum, Praeſules Conventus, qui Pariſiis remanſerant, vehementer improbarunt, & velut Ianſeniſmo favens Regi & S. Pontifici denunciaverunt. Vicarii litteris ad Alexandrum VII. miſſis expoſuerunt formulam a Conventu praeſcriptam plane inutilem eſſe, aptioremque excitandis diſſidiis quam ſedandis, ut experientia demonſtrabatur. „ Hoc decretum, inquiebant, ſimul ac „ in publicum emiſſum eſt, incredibili totius huiuſce Dioeceſeos „ aſſenſu ac congratulatione exceptum fuit, quibuſdam tantum pa„ cis odio muſſitantibus, quorum murmur & voculae caeterorum „ applauſu compreſſae brevi conticuiſſent, ni quoſdam poſtremi „ Conventus Epiſcopos ſuffragatores nacti eſſent formulae ſuae quam „ Conſtitutionum amantiores „. Dein Pontificem orabant, ne adverſariorum ſuorum ſuſurris aures praeberet, aut quidquam ſe inauditis & indefenſis pronunciaret: „ Nam quod hic quidam iuris & „ facti diſtinctionem carpere auſi ſunt (inquiunt), ut idem

Vicarii Generales Pariſ. coguntur mandatum ſuum reſcindere & aliud publicare.

V. Recueil hiſtorique des Bulles pag. 166. & ſeqq.

„ apud Sanctitatem vestram faciant, nobis persuadere non possu-
„ mus, cum in eo constantissimam, certissimam, & vulgatissimam
„ scholarum & omnium Theologorum doctrinam secuti sumus. Sed
„ tamen hoc ab illis impeti, si Sanctitate vestra concedente nobis
„ innotuerit, sic illam partem omni testimoniorum ex antiquitate
„ depromptorum genere muniemus, ut perspicuum omnibus futurum
„ sit, non modo adhibitam a nobis sine crimine eam distinctionem
„ esse, sed prorsus sine crimine omitti non potuisse: immo gravi-
„ ter errare, qui facti quaestionem & iuris quaestionem neget esse
„ seiunctam & utramque sic confusam & indiscretam in fidei arti-
„ culum transferat. Quamobrem nedum eam falsam aut scandalo-
„ sam viri huius Dioecesos Ecclesiastici censuerunt, ut eam veram
„ & unicam stabiliendae pacis rationem continere professi sint: quod
„ ipsum plures Episcopos, scriptis ea de re ad Regem litteris, at-
„ testatos fuisse audivimus". Venientes deinde ad alterum crimen, aiunt: „ sibi animum non fuisse negare quin Innocentius proposi-
„ tiones ex Iansenio depromptas esse significarit; idque ex verbis
„ suis, nisi per calumniam, elici non posse; sed tantum illud se
„ dixisse, inter Scholasticos tunc temporis de ipsa solum iuris quae-
„ stione esse certatum". Demum postulant, ut quae contra Decretum suum obiiciebantur sibi communicatis, respondendi copia concederetur. In alia Epistola quam scripserunt ad Card. D' Est Galliae protectorem, inserto instrumento publico a plurimis Urbis Parochis subscripto, quo declarabatur mandatum cum magna aedificatione exceptum fuisse ab omnibus suis Sacerdotibus velut unicam viam conciliandae pacis, sic loquebantur iidem Vicarii Parisienses.
„ Cum mandatum nostrum non amplexa sit modo, sed adversus
„ eius impugnatores defenderit (Ecclesia Parisiensis) si quis illud
„ Pontificiis Constitutionibus dicat adversum; consequens est, ut
„ omnes Parisiensis Urbis Sacerdotes illis Constitutionibus adversari
„ contendat: quo nihil certe a veritate, nihil a Constitutionum
„ Pontificiarum honore alienius, nihil in Parisiensem Ecclesiam con-
„ tumeliosius dici potest".

Harum litterarum nulla ratio Romae habita est: e contrario Breve durissimum ad Vicarios missum fuit, in quo S. Pontifex dicit: „ non minus temeraria quam mendaci narratione proferri, *Recueil historique des Bulles pag. 171.*
„ tempore Innocentii X. non aliud actum fuisse quam inquisitum,
„ an propositiones illae quinque de Gratia verae & catholicae, an

„ potius falsae & haereticae censendae forent ; cum eo plane tempore, nedum de propositionibus ipsis cognitio habita fuerit, verum quod e Iansenii libro *Augustinus* nuncupato extractae essent : & ita in sensu ab eodem Iansenio intellecto damnatae, ut nos ipsi, inquit, Constitutione nostra luculenter & expresse declaravimus “. Quando quibusve in Congregationibus cognitum fuerit sub Innocentio X. quinque propositiones a Iansenio traditas esse, hactenus ignotum remansit. E contrario apparet ex monumentis publicis eas examinatas fuisse *abstrahendo ab omni proferente*. Praecipit deinde Summus Pontifex, ut altero mandato primum revocarent, quod Rex etiam praeceperat in Arresto Supremi Consilii, quo primum illud mandatum cassum & irritum declaratum est. Aliquandiu haesitarunt Vicarii, tandemque novo mandato Regi & S. Pontifici obsecuti sunt. Tunc D. *De Bourzeis* qui pro Iansenii defensione multa scripserat, formulae subscripsit, & si quid Constitutionibus Apostolicis parum conforme a se dictum erat, scripto revocavit.

Ibid. pag. 174.

Anno 1662. Illustrissimus De Choiseul Episcopus Convenarum, disquirens qua via Ecclesiae restitui pax posset, egit ea de re cum P. *Ferrier Iesuita*, scripsitque Theologis Portu-Regiensibus Iansenii defensoribus; hi consenserunt amicas collationes habere cum P. *Ferrier* coram D. De Choiseul, modo ab ipsis non exigeretur, ut agnoscerent errores quinque propositionum in libro Iansenii contineri, neque ut pure ac simpliciter subscriberent formulae. Acquievit P. Ferrier, modo doctrina in tuto foret. Confestim Episcopus Convenarum & P. *Ferrier* Parisios vocati sunt a Rege Christianissimo, ut praeclare huic operi incumberent : & pactis, quas diximus, conditionibus colloquia habita sunt. Theologi doctrinam suam quinque articulis dudum comprehensam & a se subscriptam Praesuli obtulerunt 24. Ianuarii 1653. per DD. Natalem *De Lalane* & Claudium *Girard* qui caeterorum nomine agebant. Ibi praemonebant se semper sincerissime damnasse ac damnaturos errores omnes quos Innocentius X. & Alexander VII. damnaverant, in quocumque libro & a quocumque auctore asserti reperiantur, & pro certis tenere & semper tenuisse omnes veritates fidei quas iidem Pontifices iisdem Constitutionibus sanciverant & confirmarant. Articuli autem sic concepti sunt.

Collatio P. Ferrier cum Augustinianis, sequestro Episcopo Convenarum.

V. Epistolam Episcopi Convenarum ad Regem 21. Ianuarii 1664. Relationem huius Collationis T. 1. Epist. Arnaldi pag. 453. & Arnaldi de hoc argumento Epistolas T. 1. & 2.

I.us Articulus „ Cum ex S. Augustini sententia, quam tota

Articuli Augustinianorum.

„ S. Thomae Schola defendit, gratia efficax voluntatem indeclinabi-
„ liter, citra tamen necessitatem, vi divinae motionis flectens &
„ determinans, ad singulos pietatis actus necessaria sit; nunquam
„ contingit ut oremus sicut oportet, nisi cum ea operatur ut ore-
„ mus, nobisque interpellandi & gemendi inspirat affectum; nec ut
„ Dei mandata servemus, nisi cum illa facit ut in praeceptis eius
„ ambulemus; nec denique ut inimici tentationes superemus, nisi
„ cum nobis victoriam largitur".

„ Et tamen cum nonnunquam iusti tentationibus succumbant,
„ & in varia peccata labantur, etiam cum illa vitare imperfecte
„ & remisse volunt; manifestum est iustis istis in illo imperfectae
„ ac remissae voluntatis statu, vitio licet suo mandatum violanti-
„ bus, efficacem illam ac victricem, qua praesente nunquam vin-
„ cuntur, gratiam non adesse. De his ergo iustis, quibus illa ma-
„ gna non adest gratia, licet parva & imperfecta non desit, vere
„ utrumque dici potest, & potuisse illos Dei mandata servare &
„ tentationi resistere, eosdemque alio sensu non potuisse. Potuerunt
„ enim prorsus; quia non solum liberi arbitrii virtutem & gratiam
„ habitualem habuerunt, sed etiam gratiam actualem, quae suffi-
„ ciens dici potest Thomistarum sensu qui gratiae per se efficacis
„ necessitatem supponit".

„ At quia absente gratia efficaci nunquam contingit, ut volun-
„ tas sicut oportet tentationi resistat, constansque est apud Thomi-
„ stas dogma gratiam sufficientem ab efficaci separatam non com-
„ plecti omnia ad pie agendum necessaria; ideo usitatissima Scri-
„ pturis Patribusque locutione, & Thomistis omnibus probata, hoc
„ sensu dici potest iustos illos, eiusmodi gratia sufficienti instructos,
„ tentationi cui succubuerunt resistere non potuisse; quia nimirum
„ eiusmodi potestatem non habuerunt quae complecteretur omnia
„ ad agendum necessaria; cum gratiam efficacem, ad agendum uti-
„ que necessariam, non habuerint".

„ Quare cum dicimus nos sine gratia per se efficaci non posse
„ agere, id hoc uno sensu intelligimus, eum cui deest gratia illa
„ per se efficax, non habere omnia quae requiruntur ad recte
„ agendum".

II.[us] Articulus „ Gratia interior duplex est: alia efficax, quae
„ semper producit effectum ad quem impellit voluntatem: alia inef-
„ ficax, quae voluntatem excitat ad effectum quem non producit".

„ Prior gratia ea eſt quam ſimpliciter, proprie & abſolute „ efficacem Thomiſtae vocant. Huic reſiſti quidem ſemper poteſt, „ ut iidem docent; at nunquam ita reſiſtitur ut effectu illo privetur ad quem impellit voluntatem. Quod aliis vocibus ſic exprimunt, ut reſiſti poſſe dicant in ſenſu diviſo, non autem in ſenſu „ compoſito ".

„ Secunda autem ea eſt, quam tum excitantem, tum inefficacem, tum ſufficientem idem ſignificantibus verbis vocant. Huic „ autem reſiſtit ac renititur voluntas, eamque effectu ſuo privat „ ad quem excitat, & ad quem poteſtatem largitur ſuperius explicato Thomiſtarum ſenſu ſufficientem. Poteſt quidem illi voluntas „ conſentire; nec tamen ſi abſit gratia efficax, nunquam conſentit; „ non defectu antecedentis poteſtatis, ſed libera ſui ipſius in oppoſitum determinatione ".

„ Sed quamvis gratia illa per ſe ſpectata effectu illo careat „ ad quem tendit, ad quem voluntatem excitat & ad quem per „ antecedentem Dei voluntatem deſtinatur; adeoque falſum ſit hoc „ ſenſu, omnem Chriſti gratiam ſemper habere eum effectum quem „ Deus vult: ſi tamen ſpectetur ut cum abſoluta Dei voluntate „ coniuncta, merito hoc ſenſu efficax dici poteſt; quia ſemper id „ in corde hominis operatur quod Deus abſoluta voluntate intendit. Certum eſt enim apud Thomiſtas auxilium ſufficiens reſpectu unius actus, ſemper eſſe efficax reſpectu alterius ad quem efficiendum decreto abſoluto divinae voluntatis deſtinatur; adeoque „ apud illos omnis gratia eſt efficax alicuius effectus, eius nimirum, „ ad quem proxime ordinatur, & quem Deus abſoluta voluntate „ intendit, iuxta illud Iſaiae: *verbum quod egreditur de ore meo,* „ *non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quaecumque volui* ".

III.us Articulus „ Ad merendum & demerendum in ſtatu naturae lapſae non ſufficit libertas a coactione, ſed requiritur libertas a neceſſitate. Quamvis enim gratia per ſe efficax infallibiliter & inſuperabiliter ad agendum voluntatem determinet, atque „ ita nunquam voluntas illi actu diſſentiat; non tamen inducit neceſſitatem, quia non tollit diſſentiendi poteſtatem. Eſt ergo perpetuo in homine lapſo illud quod Thomiſtae ſtatuunt activae indifferentiae genus, quam proximam dicere nihil vetat, dummodo „ ab hoc verbo ſummoveas illum ſenſum, ut voluntas per efficacem „ gratiam mota credatur nunc conſentire, nunc diſſentire, ſive quod

„ idem eſt, nunc actualem conſenſum, nunc vero actualem diſſen-
„ ſum cum eiuſmodi gratia componere “.

IV.° Articulus „ Tantum abeſt ut Semipelagiani ideo hae-
„ retici fuerint, quod dicerent gratiae nos conſentire & diſſentire
„ poſſe, ut potius certum & minime dubium ſit cuicumque gratiae
„ etiam efficaci reſiſti poſſe, id eſt, cum quacumque gratia ſimul
„ remanere activam, atque ut ſupra dictum eſt, proximam diſſen-
„ tiendi poteſtatem, licet actu, ut etiam ſupra dictum eſt, nun-
„ quam efficaci gratiae diſſentiatur “.

V.° Articulus „ Gratuita praedeſtinationis doctrina maximam
„ iure merito apud omnes Scholas Catholicas auctoritatem obtinet.
„ Huius autem doctrinae haec ſumma eſt, ab omnibus eius defen-
„ ſoribus recepta: ſolis electis, ſi ſpectetur non antecedens, ſed
„ abſoluta & efficax Dei voluntas, ſalutem aeternam abſoluto Dei
„ decreto deſtinatam eſſe cum ea gratiarum & beneficiorum ſerie
„ quibus certiſſime liberantur quicumque liberantur; quorum bene-
„ ficiorum utique praecipuum eſt perſeverantiae donum, quod ne-
„ mo proprium eſſe praedeſtinatorum inficiatur “.

„ Hinc ſequitur Chriſtum, cuius abſoluta voluntas paterna
„ ſemper conformis extitit, hoc Decretum nec precibus, nec mor-
„ te ſua, ſimpliciter & abſolute mutare voluiſſe. Itaque ſolis illis
„ abſolute & efficaciter promereri voluit vitam aeternam & perſe-
„ verantiae donum, quos ſibi a Patre datos & de manu ſua a ne-
„ mine ereptum iri in Evangelio dicit “.

„ De his capitibus apud omnes gratuitae praedeſtinationis de-
„ fenſores convenit, quibus ea tantum Chriſti mortis omnibus im-
„ penſae generalitas excluditur, qua collatae omnibus hominibus
„ afferuntur gratiae ita ſufficientes, ut praeterea efficacem ad volen-
„ dum ſeu operandum non requirant “.

„ Sed hac opinione dempta, nihil obſtat, immo prorſus ve-
„ ritati conſentaneum eſt dicere Chriſtum pro omnibus hominibus
„ mortuum eſſe ac ſanguinem fudiſſe; tum quia antecedenti volun-
„ tate ſalutem omnium voluit, tum quia ſufficiens pro omnibus
„ pretium obtulit “.

„ Falſum autem eſt & haereticum dicere Chriſtum pro ſalute
„ dumtaxat praedeſtinatorum mortuum eſſe; cum multis reprobis,
„ omnibuſque a Deo iuſtificatis gratias, tradita a Thomiſtis notio-
„ ne ſufficientes, meruerit, quibus ad ſalutem pervenire poſſent;

„ quamvis nemo illis bene utatur & in accepta iustitia perseveret, „ nisi uberioribus illis & efficacibus auxiliis adiuvetur ".

His articulis tota Augustinianorum Theologorum atque etiam Thomistarum doctrina circa quinque propositiones comprehenditur; nullusque est aut fuit ex his, quos Iansenianos odiose appellant, qui non paratus sit illis ex animo subscribere: unde si articuli sunt catholici, sequitur ipsorummet Theologorum doctrinam ab omni haereseos suspicione remotissimam esse.

In prima Collatione habita 25. & 26. Ianuarii actum est de primo articulo, quem post multas Theologorum expositiones teneri posse fassus est P. *Ferrier*, modo adderetur, quod in fine legitur, *quare cum dicimus &c.* De caeteris articulis nulla fuit difficultas. Tum P. *Ferrier* dixit necessarium esse, ut Theologi damnarent propositiones in sensu a Summo Pontifice damnato, obtulitque quinque articulos, quibus sensum illum contineri asserebat. Theologis illos damnantibus pax conclusa videbatur: sed in tertia Collatione P. Ferrier proposuit ut examinaretur quis esset Iansenii sensus. 1. Februarii. Ibi disceptatio intricatior, & post multa certamina nihil tandem concludi potuit. Quia tamen hac lege convenerant, ut si de sensu Iansenii non conveniret, id tamen non obstaret quominus pax concluderetur, sperabant Augustiniani fore ut omnia finirentur. Verum P. Ferrier contendit negotium aliter absolvi non posse, nisi quinque propositiones damnarentur in sensu Iansenii; se quidem pacem non impedire, sed P. Annatum dissentire, donec id praestitum esset. In quarta quaesitum est, quo pacto Summo Pontifici & Episcopis 5. Februarii. satis fieri posset, intacta facti quaestione. P. *Ferrier* iterum dixit se nihil amplius requirere, sed aliter satisfieri non posse Summo Pontifici & Episcopis, nisi damnando sensum Iansenii. Recusantibus constanter Theologis, aliae pacis viae tentatae sunt, sed nullo eventu. Demum in quinta Collatione, cum Iesuitae in postulatis, 18. Februarii. Theologi in negatis starent, concordiae spes omnis evanuit. Iterum tamen convenerunt apud Illust. D' Estrees Episcopum Laudunensem, ubi aderant Harduinus de Perefixe Ruthenensis, & P. Annatus Regius Confessarius. D. De Lalane exposuit quae in Collationibus acta fuerant, narrationis veritatem confirmante Episcopo Convenarum. Obtulit postea declarationis prospectum, quo profitebantur se damnare quinque propositiones in omnibus sensibus a Sede Apostolica damnatis; quod autem spectat illarum attributionem

De Laon. De Rhodez.

libro Ianſenii, praeſtituros omne obſequium omnemque reverentiam, quam Sancta Sedes a Theologis exigit circa huiuſmodi definitiones, ſecundum diſciplinam Eccleſiae. Sed alium proſpectum propoſuit P. Annatus his praecipue conceptum verbis: „ Et quoniam „ Summus Pontifex Alexander VII. illas propoſitiones ex libro „ Ianſenii extractas & in ſenſu Ianſenii damnatas eſſe declaravit; „ illius definitioni etiam in hac parte nos ſubiicimus ". Hic proſpectus Auguſtinianis pleriſque diſplicuit atque inprimis Arnaldo. Quoniam vero tota difficultas verſabatur in hac clauſula *ſincere nos ſubiicimus*, quae illimitata internum mentis aſſenſum ſignificare videbatur, huic incommodo mederi volens Praeſul Convenarum, pollicitus eſt ſe litteris ad Epiſcopum Andegavenſem ſuo tempore publicandis, explicaturum quale ſubiectionis genus intelligeretur. Verum huic propoſitioni acquieſcere noluit Arnaldus, tum quia aequivoca & obliqua ſibi videbatur, tum quia in litteris ad Epiſcopum Andegavenſem mittendis nonnulla ipſi diſplicebant. Quamobrem ab hac negotiatione omnino recedendum ſibi eſſe cenſuit.

Quinque Articuli Romae approbati.

His obſtaculis afflictus D. De Choiſeul, non fractus, petiit a Theologis, ut inſtrumento publico poteſtatem ſibi facerent ipſorum articulos & declarationem mittendi ad S. Pontificem eiuſque iudicio ſubiiciendi. Illi ultro obſecuti ſunt, addideruntque, ſi Sanctitas aliquid amplius exigeret ad cognoſcendum quanta ſinceritate fidei definitionibus acquieſcerent, id ſe prompto & alacri animo praeſtituros. Dum haec Romam de Regis licentia mittebat Epiſcopus Convenarum, Henricus De La Mothe Houdancours Epiſcopus Rhedonenſis ſcripſit ad Card. Roſpiglioſum, Ianſenianos illudere, omneſque illorum dolos necdum finitos eſſe. Alexander VII. Scripta Auguſtinianorum litteraſque D. De Choiſeul examinanda tradidit Qualificatoribus S. Officii; deinde extraordinariam Congregationem habuit ſex Cardinalium 21. Iulii; omnibuſque ponderatis, Card. Roſpiglioſus gratulatorias litteras nomine S. Pontificis ſcripſit Epiſcopo Convenarum, & S. Pontifex ſcripſit Epiſcopis ad laudandum eorum erga Conſtitutiones ſtudium. Sic autem de Theologis loquitur: „ Illud autem non mediocri gaudio „ animum noſtrum perſudit, quod litteris ex Gallia recens allatis " (Epiſcopi Convenarum, quibus inſerta erant declaratio & articuli Auguſtinianorum) „ accepimus illorum in dies creſcere numerum qui „ recta ſapiunt praefatis Conſtitutionibus ſe ſe ultro ſubiicientes, „ illorum vero decreſcere qui a veritate auditum avertunt & variis

„ ina-

„ inanium interpretationum argumentis decepti, Decretis Apostolicis refragantur. Hic fuit egregius sane vestrorum laborum fructus, „ maioris scilicet & potioris partis, ut multi, iique caeterorum „ nomine primarii, exemplo vestro, consilio, & opera ad saniorem „ doctrinam inducti, ea qua par est, ut credimus, animi demissione „ sese paratissimos exhibeant ad illa omnia praestanda quae ipsis „ a Sede Apostolica praescribuntur ". Praesules deinde hortatur, ut coeptum opus absolvant procurentque ut omnes „ Constitutionibus „ Apostolicis se, ut par est, subiiciant, & quinque propositiones „ ex libro Iansenii excerptas, & in sensu ab eodem auctore intento „ sincero animo reiiciant & damnent ". Ex hoc Brevi tametsi restituendae paci parum accommodato, & Theologis, quos errori hactenus addictos supponit, iniurioso, hoc saltem commodum reportarunt Augustiniani, quod eorum doctrina quinque articulis contenta pro sana ibidem agnoscatur, cum ad saniorem doctrinam inducti dicuntur.

Hoc Brevi in Galliam perlato, Rex praecepit Episcopo Convenarum, ut secundum S. Pontificis praescriptum Theologos ad damnandum Iansenii sensum, adducere conaretur. Quamobrem Episcopus illos convenit, obtinuitque declarationem ab omnibus, excepto Antonio Arnaldo, approbatam, qua profitebantur se: 1.° damnare quinque propositiones a Pontificibus damnatas: 2.° nolle sub quolibet praetextu aut quacumque adhibita interpretatione illas tueri: 3.° non habere alios circa quinque propositiones sensus, quam qui continentur in quinque articulis suo nomine Romam missis, & a Summo Pontifice, ut ex Brevi apparet, approbatis: 4.° quo ad Iansenii factum spectat, exhibituros Constitutionibus Apostolicis omnem reverentiam, obsequium & submissionem, quae in eiusmodi quaestionibus Ecclesia a fidelibus exigit; agnoscentes privatorum Theologorum non esse obniti definitionibus Sedis Apostolicae: 5.° paratos esse nunquam renovare controversias, quibus turbatam Ecclesiae pacem dolebant. Haec Declaratio insufficiens visa est Concilio Conscientiae, statimque Convenarum Episcopus Regi vale dixit suamque dioecesim repetiit. Quatuordecim Episcopi qui Parisiis erant, Regis iussu & Praeside Card. Barberino Archiepiscopo Remensi nominato congregati receperunt Breve Apostolicum, statueruntque illud mittere ad Episcopos absentes, postulatis ad eius exsecutionem litteris patentibus, ut vocant. Deinde censuerunt de-

24. Septembris. 2. Octobris.

clarationem Theologorum esse captiosam, fraudulenter expressam, eoque videri tendere, ut declinaretur damnatio quinque propositionum in sensu Iansenii. Caeterum nihil omnino reprehenderunt in quinque articulis, neque negaverunt, quod in declaratione diceba- *Recueil des Bulles, pag. 157. & 191* tur, eos a Romano Pontifice approbatos videri. Demum scripserunt ad S. Pontificem, quaerentes quod Iansenii fautores fidem suam liberare nollent neque damnare quinque propositiones in sensu Iansenii; & ad Episcopos absentes, quos hortabantur ad recipiendum atque exequendum Breve Apostolicum. In utraque Epistola Augustiniani repraesentantur tanquam consentientes de sensu Iansenii, sed illum damnare detrectantes; quamvis ex ipsismet collationibus evidens foret totam dissensionem fuisse circa quaestionem facti, non vero circa ius. Immerito etiam dicuntur pollicitationi, qua se se apud S. Pontificem obligaverant, defuisse; si quidem illa pollicitatio non spectabat definitionem facti, sed tantummodo *fidem* Constitutionibus sancitam. En ipsorum verba in procuratione data D. *Ibid. pag. 201.* De Choiseul & Romam missa. „ Ac si quid praeterea a nobis „ exigendum Summo Pontifici visum fuerit ad testificandum quam „ sincere SANCITAE per Apostolicas Constitutiones FIDEI adhae„ reamus, & easdem Constitutiones intactas & illibatas servare ve„ limus, illud nos fideliter praestituros pollicemur ". Obsequium ergo quod spoponderant, intra fidei limites unice continetur; proinde fidem datam non violarunt, quando fateri recusarunt sensum damnatum a Iansenio traditum esse.

Episcopus Convenarum omnia pacis consilia per Episcoporum deliberationem abrupta cernens, offensusque tam praecipiti agendi ratione (nam unica sessione res absoluta fuit), scripsit ad Regem Christianissimum 22. Ianuarii 1664. His in litteris libere exponebat quaecumque ad procurandam pacem a se gesta fuerant: ostendebat declarationem Theologorum nomine oblatam, orthodoxam ac sincerissimam esse; ipsummet P. Ferrier sanam iudicasse doctrinam quinque articulis comprehensam, atque immerito litigasse circa quaestionem facti, quam prius declaraverat impedimentum paci non allaturam; demum nihil aequius esse, quam factum a iure secernere, quod unicum erat Theologorum crimen; verum haec Epistola non obstitit, quominus Rex iuxta Praesulum vota *litteras patentes* sive Edictum dederit 15. Aprilis, quibus formulae subscriptio omnibus beneficiariis, & ad beneficia, Ordines, aliave omnia promovendis imperatur sub poenis gravissimis.

Antequam historiae seriem prosequamur, probandum est quinque articulorum doctrinam sanam esse, Romaeque ut sanam agnitam. Id constat praesertim ex Brevi supra relato, in quo S. Pontifex, mature expensis litteris Episcopi Convenarum, nec non articulis & declaratione seu procuratione Theologorum, ait se cum gaudio agnovisse, *illorum in dies crescere numerum qui recta sapiunt . . .* illorum *primarios ad saniorem doctrinam inductos*. Unde porro cognovit Pontifex eos recta sapere & ad saniorem doctrinam inductos, nisi ex ipsorum articulis. Certe si quid reprehensione dignum, vel obscure & ambigue dictum in eis reperisset, num silentio praeteriisset? Num doctrinam auctorum sanam dixisset?

Hunc revera esse sensum Brevis, multa convincunt. 1.° Theologi in declaratione per D. De Choiseul Regi oblata, in Concilio Conscientiae lecta, in Conventu quindecim Praesulum examinata, ad absentes Episcopos ipsumque S. Pontificem missa, sibimet gratulati sunt, quod ex aliquibus verbis Brevis appareret suos articulos S. Pontifici probatos fuisse: idque nec S. Pontifex, nec quisquam Episcoporum falsi convicit. 2.° Eodem sensu Apostolicum Breve exposuit Episcopus Convenarum in litteris ad Cardinalem Barberinum die 2. Octobris *1663*. & ad Regem 21. Ianuarii *1664*. & multo post ad Innocentium XI. 3.° Nicolaus *Pavillon* Episcopus Alectensis in epistola ad Harduinum *De Perefixe* Archiepiscopum Parisiensem 7. Novembris *1667*. (quo tempore sensus Brevis neminem latere poterat) eodem modo illud exponit: „ Suam fidei „ professionem, inquit, de quinque propositionibus totidem arti„ culis comprehensam ad Alexandrum VII. Pontificem maximum „ miserunt Theologi; quae certe orthodoxa passim iudicata est, in „ qua & ipse Pontifex nulla se nisi sanioris doctrinae verba inve„ nisse rescripto suo significavit ". Quis tales credat viros rescripto Apostolico contra Pontificis mentem abusos? Aut si hoc falso iactassent, caeteros Galliae Praesules, immo ipsummet Alexandrum VII. eiusque successores id permissuros fuisse? Hinc Thomistae celeberrimi, ut Gonetus *in Apologia Thomistarum* Art. 8. n. 134. Contensonius in tractatu de Gratia, & alii ex approbatione articulorum demonstrant Thomisticam doctrinam a Romana Sede *sanam* declaratam fuisse. 4.° Non semel tantum quinque articuli Romae examinati, & approbati sunt, sed iterum ac tertio sub Alexandro VIII. ab Augustini Discipulis oblati sunt, remissique ad Consulto-

res S. Officii, notam omnem effugerunt sub Innocentio XII. Cum D. Hennebel, Lovaniensium Deputatus, ad demonstrandam Lovaniensis doctrinae orthodoxiam libello supplice declarasset eam quinque articulis contineri, eaque occasione Iesuitae ut articulorum damnationem obtinerent, duos libellos edidissent quorum uni titulus erat; *fraus quinque articulorum*, alteri, *disquisitio historico-Theologica, an Iansenismus sit merum phantasma*; libelli quidem damnati sunt 19. Martii 1692. & 30. Ianuarii 1693. articuli vero Augustinianorum intacti illaesique manserunt.

Et certe his articulis doctrinam suam, quae procul dubio sana est, optime exponi universa S. Thomae Schola multoties agnovit. Praeter Gonetum & Contensonium iam appellatos, Iacobus a Sancto Dominico in *Summa Theologiae Moralis* edita Parisiis anno 1676. ait *universam S. Thomae de gratia efficaci doctrinam his articulis contineri*: P. Piccinardi in opere de doctrina S. Thomae dicit, vel sola illorum lectione quemlibet convinci posse genuinam Tomistarum doctrinam eis comprehendi. Hinc Iesuitis *in fraude quinque articulorum* asserentibus illorum doctrinam a Thomistica differre, conantibusque Dominicanos sibi adiungere, Generalis Dominicanorum doctissimis e suo Ordine Theologis PP. Riccio, Massouliaeo, Fonsecae, Sarrabiae, & Serry quinque articulos examinandos tradidit, & iuxta illorum votum respondit Ordinem S. Dominici non tantum non postulaturum illorum damnationem, verum etiam eos, si opus esset, contra oppugnantes fortiter defensurum. P. Massoulié in Epistola ad Provincialem Belgii data 1. Decembris 1691. testatur articulos summo cum rigore a se suisque fratribus excussos, habitis etiam eum Cardinalibus collationibus, omniumque consensu iudicatos non aliam quam S. Thomae doctrinam complecti; adeoque ab universo Ordine ubique defendi oportere.

Idem iudicium de quinque articulis tulerunt multi Romani Theologi, universa Lovaniensis Academia, nec non plurimi Cardinales; quos inter eruditus D' Aguirre ubi primum didicit Lovanienses ipsam doctrinam profiteri, sinistram, quam de illis conceperat opinionem, exuit.

Quid adversus tot argumenta adversarii? Aiunt Summum Pontificem in suo Rescripto ne cogitasse quidem de quinque articulis. Nam, inquiunt, Iansenisni dicunt se semper tenuisse doctrinam quinque articulorum; Summus vero Pontifex sibi gratulatur quod

ad ſaniorem doctrinam inducti fuiſſent. Quomodo ad ſaniorem doctrinam inducti ſunt, quam nunquam non habuerunt? 2.° S. Pontifex Gallicanis Epiſcopis gratulatur quod eorum conſilio & opera multi ad ſaniorem doctrinam inducti eſſent: atqui certum eſt Epiſcopos quibus Breve ſcriptum fuit nullas partes habuiſſe in negotio quinque articulorum. Ergo reſcripti verba non ſpectant doctrinam quinque articulorum. 3.° Si Alexander VII. reſpexiſſet ad quinque articulos, non diceret, ſe ex litteris Epiſcoporum Galliae accepiſſe creſcere in dies eorum numerum qui recta ſapiunt, ſed ex lectione articulorum illud comperiſſe: atqui non dicit ſe id comperiſſe per lectionem quinque articulorum, ſed per litteras Epiſcoporum Galliae. 4.° Exponit Alexander quid intellexerit per ſaniorem doctrinam, ad quam inducti ſunt Theologi, nempe profeſſionem illam qua declaraverant ſe paratos eſſe ad praeſtandum quae ſua Sanctitas exigeret. 5.° Nuperus Collector Bullarum, inſignis diſſimulator, veri falſique confictor, aſſerit S. Pontificem attendiſſe ad quinque articulos, qui in Theologorum declaratione Regi oblata continentur: & ex quibus ſua Sanctitas ſpem conceperat fore ut Theologi Conſtitutionibus demum parerent.

Recueil historique des Bulles 5. Edition, a Mons chez Gaspard Migeot 1710.

Verum haec momenta nullius ſunt roboris. Reſpondeo ad 1.um quamvis Theologi non recens amplexi eſſent doctrinam in quinque articulis contentam, tamen S. Pontificem apud quem centies traducti fuerant ut haeretici, expenſis illorum articulis exiſtimaſſe illos reipſa mutaſſe mentem. Porro error ille facti, nedum probet quinque articulos S. Pontifici approbatos non fuiſſe, contrarium demonſtrat.

Ad 2.um quid mirum, quod Alexander VII. conſilio & operae omnium Epiſcoporum Galliae honoris cauſſa id attribuerit, quod illorum unum tam feliciter abſolviſſe gaudebat: maxime cum eorum erga Conſtitutiones ſtudium multis argumentis compertum haberet? Certe ſi Theologi Portu-Regienſes abiecto priſtino errore tunc primum ad ſanam quinque articulorum doctrinam acceſſiſſent, ut Alexandro VII. ſuggeſtum fuerat; quis non ſentiat tantam animorum converſionem non ſoli Convenarum Praeſuli Collationum moderatori, ſed etiam aliorum Praeſulum, qui tot Decreta contra Ianſeniſmum condiderant ſtudio & induſtriae poſt Deum fuiſſe adſcribendam?

Ad 3.um Alexander VII. non dicit, ut adverſarii ſupponunt, ſe

litteris Episcoporum Galliae accepisse illorum in dies crescere numerum qui recta sapiunt; immo nec dicere potuit, si quidem nullas hac de re Episcoporum Galliae litteras acceperat; sed dicit se illud accepisse: *litteris ex Gallia recens allatis*, hoc est litteris Episcopi Convenarum, quibus eodem in fasciculo adiuncti erant quinque articuli in Collationibus propositi.

Ad 4.um absurdum est nomine sanioris doctrinae ad quam plurimos inductos fuisse gratulabatur S. Pontifex, intelligere promissionem illam qua Theologi se se obstrinxerant fore ut fideliter praestarent, siquid amplius sua Sanctitas ab eis exigeret ad testandam suam in tenenda Constitutionum fide sinceritatem. Eiusmodi enim pollicitatio, antequam effectus sequatur, non attenditur neque commendatur tanquam sanior doctrina, rectusque sensus. Praeterea si Pontifex non approbatis articulis, hoc tantum nomine Theologos laudavit, quod promitterent se ultro praestituros si quid amplius ad fidem pertinens ab ipsis exigeretur; debuit sane illis indicare quod in eorum articulis desiderabat. At nedum hoc praestet, e contrario declarat gaudere se quod recta sapiant, quod ad saniorem doctrinam sint inducti, hocque unum exigit, ut damnarent quinque propositiones in sensu Iansenii, id est ut confiterentur damnatos errores a Iansenio traditos esse. Hinc sic argumentor: qui accepta professione fidei & declaratione qua rogatur ut declaret an aliquid amplius circa fidem sanctionibus sancitam exigat, agnoscit doctrinam esse sanam, nihil amplius circa fidem requirit, exigitque duntaxat consensum in factum humanum nec revelatum, is certe censendus est transmissam ad se fidei professionem approbare: atqui Alexander VII. accepta professione fidei Theologorum Portu-Regiensium, & enixe rogatus ut si quid amplius circa fidem requireret, id aperte declararet, saniorem doctrinam eis gratulatus est, nihil quod ad fidem pertineat requisivit, postulavitque tantum ut damnarent Iansenii sensum; quod certe, ubi de doctrina constat, ad merum factum reducitur. Ergo Alexander VII. censendus est approbasse fidei professionem seu quinque articulos Augustinianorum, nihilque in eorum doctrina reprehendisse.

Ad 5.um stultitiae proximum est, opinari Alexandrum VII. in illo rescripto attendisse ad declarationem nonnisi post duos menses a Theologis Portu-Regiensibus datam, aut Episcopos Galliae ipsum praemonuisse de futura illa declaratione quam dandam fore,

quia Prophetae non erant, divinare omnino nequibant. Sed ſtultitiae cumulus eſt, aſſerere S. Pontificem accepto illo fictitio declarationis futurae nuncio quam utrum futura & qualis futura eſſet ignorabat, tanta laetitia perfuſum fuiſſe, ut non expectato eventu, non viſa declaratione ſtatim ſcripſerit *creſcere numerum eorum qui recta ſapiunt, multoſque & primarios ad ſaniorem doctrinam inductos*. Si non pudet eiuſmodi deliria obiicere, piget certe refellere. Tales tamen ſunt pleraeque coniecturae illius auctoris, tametſi initio ſuae Collectionis ſinceritatem maximam pollicentis. Ubique ſomnia, ubique ſtudium affectatum ea omittendi quae ſuſceptae cauſſae nocent, ubique putida mendacia aut apertae falſitates.

Obiicit 2.° D. Tournely, quinque articulos in ore quidem Thomiſtarum carere omni ſuſpicione, non vero in ore Ianſenianorum 1.° quia illorum auctores DD. *Girard* & *Nicole* inter praecipuos Ianſenii defenſores fuerunt. Hic, inquit, Pauli Iraenei diſquiſitiones, & notas in litteras Provinciales edidit: ille vero Elucidationem circa factum Ianſenii, ſub nomine Dionyſii Raymundi. „ Citius vero omnes oceani aquas exhauſeris, quam hos libellos „ ab erroribus Ianſenii purgaveris: atqui tamen de verbo ad verbum repraeſentant quidquid in ſpeciem magis catholicum in dictis „ articulis exprimitur ". *Tract. de Gratia Tom. 1. p. 411.*

2.° Quia, „ ſi ad ipſum contextum verborum articulorum attenderimus, apertum erit Ianſeniſtarum fallaciam in illis contineri ".

Reſpondeo nihil eſſe iniquius, quam ex hominibus doctrinam iudicare; cum ex doctrina homines iudicare debeas; & damnare in uno, quod abſolvas in altero. Auctores quinque articulorum, inquis, Ianſeniani fuerunt? ludis in aequivoco. Si intelligis defendiſſe aut tenuiſſe damnatos errores; petis principium & calumnioſe ſupponis quod eſt in quaeſtione. Si intelligis eos defendiſſe librum & perſonam Ianſenii, quid inde conficies? niſi defenſores Ianſenii non fuiſſe haereticos, quorum doctrina ſana pronunciata ſit. At eorum libri de verbo ad verbum exhibent quidquid in quinque articulis magis catholicum videtur. Utor conceſſis, & concludo librorum doctrinam eſſe ſanam, quandoquidem doctrina articulorum, quae te confitente illorum eſt veluti ſumma, a Romanis Pontificibus, a Cardinalibus plurimis, ab Epiſcopis, a Lovanienſi Academia, a Thomiſtis omnibus, a Theologis innumeris ſana pronunciatur,

Sed, ais, libri illi erroribus ſcatent. Unde probas? Quia tu ab illis diſſentis? Egregia ſane probatio, quaſi e tuis ſenſibus veritas catholica aeſtimanda ſit. Ego, te ipſo iudice, demonſtro hos libros non eſſe haereticos. Concedis illos de verbo ad verbum exhibere doctrinam quinque articulorum, eamdemque doctrinam continere: atqui certum eſt demonſtratumque, doctrinam articulorum declaratam fuiſſe ſanam a Summo Pontifice. Sana eſt ergo librorum quos infamas doctrina, certum eſt etiam, nec negas, quinque articulos a Thomiſtis omnibus defendi & pro apprime catholicis agnoſci. Atqui ſecundum te libri Ianſenianorum ſpirant ubique doctrinam illorum articulorum. Ergo Ianſenianorum doctrina non differt a doctrina Thomiſtarum. *Quae enim ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe?* Porro ſi eorum quos Ianſenianos appellas, libri catholici ſunt, ipſimet profecto haeretici dici non poſſunt: ſi quidem, ut ait Chriſtus, *ex fructu arbor cognoſcitur;* ſi autem haeretici non ſunt, ergo ſecta Ianſenianorum eſt merum phantaſma; ergo immerito ſub hoc praetextu viri docti & Catholici ab annis fere 90. vexantur. Ergo in toto tuo tractatu contra ſomnium latras, chimaeramque perſequeris. Dices ne, ut Ianſenianos eorumque libros damnes, doctrinam quinque articulorum ab eis propoſitam, haereticam eſſe? Ergo haeretici ſunt omnes Thomiſtae, qui ſuam eſſe gloriantur. Vide quaeſo, quo pacto te ex ipſorum manibus eripias. Si contendas illos articulos ambiguos eſſe; aerem verberas. Quid enim explicatius deſiderari poteſt? Nulla in his extat vox ambigua, cuius ſenſus non figatur; nulla obſcuritas. Si qua fraus lateret, num P. Ferrerii ſollicitudinem effugiſſet? Num Alexandri VII. & S. Officii vigilantiam praeteriiſſet? Num tot Thomiſtarum oculatiſſimorum aciem decepiſſet? Certe aut tu ſolus omnibus perſpicaciorem te ſentis, quod ſuperbiſſimum foret, aut concede Ianſenianum virus non latere in illis articulis adeoque nec in libris Auguſtinianorum, quorum doctrina, te fatente, in articulorum doctrinam manifeſte coincidit. Sed ad hiſtoriam redeamus.

Mandatum D. *De Perefixe* quo fides humana pro facto exigitur; ac Monialium Portu-Regenſium vexationes,

Harduinus de *Perefixe* Ex Ruthenſi Epiſcopo Pariſienſis Archiepiſcopus factus mandatum dedit 7. Iunii 1664. in quo formulae ſubſcriptionem imperans declarabat, „ dici non poſſe ſine malitia „ aut ignorantia Eccleſiam exigere pro facto Ianſenii fidem divi- „ nam, humanamque duntaxat & Eccleſiaſticam exigi “ decernebat. Hac phraſi ſubvertit, quidquid D. *De Marca* tot in Comitiis ad ſtatuen-

ſtatuendam indiviſam iuris & facti connexionem tanto conatu extruxerat. Nam ſi humana duntaxat fides definitioni facti debetur, manifeſtum eſt eos, qui de facti veritate dubitant, non ideo haereticos eſſe. Novum hoc fidei humanae & Eccleſiaſticae ſyſtema adeo docte confutavit D. *Nicole* in libro *De fide humana* quem tunc edidit, ut illius inventor Perefixius nihil certum ac fixum deinceps habuerit circa ſubmiſſionem huiuſmodi definitionibus debitam ſicut ex dicendis patebit.

Huius mandati occaſione non minus pium quam luctuoſum ſpectaculum orbi Chriſtiano praebuerunt Moniales Portu-Regienſes, luctuoſius poſtea praebiturae. Anno *1656*. Deus ſingulari beneficio, crebriſque miraculis per Spineam Domini Coronam in hoc monaſterio patratis fidem pietatemque illarum commendaverat ſimul & confortaverat; antequam in tenellum gregem perſecutio daeſeviret. Primo Vicariorum Pariſienſium mandato obſecutae iuxta illius mentem formulae ſubſcripſerant: at ubi poſterius mandatum eis propoſitum fuit *26*. Novembris *1661*. unanimi conſenſu declaraverunt ſe ſincere & ex animo complecti quaecumque Summus Pontifex ad fidem pertinentia definierat, erroreſque omnes ab eo proſcriptos reſpuere; circa factum vero Ianſenii, quod inter eruditos controverti cernebant, cum illud expendere per ſe ipſas non valerent, polliceri ſilentium obſequioſum ſuae profeſſioni ſuoque ſexui conveniens. Haec ſubſcriptio ab ipſius ſapientiae ore, ſi ita loqui fas eſt, dictata a P. Annato & Aula reiecta eſt, recruduitque quod iam antea Monialibus illatum erat bellum. Superfluum eſt hîc deſcribere (quod omnes norunt) quanta fuerit illarum ſanctitas, quanta in Deum pietas, quanta in ſe invicem & in omnes viſcera charitatis; ſed omittere non debeo, Vicarios Generales cum Regio iuſſu & Comite D. Bail viſitaſſent anno *1660*. utrumque Portu-Regienſe Monaſterium, ſingulaſque Virgines de ſua fide ſedulo & diligenter interrogaſſent, declaraſſe „ ſe utriuſque domus Virgines inveniſſe non tantum regulari ordine viventes, vota, regulas, Conſtitutioneſque accuratiſſime „ obſervantes; ſumma in pace concordia charitateque conviventes; „ Eccleſiae Sacramenta pie frequentantes: verum etiam addictiſſimas „ orthodoxae fidei, atque obedientiae legitime debitae Summo „ Pontifici & omnibus Eccleſiae Decretis; nihil ſe reperiſſe quod „ adverſetur fidei orthodoxae, doctrinaeque Catholicae Apoſtolicae „ & Romanae Eccleſiae, vel bonis moribus; demum in eis agno-

„ viſſe maximam ſimplicitatem, abſque ulla circa agitatas & con-
„ troverſas quaeſtiones curioſitate “. Hinc colligere eſt quantum ab omni partium ſtudio alienae fuerint Virgines caſtiſſimae quamque recta conſcientia a ſimplici ſubſcriptione abhorruerint.

D. De Perefixe, ubi primum edidit illud mandatum, quod modo commemoravimus, illas convenit, utque ad ſubſcribendum formulae facilius adduceret, fidem tantum humanam a ſe exigi declaravit. Verum hanc ipſam fidem praebere ſe poſſe negaverunt illi facto, quod controverti noverant & diſcutere omnino non poterant. Archipraeſul conceſſis induciis uſque ad 9. Iulii, illarum conſtantiam toto illo ſpatio per D. *Chamillard* Doctorem Sorbonicum & P. *Eſprit* Presbyterum Oratorii Ieſu frangere conatus eſt. Ille praeſertim dictitabat, ſubſcriptionem quae illis imperabatur, nihil aliud exprimere, quam ſinceram ipſarum erga Conſtitutiones ſubmiſſionem; hancque ſubmiſſionem eſſe fidei Divinae, quo ad ius, reverentiae autem & ſilentii religioſi, quo ad factum Ianſenii. Sed inſtabant Moniales (quod certe aequiſſimum erat) ut ſibi liceret duo illa ſubmiſſionum genera inſigniter diverſa, quae in mente gerere permittebantur, in ſua ſubſcriptione exprimere ut lingua & manus cum animo concordarent: ſubmiſſionis vocem ambiguam eſſe; nec pati debitam Eccleſiae reverentiam ut aequivocis verbis cum illa agamus: demum illud vocabulum intellectum iri de fide humana, quae in mandato D. Archiepiſcopi niſi contrarium clare & diſtincte exprimeretur.

Quamobrem 10. Iulii duas declarationes a ſe ſubſcriptas, unam longiorem, breviorem alteram ad Archiepiſcopum miſerunt. Brevior ita ſe habebat: „ Nos pollicemur in eis quae fidei ſunt ſub-
„ miſſionem & fidem ſinceram; de facto autem cum illud per nos
„ ipſas cognoſcere nequeamus, a iudicando penitus abſtinemus, ſed
„ nos ipſas continemus in ſilentio & reverentia, quae ſexui & pro-
„ feſſioni noſtrae conſentanea ſunt “. Utramque benigne excipere viſus eſt Praeſul, ſed paulo poſt humanitatis & aequitatis ſenſus vicit P. Annati gratia. Nam 21. Auguſti Moniales iterum convenit, perſiſtenteſque unanimi voce in ſuis declarationibus duriſſime allocutus, ab uſu Sacramentorum eis interdixit, & 26. eiuſdem menſis reverſus cum Praetore ac ſatellitibus 12. Moniales Pariſienſes in varia Monaſteria ſummo cum ſororum planctu tranſtulit, quarum in locum ſex Moniales inſtituti Viſitationis B. Mariae, invitis Vir-

ginibus, contemptis earum appellatione ac protestatione, praefecit, 21. Novembris novitias omnes exire iussit & vetuit ne ullae deinceps admitterentur.

His persecutionibus octo e Monialibus Parisiensibus cesserunt statimque praemii loco ad munia & dignitates evectae sunt. Quo ad caeteras interdictum Sacramentorum privationemque activae & passivae vocis, quae iam viva voce decreverat, denuo confirmavit Archiepiscopus iuridica sententia, quam utrique Monasterio significavit, una cum declaratione qua testabatur ad levandum eorum scrupulos se non exigere ut testimonium vel iudicium de Iansenii facto per se ipsas ferrent, sed tantum ut sincera submissione acquiescerent iudicio Summi Pontificis. Cum ambigua videretur haec declaratio, Moniales utriusque Monasterii libello supplice ipsum enixe rogaverunt, ut dignaretur distincte exponere, utrum internam credulitatem, an religiosi duntaxat silentii obsequium ab ipsis exigeret. Sed neutris responsum est. Instante die sacro Natalis Domini, rurenses scripto rogaverunt, ut Sacramentorum usus in tanta solemnitate sibi concederetur: sed respondit Archipraesul declarationem suam claram esse, nec indigere expositione, seque illam submissionem exigere quam in huiusmodi quaestionibus Concilia semper exegerant, & fideles praebuerant. Vaga illa responsione difficultates non tollebantur: incertum quippe erat, qualem submissionem, in ipsius mente, Concilia imperaverint quo ad definitiones factorum; an fidei humanae quam in mandato Praesul postulaverat, an aliud quovis obsequium. Itaque Moniales tertio libello supplice clariorem expositionem poposcerunt. Respondit demum Archipraesul 31. Decembris, se illam daturum, sed in praesentiarum satis otii non habere ad nitide explicandum quod in mente habebat; uno tamen verbo res expediri poterat, nec egebat diuturna meditatione. Quid enim facilius quam dicere utrum internum assensum exigas nec ne? Verum quantum coniicere fas est, angebatur undique Perefixius. Nolebat aperte exigere fidem humanam, quam ab omnibus reiici sentiebat. Nolebat etiam aperte declarare se illam non exigere, tum quia in suo mandato contrarium docuerat; tum ne P. Annatum offenderet: satius ergo visum est silentio se ipsum involvere, expositionem instantissime flagitatam nunquam annuere. Plectebantur tamen Virgines Sanctissimae, nullum aliud crimen habentes, quam quod sui Praesulis mentem, quam ipse aperire aut

K 2

non audebat, aut non poterat, aut nolebat, divinare non possent. Suspicabantur quidem ex iis, quae a D. Chamillard sibi centies dicta fuerant, Archipraesulem permittere, ut factum interius non crederent, modo submissionem indefinitam subscribendo profiterentur; sed minime credebant illa privati hominis verba praevalere posse publico & solemni mandato, quo humana fides praescripta fuerat; cupiebantque ab omni dissimulationis vel ambiguitatis umbra procul abesse, in quo nihil est non pium, nihil improbandum, nihil poenis Ecclesiae gravissimis puniendum.

Tamen anno 1665. diebus 3. & 4. Iulii, Moniales Parisienses, quae perstabant in proposito, tum illae quae in Monasterio relictae, tum quae alio translatae fuerant, in rurense Monasterium deportatae sunt, eis quae subscripserant domo urbana attributa, ibique a satellitibus qui exteriora hortosque Monasterii occupabant intra claustri septa arctissime inclusae. Negata sunt etiam illis non Sacramenta solum, sed & chori ingressus & viaticum in articulo mortis & Ecclesiastica sepultura. Hoc persecutionis novum genus invicto & minime muliebri animo per quatuor annos toleraverunt, scilicet usque ad pacem a Clemente IX. Ecclesiae redditam. Legite Apologiam pro illis Monialibus scriptam ab Antonio Arnaldo.

Alexander VII novam formulam condit. *Recueil historique des Bulles* pag. 220.

Cum Episcopi non pauci nec Collegarum suorum hortamentis, nec Regis edicto adduci possent ad exigendam suis in Dioecesibus subscriptionem formulae, Alexander VII. postulante Rege Galliae novam Constitutionem dedit 15. Februarii 1665. novumque Formulare ab omnibus non solum Clericis & Regularibus, sed etiam Monialibus & ludimagistris subscribendum. Huius autem tenor talis est: „ Ego N. Constitutioni Apostolicae Innocentii X. datae die „ 31. Maii 1653., & Constitutioni Alexandri VII. datae 16. Octo„ bris 1656. Summorum Pontificum me subiicio, & quinque propo„ sitiones ex Cornelii Iansenii libro, cui nomen Augustinus excer„ ptas, & in sensu ab eodem auctore intento pro ut illas per dictas „ Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo reiicio „ ac damno, & ita iuro. Sic me Deus adiuvet, & haec Sancta Dei „ Evangelia “.

Plerorumque Episcoporum circa facti & iuris distinctionem confessio.

Hoc Formulare in duobus capitibus differt a formula in Conventibus Cleri Gallicani confecta. Primum est, quod non exprimat doctrinam in quinque propositionibus damnatam non esse doctrinam S. Augustini; alterum quod iuramentum tremendum contineat.

Pontificiae auctoritati Regiam adiunxit Ludovicus XIV. solemni declaratione data & inscripta in Registris supremae Curiae mense Aprili 1665. Tunc omnes Galliae Praesules mandata dederunt pro subscriptione Formularis, sed non uniformiter. Nam aliqui viva voce declararunt silentium obsequiosum sufficere quo ad facti definitionem (*a*); alii hoc ipsum in mandatis privatis docuerunt (*b*); nonnulli convocata Synodo idem suis Clericis tradiderunt processibusque, ut aiunt, verbalibus expresserunt (*c*); alii obscurius quidem, sed pro temporum ratione satis aperte, ut credebant, id ipsum monuerunt, dicendo scilicet in suis documentis se pro facto Iansenii illud obsequii genus exigere, quod Ecclesia in huiusmodi quaestionibus exigere solet (*d*). Quidam de Iansenio siluere, dixeruntque subscriptionem a se exigi tanquam authenticum testimonium quo quisque profiteretur se quinque propositiones sincere damnare (*e*). Alii existimantes distinctionem iuris & facti nimis notoriam esse, quam ut necessarium foret fideles de illa praemonere, explicatas subscriptiones ultro admittebant, ut de se testatur Boloniensis Praesul in Epistola ad Bellovacensem; nullus fuit qui palam doceret fidem sive divinam sive humanam deberi facto Iansenii. Quatuor Praesules, Nicolaus *Pavillon*, Alectensis (d' Aleth) Nicolaus *Choart De Buzanval* Bellovacensis (de Beauvais), Henricus *Arnauld* Andegavensis (d' Angers), & Franciscus Stephanus *Caulet* Apameensis (de Pamiers), eâdem cum Collegis sententiâ, sed forma dispari, palam exposuerunt in mandatis typo editis, duo insigniter diversa in Formulario contineri: unum ad ius spectare, scilicet damnationem quinque propositionum, alterum esse merum factum, nempe illarum attributionem libro Iansenii: iuris definitioni fidem divinam; facti autem silentium obsequiosum deberi. Caeterum ex damnatione quinque propositionum nihil imminutum de auctoritate S. Augustini. Episcopus Noviodunensis distinxerat submissionem, quae iuri debetur, & eam quae facto, sed paulisper exagitatus pedem retulit.

(*a*) Ita Archiepiscopus Rothomagensis & Episcopi Valentiensis, Diniensis, Glandevensis, Suessionensis, Laudunensis, Constantiensis, Pontispoleos, Lodevensis Engolismensis, Rhedonensis, Carcassonensis, Baiocensis, Lemovicensis &c.

(*b*) Episcopi Convenarum Rivensis (de Rieux) Santonensis, Agathensis (d' Agde), Conseranensis.

(*c*) Archiepiscopi Senonensis & multi alii.

(*d*) Archiepiscopus Viennensis, Episcopi Catalaunensis, & Meldensis & Vicarii Generales Aurelianenses.

(*e*) Episcopus Sylvanectensis, (de Sentis), & Vicarii Generales Trecensis.

Negotia quatuor Episcopis creata.

Haec mandata quorumdam animos adeo offenderunt, ut eis instantibus a supremo Regni Concilio irrita, & a S. Pontifice prohibita sint 18. Ianuarii 1667. Eisdem urgentibus, Ludovicus XIV. postulavit a S. Pontifice, ut duodecim Episcopos ad hanc caussam cognoscendam nominaret. S. Pontifex instituta Congregatione, in qua Pallavicinus & Albizzius, praecipuas partes habuere, duo bre-

via morti proximus misit in Galliam quibus iniungebat duobus Archiepiscopis septemque Episcopis, ut quatuor Praesules ad revocanda sua mandata compellerent, eosdem, nisi intra unum aut duos menses resipiscerent, tanquam decretis Apostolicis rebelles & contumaces, iuxta canonicas sanctiones puniturі: concessa etiam potestate, ut si qui hoc munere fungi nollent, caeteri eorum loco alios subrogarent.

His in Brevibus multa reprehensa sunt: 1.um Violatio Sacrorum Canonum quibus decernitur Episcopos nisi a 12. Episcopis comprovincialibus adiunctis, si numerus desit, vicinioribus, iudicari non posse, sicut etiam in Comitiis anni 1650. sancivit Clerus Gallicanus. 2.um Apertus Gallicanarum libertatum contemptus, quae non sinunt Regni subditos a Romano Pontifice in prima, ut loquuntur, instantia iudicari; nec Episcopos Gallicanos iudiciorum Pontificum meros executores esse. 3.um Iuris naturae perversio, quatenus quatuor Praesulibus adimebatur potestas se ipsos defendendi, iudices recusandi, aut provocandi ad aliud Tribunal. 4.um Regulae fidei violatio. Huiusmodi enim iudicio indirecte sanciebatur Romanum Pontificem in definiendis factis humanis infallibilem esse: cum crimen quatuor Episcoporum in hoc solo positum esset, quod negassent assensum internum istiusmodi definitionibus debitum esse. Hinc quidam ex Episcopis a Pontifice nominatis, ut Lodevensis, Suessiensis, Glandevensis, & Macloviensis commissionem illam velut sibi iniuriosam non sine stomacho repudiarunt.

Quinta Iansenii aetas, seu Pax Ecclesiae reddita per Clementem IX. & quae illam subsecuta sunt, usque ad Casum Conscientiae.

Novemdecim Episcopi pro quatuor Collegis ad Clementem IX. scribunt.
V. *Relation de la paix de Clement IX.* & Dupin *histoire du 17. Siecle* Tom. 3.

Interim Alexandro VII. e vivis sublato suffectus est initio mensis Iulii Cardinalis *Rospigliosi* qui Clementis IX. nomen assumpsit. Adversarii quatuor Episcoporum apud eum magnis conatibus institerunt, ut illaesis Galliae libertatibus iudicium usibus nostris congruum de illis fieri permitteret. Sed dum Romae de iudicii forma disceptatur, Illustrissimi *De Gondrin* Archiepiscopus Senonensis, & Felix *De Vialart* Episcopus Catalaunensis tam ingenti scandalo mederi cogitabant. Episcopus Catalaunensis composuit Epistolam ad novum Pontificem ad tuendam caussam suorum Collegarum, huic

Epiſtolae ſubſcripſerunt Epiſcopi 19., quibus conſentiebant alii viginti ſuppetias, ſi opus eſſet, laturi, ut fatetur auctor non ſuſpectus relationis Cardinalis Roſpiglioſi. Cum autem in mandatis quatuor Epiſcoporum duo reprehenderentur, 1.° eorum doctrina circa diſtinctionem iuris & facti, & debitam utrique ſubmiſſionem, 2.° eorumdem agendi ratio qua doctrinam ſuam palam expoſuerant, utrumque vindicatur a 19. Praeſulibus. Primum quidem vindicant doctrinam Collegarum; cum enim retuliſſent exortum eſſe in Eccleſia recens & inauditum dogma, qua factum cum iure confunditur & utrique eamdem ſubmiſſionem deberi aſſeritur, dicunt quatuor Epiſcopos, ut tanto errori occurrerent in mandatis ſuis expoſuiſſe, „ humana, nec divinitus revelata facta non omnimoda & infallibili „ certitudine ab Eccleſia definiri; adeoque in huiuſmodi rebus nihil aliud ipſam a fidelibus exigere, quam ut ſua decreta reverenter, ut par eſt, habeant": expoſitâque hac doctrina addunt; „ ita ſentire ſi criminoſum exiſtimetur, non hoc proprium ipſorum, „ ſed omnium noſtrum, immo totius Eccleſiae crimen fuerit". 2.° Ad defendendam agendi rationem ſuorum Collegarum obſervant illos nihil aliud mandatis publicis feciſſe, quam quod alia via plerique Epiſcopi faciendum iudicaverant. „ Quin immo, inquiunt, „ non defuerunt nec pauci, nec poſtremi nominis Epiſcopi, qui „ idem prorſus quod illi praeſtiterunt; vel publicis mandatis tametſi non praelo excuſis, vel quod non minus ponderis habet, in „ publicis actis ſive tabulis, in quibus eamdem late doctrinam explicarunt. Plerique alii faciles ſe Clericis praebuerunt, ſi quibus fortaſſe aliquid in ſubſcriptione aliquid addere libuerit, dummodo rectum & orthodoxum". Haec Epiſtola ſubſcripta fuit ab Archiepiſcopo Senonenſi, & Epiſcopis Catalaunenſi, Bolonienſi, Meldenſi, Engoliſmenſi, Rupellenſi, Convenarum, Conſeranenſi, Pontiſpoleos, Lodevenſi, Vencienſi, Mirapiſcenſi, Agimenſi, Santonenſi, Rhedonenſi, Sueſſionenſi, Ambianenſi, Tutelenſi, & Trecenſi, Romamque miſſa eſt 1. Decembris. Eamdem adoptavit anno 1682. Clerus Gallicanus ſolemniter approbando librum D. *Gerbaiſe* de cauſſis maioribus, in quo integra deſcribitur.

De Sens. De Chalons ſur Marne. De Boulogne. De Meaux. D' Angouleſme. De la Rochelle. De Comminges. De Conſerans. De Saint' Pons. De Lodeve. De Vence. De Mirepoix. D' Agen. De Saintes. De Rennes. De Soiſſons. D' Amiens. De Tulles. De Troies.

Iidem Epiſcopi alias litteras ad Regem ſcripſerunt, in quibus exponebant negotium quatuor Epiſcoporum ad fidem non pertinere; illos merito obſtitiſſe novae & perniciofae doctrinae omnibus religionis principiis adverſae, qua Summus Pontifex dicitur circa facta

errare non posse: sacris Canonibus & iuribus Ecclesiae Gallicanae omnino repugnare, ut Episcopi iudicentur a Commissariis Romani Pontificis; sed debere Episcopos a duodecim Comprovincialibus, aut si numerus deest, a vicinioribus Episcopis iudicari. Demum laudatâ pietate & doctrina quatuor Episcoporum, Regem orabant, ut omnia in suspenso manere vellet, donec res, pro sua gravitate, expensa esset.

Ibidem. Quatuor Episcopi, ut caussae suae non deessent communem Epistolam scripserunt 28. Augusti ad novum Pontificem, ut facti sui rationem exponerent. Ostendebant appositam a se distinctionem necessariam fuisse, „ ut irreligiosi a periurio, infirmi a lapsu, firmi a periculo molestiisque defenderentur. Plerosque Episcopos id omnino sentire, & nonnullos publicis actis declarasse. Et illos ipsos qui factum a iuris subscriptione seiungere non curarunt, id se propterea fecisse profiteri, quod notiorem eam doctrinam putaverint, quam ut expressa declaratione opus haberet. Itaque (inquiunt) exceptiones quas nonnulli tranquillandae conscientiae caussae subscriptionibus suis apponunt, paucissimis demptis, probant omnes, ut haec concors & constans Cleri Gallicani sententia dici possit, quemadmodum omnium hactenus Theologorum fuit ". Hanc Epistolam ad Regem quoque miserunt cum alia ad eum scripta, qua breviter demonstrabant quantum Galliae libertatibus adversarentur, quae contra se apparabantur.

Ibidem. Ut vero omnes Ordines ac uterque sexus studium suum pro Ecclesiae pace testarentur, Anna Genovefa De Bourbon. Ducissa de Longa Villa, scripsit 27. Iulii Epistolam egregiam ad Clementem IX. in gratiam Monialium Portu-Regiensium, quatuor Episcoporum & Theologorum.

Interim Clemens IX. duo Brevia contra quatuor Episcopos in Gallias misit, unum anno *1667.*, quod propter clausulas insolitas remissum est, alterum anno *1668.*, omniaque ad eorum damnationem parabantur: adeo ut sparso rumore de ambabus novemdecim Praesulum Epistolis, Rex per D. *Le Tellier* Regni administrum monuerit Episcopum Catalaunensem, ne sineret scriptam ad se Epistolam in vulgus prodire, aut saltem ipsius nomen in ea legi: tanta enim erat illius Episcopi sanctitatis & scientiae iusta apud omnes existimatio, ut eius nomen maximum momentum rebus afferret.

19 Martii 1668. Datum est etiam Regis iussu supremae Curiae arrestum, quo

inquiri

inquiri iubebatur in factiones & conventus illegitimos Episcoporum, ac vetabatur, ne illorum ad Regem epistola praelo excuderetur, venderetur, aut disseminaretur.

Pacis consilia in ipso ortu praefocata videbantur, & procul dubio evanuissent, si novemdecim Praesules constantia deseruisset. Catalaunensis caeteris antiquior, auctorque epistolarum ad Regem & ad Procuratorem Catholicum scripsit, ostendens suam & Collegarum suorum agendi rationem factionis argui non posse, immo valde conformem esse usui Ecclesiastico, affirmansque novemdecim Episcopos nullius suggestione, sed proprio motu & suadente conscientia, id egisse, ne scilicet officio suo deessent, Episcopatusque iura certa & inconcussa aperte violari permitterent. Paulo post Lutetiam profectus, rerum statum & quatuor Episcoporum innocentiam Regi, cui ob pietatis famam acceptissimus erat, exposuit; eiusque iussu contulit cum D. Le Tellier de modo conciliandae pacis.

Eodem tempore Parisios venit novi Pontificis novus Nuncius. Cum eo egerunt Praesules, Senonensis, Catalaunensis, & Laudunensis de modo componendi illud negotium. Nihil consultius visum est quam ut quatuor Episcopi convocata Dioecesana Synodo doctrinam suam proponerent, processus verbales facerent, in quibus factum a iure & diversa quae illis debetur submissio distingueretur, atque ad eorum calcem formulae denuo subscriberent, subscribique facerent. Eo maiori cum fundamento creditum est hoc pacto satisfactum iri Summo Pontifici, quod similis agendi ratio a quibusdam Galliae Episcopis inita Romanos non offenderat. Aliunde facile videbatur quatuor Episcopos ad huiusmodi Concilium adducere quo non tenerentur mandata sua revocare aut corrigere, nec primam suam subscriptionem improbare, nec doctrinam a se propositam mutare, sed eamdem forma tantum dispari denuo tradere. Placuit revera quatuor Praesulibus haec pacis via, his tamen conditionibus appositis; 1. ut Theologi qui in eadem caussa erant consentirent; 2. ut libertas sibi integra servaretur processus verbales ad arbitrium suum conficiendi; 3. ut eamdem libertatem haberent respectu epistolae ad S. Pontificem quam sic obsequiosam esse volebant, ut nihil obscurum, ambiguumve contineret, vel ex quo concludi posset eos mandata sua revocasse; 4. ut eiusdem pacis beneficio Theologi & Moniales Portu-Regienses fruerentur.

Pacis negotiatio ac conditiones.

Dum haec occulte transigebantur, quatuor Episcopi litteras en-

Mense Iulio. Ibidem.

cyclicas ſcripſerunt ad omnes Galliae Epiſcopos, ut eos hortarentur ad conſervanda Epiſcopatus iura, quae in ſe per Apoſtolica Brevia violari conquerebantur. Qui pacem nolebant, nihil non tentarunt ut hae litterae auctoritate Regia ſupprimerentur. Inprimis Archiepiſcopus Toloſanus, Commiſſionis Pontificiae princeps, memoriale hunc in finem ſupremo Concilio obtulit, a quo reipſa datum eſt arreſtum 4. Iulii, quo litteris ſuppreſſis vetabatur, ne Epiſcopi, quibus miſſae fuerant, reſponderent. Nihilominus aliqui reſponderunt, & Senonenſis Archipraeſul ſumma cum libertate Regi declaravit, illud arreſtum iuribus Epiſcoporum contrarium eſſe. Caeterum lis meditata parabatur. Sed non modica inter Commiſſarios diſceptatio fervebat, quomodo illam terminarent, utrum Breve Alexandri VII. exſequerentur, an poſteriora; quem in locum convenirent; an reos citarent; an vero poſt tres monitiones ſuſpenſos & interdictos pronunciarent.

Haec palam agitabantur; ſed pacis negotium tacite promovebant cum Rege Regiſque miniſtris Epiſcopi mediatores, caventes inprimis, ne ſua conſilia Ieſuitis innoteſcerent. Ubi primum conditionibus ſibi propoſitis acquieverunt quatuor Epiſcopi, D. *De Lionne* Regni adminiſter Nuncium convenit, expoſuitque peroptatam omnibus pacem concludi poſſe; quatuor Epiſcopos paratos eſſe factis in Dioeceſana Synodo proceſſibus verbalibus, qui in eorum tabulariis aſſervarentur, denuo ſubſcribere, litteraſque obſequii plenas ad Summum Pontificem mittere.

Id ſummo cum gaudio exceptum. Nuncius S. Pontifici ſtatim litteris indicavit, addens Regem Chriſtianiſſimum, illius miniſtros, & pleroſque Epiſcopos pacem ardenter expetere. Non minus gratum id habuit Clemens IX. Quamobrem ſine ulla mora plenam poteſtatem Nuncio dedit, ut de litteris nomine quatuor Epiſcoporum ad ſe mittendis cum Epiſcopis mediatoribus ageret. Earum proſpectum fecit Antonius Arnaldus; cumque tribus Epiſcopis mediatoribus, Regiiſque miniſtris, & Nuncio placuiſſet, miſſus eſt ad quatuor Epiſcopos; a caeteris vehementer approbatus eſt; excepto Alectenſi, cui adeo praeter ſpem pax viſa eſt, ut fraudem ſuſpicatus aliquandiu diſtulerit, plurimaque obiecerit, antequam ſubſcriberet. Subſcripſit tandem 1. Septembris; deinde 18. eiuſdem menſis, convocatis in Synodum non tantum Parochis, ſed & univerſo ſuae Dioeceſeos Clero, dixit, ſe, quoniam mandatum ſuum, licet ger-

manam Ecclesiae doctrinam exhibens, fructus pacis a se expectatos non protulerat, decrevisse novam subscriptionem exigere, qualem imperaverant nonnulli Episcopi, a quibus eadem monita, quae ipse in mandato suo dederat, in processibus verbalibus inseruerant; eoque libentius adduci ad id faciendum, quod certo cognovisset hanc subscribendi rationem S. Pontifici acceptissimam fore. Deinde Clericos suos haec tria monuit. 1.um Per hanc subscriptionem quam exigebat, sincere plene & absque exceptione damnari debere sensus omnes a Summo Pontifice & Ecclesia in quinque propositionibus damnatos. Alterum; sensus illos ab Ecclesia damnatos valde differre a doctrina SS. Augustini, & Thomae, quam Romanos Pontifices semper approbaverant. 3.um Quod attinet ad factum in formula contentum exhiberi debere submissionem reverentiae & disciplinae, in eo sitam, ut contra S. Pontifices non insurgatur, sed silentium servetur; Ecclesiam siquidem, utpote cum circa sensum auctorum vel librorum decipi possit, non exigere a fidelibus, ut assensum internum praebeant istiusmodi factis a se definitis. Demum facto super his processu verbali, ipse primum Episcopus, deinde eius iussu Clerici omnes lubentissime subscripserunt. Idem fecerunt Episcopus Apameensis eodem die, Bellovacensis die 14. Andegavensis die 15. eiusdem mensis. Statim atque Nuncius litteras ad S. Pontificem a quatuor Praesulibus subscriptas accepit, convento Rege, declaravit rem finitam esse, seque quantocius litteras Romam missurum, ut sua Sanctitas ultimam manum huic negotio imponeret. Tamen nescio quo scrupulo transumptum tantum misit; retento apud se autographo. Porro in his litteris quatuor Episcopi sic loquebantur. 17. Septembris.
„ Cum in exequenda decessoris vestri de subscribenda fidei formula „ Constitutione, Gallicani Episcopi nobiscum sensibus coniunctissimi eam disciplinae formam amplexi sint quam Sanctitati vestrae „ acceptiorem fuisse intelleximus, nos quibus nihil est antiquius „ quam paci & unitati consulere, & nostram erga Sedem Apostolicam reverentiam testificari, non piguit eorum institutum imitari. Quamobrem congregata, sicut illi, Dioecesana Synodo, & „ imperata nova subscriptione, nos etiam subscripsimus; quae suis „ ipsi Clericis tradiderunt, nostris tradidimus; quod in Apostolicas „ Constitutiones obsequium iniunxerunt, iniunximus; prorsusque „ nos ipsis, utpridem doctrina, ita nunc in hac disciplinae forma „ coniunximus. Arduum id nobis ac perdifficile fuisse non diffite-

„ mur, non ignaris, quot malevolorum voculas excitare posset haec „ disciplinae mutatio, sed &c. ". Extant integrae in Relatione pacis, & in Collectione Bullarum pag. 243. Ex verbis, quae retulimus, apparet quatuor Praesules, quantum Romanae Sedis reverentia patiebatur, aperte significasse, se non doctrinam in mandatis contentam, sed solam disciplinae formam mutasse; secutosque exemplum illorum Praesulum, qui eosdem sensus secum gerentes, id ipsum in Synodis Dioecesanis per processus verbales declaraverant, quod ipsi suis in mandatis; uno verbo, se actis Synodaliter confectis idem sanciviffe, quod prius in mandatis sanciverant.

S. Pontifex acceptis his litteris, & in Congregatione Cardinalium examinatis, cursorem postridie remisit cum Rescripto ad Regem, in quo inter alia; „ magna sane cum laetitia cognovimus, „ inquit, in simplici ac pura subscriptione Formularii quatuor il„ lorum Episcoporum obedientiam & obsequium ". Verisimile est propter clausulam hanc a vero alienam, contra quam aperte reclamassent quatuor Episcopi, Rescriptum illud Romam remissum fuisse. Hoc saltem constat, illud omnium cognitionem effugisse, antequam post triginta & amplius annos, per historiam quinque propositionum, & Collectionem Bullarum palam innotuerit.

Demum S. Pontifice postulante a quatuor Episcopis testimonium eorum chirographo munitum, quo constaret illos subscripsisse & subscribi fecisse Formulae, id quoque praestiterunt cum manifesto ad praecedentes litteras respectu hunc in modum: „ Nos Episco„ pi . . . testamur quibus intererit, nos habita nostra Synodo „ sincere subscripsisse & subscribi fecisse a Clero nostro ad hoc vo„ cato, Formulare fidei contentum in Constitutione SS. Patris no„ stri Papae Alexandri VII. felicis memoriae, congruenter ad Epi„ stolam quam ea de re ad SS. Patrem nostrum Papam scripsimus ". Tunc Nuncius declaravit pacem absolutam esse, idque publicari posse. Commissarii, qui quatuor Episcopos iudicaturi Lutetiam venerant suas quisque in Sedes remissi sunt. Archiepiscopus Senonensis, obtenta licentia, Antonium Arnaldum, DD. De Lalane & Nicole duxit ad Nuncium, a quo tanquam Ecclesiae charissimi & pretiosissimi honorifice excepti sunt: omnium Ordinum in tam felici nuncio communis exultatio fuit: aulici Episcopis mediatoribus palam gratulabantur. Rex ipse Arnaldum videre optavit, magnaque illi praebuit humanitatis & benevolentiae indicia. Datum est paulo

post supremi Concilii arrestum, in quo Rex Christianissimus, cum retulisset Summum Pontificem gratam acceptamque habuisse obedientiam Constitutionibus praestitam a quatuor Praesulibus, & postulasse, ut interposita Regia auctoritate impediretur, ne contentiones occasione damnationis libri Iansenii exortae ullo modo renovarentur; praecepit ad conservandam pacem a sua Sanctitate Ecclesiae redditam, ut Constitutiones Apostolicae in suo Regno observarentur, praeteritis eorum violationibus aut non executionibus pro nullis habitis; vetuitque ne sui subditi odiosis haereticorum, Iansenianorum, aut Semipelagianorum nominibus se se mutuo traducerent. Neutris hoc arrestum placuit: non Iesuitis; quia purae & simplicis subscriptionis, aut mandatorum revocationis mentionem nullam faciebat, nec quatuor Episcopis; quia Summus Pontifex per litteras ipsorum, novamque subscriptionem, inductus fuisse dicebatur ad obliviscendum praeterita. Horum tamen molestiam aliquantum levarunt Regis litterae ad eos missae 27. Octobris, quibus pacem amanter gratulabatur, priori agendi ratione nequaquam improperata; testabatur se magno illos in pretio habere, totisque viribus obstiturum, ne pax illa turbaretur.

Iesuitarum ad turbandam pacem conatus. Instrumentum Episcopi Catalaunensis.

Tom. 2. pag. 365. & seqq.

Incredibile est, quantis artibus usi fuerint Iesuitae ad turbandam novam pacem, aut saltem ad persuadendum quatuor Episcopos pure & simpliciter subscripsisse Formulae. Eas nosse qui volent, legant *Relationem pacis Clementis IX.* Inprimis Romae effutiebant acta verbalia S. Pontifici iniuriosa esse. „ Galliam primo “, ait relatio Card. *Rospigliosi* „ tum Romam quoque pervasit opinio variis scri- „ ptis vulgata, quatuor Episcopos in verbalibus Synodi actis asse- „ ruisse a S. Pontifice haeresis notam inuri non posse quinque pro- „ positionibus in sensu Iansenii. Accepto eiusmodi rumore retarda- „ tus est Pontifex, ne statim quatuor Episcopis rescriberet, deque „ eorum sibi obsequio constare profiteretur, sed Nuncium interim „ iussit in rei veritatem non acriter magis quam dissimulanter in- „ quirere . . . Curae erat in summa Pontifici rite cognoscere quid „ tandem continerent declarationes illae actis verbalibus additae “. Nuncius hac de re contulit cum ministris Regiis, quorum impulsu Episcopus Catalaunensis declarationem dedit a se & ab Antonio Arnaldo subscriptam, qua breviter, sed accurate exponebatur quid processus verbales continerent: En illius tenorem: „ Episcopi quatuor „ aliique Ecclesiastici fide egerunt quam optima, certoque eis pro-

„ positum non est, nisi zelo maximo fidem Ecclesiae, altamque „ erga S. Sedem submissionem conservare “. Condemnarunt & condemnari iusserunt quinque propositiones sinceritate omni, absque exceptione vel restrictione qualicumque, in omnibus sensibus quos Ecclesia damnavit. Abest ab illis quam longissime, ut corde suo tegant consilium quodcumque errores illos quovis „ praetextu reno„ vandi, ferendique, ut quis illos renovet, vel in minimo factam „ ab Ecclesia illorum condemnationem labefactet: cum alii Ec„ clesiastici non sint, qui inviolate magis in hoc argumento aliis„ que omnibus doctrinae ipsius adhaereant “.

„ Quod vero ad attributionem spectat, qua propositiones illae „ adscribuntur libro Iansenii Episcopi Iprensis, iterum praestiterunt „ iusseruntque praestari S. Sedi omnem reverentiam & obedientiam, „ qualis ipsi dum libros proscribit exhiberi debet iuxta Theologo„ rum omnium consensum, iuxta doctrinam omnium retro saeculo„ rum catholicam, immo & novissimis temporibus assertam ab „ acerrimis auctoritatis S. Sedis defensoribus, quales fuere Cardina„ les. Baronius, Bellarminus, Richelius, Pallavicinus, & Patres Pe„ tavius & Sirmondus, idque conformiter ad mentem Constitutio„ num Apostolicarum, quae in eo est posita, nihil ut dicatur, „ scribatur, vel doceatur Pontificum decisionibus contrarium. Qui„ bus addiderunt processuros se in suis Dioecesibus per vias canoni„ cas adversus eos, qui horum officiorum alterutri deessent “.

„ Declaramus ac testificamur (habita communicatione & co„ gnitione speciali eorum quae sentiunt quatuor Episcopi, quaeque „ in processibus eorum verbalibus continentur) doctrinam hoc Scri„ pto comprehensam prorsus conformem esse doctrinae processuum „ verbalium, nihilque in eis contineri doctrinae huic contrarium. „ Atque haec etiam mea est & XIX. Episcoporum, qui ad Sancti„ tatem suam scripserunt, sententia “.

„ Felix Episcopus & Comes Catalaunensis “.

„ Antonius Arnaldus Presbyter & Doctor Sorbonicus “.

Simul atque haec declaratio Romam missa fuit, Illustrissimus 5. Decembris 1668 *De Harlay* Archiepiscopus Rothomagensis litteras scripsit ad Cardinalem Rospigliosi, in quibus asserebat nihil ultra ab Episcopis & Theologis exigi posse; Ecclesiam iudicando de sensu auctorum vel librorum non gaudere non errandi privilegio; proinde eius his de rebus definitionibus non deberi iuxta studiosissimos S. Sedis defenso-

res, nisi eam reverentiae submissionem quam polliciti erant quatuor Episcopi: Conventum Cleri Gallicani annorum 1660. & 1661. in quo Formulae subscriptio decreta fuit, acceptissimam habiturum fuisse talem declarationem, quae si tunc oblata fuisset, dissidia dudum sopita fuissent. Sed Episcopos timuisse, ne Iansenii defensores sub praetextu factum a iure secernendi ipsas propositiones damnatas tueri vellent. Fallitur certe Harlaeus, cum dicit talem declarationem antea datam non fuisse; nihil enim est in memorata declaratione quod Augustini Discipuli scripto & viva voce centies non dixissent. Immo anno 1657. Theologi Portu-Regienses mediante Duce De Longa Villa ipsimet Harlaeo declarationem obtulerant, qua profitebantur se damnare quinque propositiones in quocumque libro reperirentur; quo ad factum autem reverentiae & silentii submissionem polliceri: eaque declaratione Card. Mazarinio & D. De Marca communicata, responsum fuerat illam non sufficere, negotiumque componi aliter non posse, nisi formulae pure ac simpliciter subscriberent. Fucum quoque facit, cum dicit Episcopos Conventum timuisse ne sub obtentu facti ius ipsum impugnaretur: quasi vero Theologi quinque propositiones non satis aperte damnassent, ut omnis de sincera illorum fide dubitatio evanescere debuisset. Verum Harlaeus volebat aliquo modo excusare iniquam agendi rationem illius Conventus, cuius ipse praeses fuerat.

Dupin hist. Eccles. du 17. Siecle Tom. 2. pag. 528.

Illa Episcopi Catalaunensis declaratione simulque Rothomagensis litteris in numerosa Cardinalium, Praelatorum, & Consultorum Congregatione per tres hebdomadas examinatis, Clemens IX. nihil amplius desiderandum ratus, ad plenam pacis consummationem Breve gratulatorium ad quatuor Episcopos misit, eiusque iussu Nuncius postulavit a Rege Christianissimo, ut faustissimam hanc pacem auctoritate sua conservaret aeternumque super praeteritis contentionibus silentium imponeret, puniendo qui illas renovarent. Haec testabatur anno 1674. ad perpetuam rei memoriam Episcopus Catalaunensis, addens: „ hoc est testimonium quod veritati perhibe„ mus, tanto maiori fidelitate ac certitudine, quod nos ipsi cogno„ verimus & viderimus omnia specialissime “. Eadem similiter referuntur in relatione Card. Rospigliosi. Rescriptum seu Breve missum 19. Ianuarii 1669. quatuor Episcopis fuit huiusmodi: „ Ve„ nerabilis frater Archiepiscopus Thebarum, Nuncius istic noster, „ misit ad nos elapsis diebus Fraternitatum vestrarum epistolam,

Pax concluditur.

Recueil des Bulles pag. 255.

„ in qua cum ingenti obſequii nobis & huic S. Sedi per vos de-
„ biti teſtatione, ſignificabitis vos iuxta praeſcriptum litterarum
„ Apoſtolicarum a felicis recordationis praedeceſſoribus noſtris In-
„ nocentio X. & Alexandro VII. emanatarum, ſincere ſubſcripſiſſe
„ & ſubſcribi feciſſe Formulario in eiuſdem Alexandri VII. litteris
„ edito. Etſi autem de hac re quaedam ſecus circum lata occaſio-
„ nem nobis praebuerant in tam gravi negotio ſerius procedendi:
„ nam dictorum praedeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus firmiſſi-
„ me inhaerentes, nullam circa illud exceptionem aut reſtrictionem
„ admiſſuri unquam fuiſſemus; in praeſens tamen, cum nova &
„ gravia iſthinc acceperimus documenta verae totalis obedientiae
„ veſtrae, qua & Formulario ſincere ſubſcripſiſtis, &, damnatis
„ abſque ulla exceptione aut reſtrictione quinque propoſitionibus in
„ omnibus ſenſibus in quibus a Sede Apoſtolica damnatae fuerunt,
„ alieni prorſus eſtis a renovandis in hac re erroribus illis qui ab
„ eadem damnati ſunt; tribuere vobis volumus hoc paternae bene-
„ volentiae noſtrae argumentum, fidentes plane divinae gratiae &c.".
Manifeſtum eſt cuivis attendenti, huius reſcripti verba alludere ad declarationem Epiſcopi Catalaunenſis, qua iuris & facti diſtinctio in actis verbalibus Epiſcoporum fieri dicebatur; & quam S. Pontifex (quod notandum eſt) vocat *grave documentum verae & totalis obedientiae* quatuor Epiſcoporum. Eodem die Clemens IX. aliud Breve gratulatorium miſit ad Archiepiſcopum Senonenſem Epiſcopoſque Catalaunenſem & Laudunenſem qui exitu adeo felici pacis ſequeſtri fuerant.

Ad conſervandam in poſterum huius pacis memoriam D. *De Colbert* Regia auctoritate numiſmata, quibus utriuſque poteſtatis in ſancienda pace concordia ſymbolice exhibebatur, in aere per excuſſorem Regi cudi curavit. Horum unum in Regio mumiſmatum armario poſitum eſt; aliud in fundamentis novae Luparae quae tunc extruebatur reconditum; quaedam inſignibus viris dono data. Praeclara fit horum numiſmatum mentio in Memorialibus Academiae Inſcriptionum: quapropter riſu potius quam confutatione digna eſt fabula quam narrat auctor hiſtoriae quinque propoſitionum, illa Rege inconſulto excuſſa fuiſſe, eoque iubente reſciſſa.

V. *Relation de la paix de Clement IX.* T. 2. pag 423. & ſeqq.

Moniales Portu-Regienſes, ut communi bono non fraudarentur, libellum ſupplicem ad Archipraeſulem Pariſienſem miſerunt, in quo ſubmiſſionem ſuam eis verbis ſignificabant, quae in declaratione

tione Episcopi Catalaunensis Romam missa continentur, statim Illustrissimus De Perefixe decretum emisit, in quo Monialium libello supplice ad verbum relato, aiebat se, cum certo nosset similem declarationem a sua Sanctitate receptam & approbatam fuisse, illas restituere in usum Sacramentorum quo eas privaverat, absolvere ab omnibus censuris in quas incurrere potuissent; & revocare omnia interdicta in easdem lata.

Pacis opus sequenti epigrammate cecinit Poëta anonymus:

Invenit finem longos agitata per annos
Quaestio: pax pulsis Virginibusque data est.
Iuri salva fides, factis reverentia; sicque
Quod nunquam fuerat, desiit esse malum.

Aliquid tamen paci deesse videbatur, quamdiu Antonius Arnaldus in Facultatis iura, a quibus anno 1656. exclusus fuerat, restitutus non esset. Rem tentavit Episcopus Catalaunensis; sed exitu irrito, obsistentibus Parisiensi Archiepiscopo & P. Annato, quibus molestissime ferentibus, quod se inconsultis & insciis pax conclusa fuisset, hoc saltem solatium dare Regi placuit, ut illa caussa non retractaretur.

In fausta tanti negotii conclusione, quod in extremo rerum articulo, cum omnia desperata videbantur, contra omnium, paucis exceptis, expectationem confectum est, non possum non admirari summam Dei ad movendas flectendasque quo voluerit voluntates omnipotentiam, pervigilemque & attentam in suos providentiam. Hoc pacto succurrere solet iis qui nullam aliam praeter se spem concipiunt; ut quando deficiunt humana subsidia, tunc maxime caelestem opem exerceat, *post tempestatem tranquillum faciat*, Tobiae 3. 22. *& post lacrymationem & fletum exultationem infundat*. Enim vero tunc apparuit quatuor Episcoporum, Theologorum, & Monialium innocentia; apparuit quam inique per multos annos vexati, dispersi, mulctati fuissent; apparuit inanem haeresis larvam, instigantibus Iesuitis, in viris Virginibusque Sanctissimis impugnatam; apparuit nihil amplius circa Iansenii factum exigi summo iure posse, quam obsequiosum, quod toties promissum fuerat, silentium.

Pacis foedera violari incipiunt multis reclamantibus.

Tam firmis radicibus stabilita pax nunquam non duratura videbatur. Vicit revera aliquot annis obsistentium conatus, libe-

rumque fuit omnibus, qui de veritate facti ambigebant, ad instar quatuor Episcoporum subscribere. Anno 1675., cum Constantiensis Episcopus a D. *Vibel* ad regendam suae Dioecesis parochiam nominato puram ac simplicem formulae subscriptionem exigeret, Harlaeus Archipraesul Parisiensis Regis nomine illum coegit admittere explicatam subscriptionem, qualis a quatuor Episcopis data fuerat. Sed paulo post nonnullorum artibus nova bella mota sunt. Res sic contigit. D. *De la Barre* Universitatis Andegavensis Cancellarius, fratrem habens Iesuitam, Iesuitisque impense deditus tentaverat anno *1669.* contra morem Universitatis insolitum iuramentum circa Iansenii factum a Licentiatis exigere. Obstitit sacra Facultas conclusione lata 1. Aprilis; nec ulterius res processit recenti adhuc pace novitati praevalente. Sed anno *1676.* Cancellarius opportuniora tempora nactus, mutata iurandi Formula quam sacer ordo reiecerat, hoc verborum tenore Licentiandos iurare iussit: „ Iuratis vos damnare quinque propositiones a Summis Pontificibus damnatas, „ iuxta Formulam a Clero Gallicano praescriptam "? Incoeptum dissimulavit Praesul Andegavensis. Paulo post Cancellarius, annitentibus, ut fertur, Harlaeo Parisiensi, & P. *De la Chaise*, iussa Regia ad se mitti curavit, quibus de Formulae iuramenti novitate expostulabatur, praecipiebaturque, ut iuxta pristinum Facultatis morem in factum Iansenii iuraretur. Obstupuere Doctores, nolueruntque has litteras aperte subreptitias in Registros referre priusquàm Regia Maiestas de rerum statu certior facta esset, sciretque illud iuramentum quod renovari iubebat, in Facultate hactenus fuisse inauditum. Novae litterae nomine Regis in Castris Ninovae tunc agentis Andegavum supervenere, ut priores quam primum inscriberentur, data tamen Syndico & aliis de rei novitate conquerentibus licentia rationes suas per D. De *Chateaunef* exponendi. Morem gessit sacra Facultas: at Cancellarius mandata praetervectus ad exigendum confestim iuramentum se accinxit. Hanc tyrannidem dissimulandam non ratus Episcopus Andegavensis, mandato ad Facultatem dato, vetuit, sub poenâ suspensionis, ne iuramentum illud insolitum ac paci adversum exigeretur. Hinc a malevolis delatus est apud Regem, quasi obstitisset, ne quisquam pure & simpliciter Formulae subscriberet, quamvis non de Formulae subscriptione ageretur, sed de novi iuramenti insolita tyrannide, iussissetque tantummodo, ut qui vellent, pacis Clementinae beneficio potirentur. Con-

V. 14. Epistolam adversus Mandatum Ill. Iust. de Bully contra institutiones Theologicas P. Iuvenin.

festim arresto dato Ninovae 30. Maii *1676*. Episcopale Mandatum, veluti Constitutionibus Apostolicis contrarium irritatur, perhibito tamen sinceritati quatuor Episcoporum perillustri testimonio. En arresti verba: „ Comme si la condescendance que le S. Siege a eüe „ avec beaucoup de prudence en admettant quelques signatures du „ Formulaire avec quelque explication plus etendue en faveur de „ quelques particuliers seulement, & pour les mettre à couvert de „ leurs scrupules . . . deût être à l'avenir une loi de necessité & „ de changement a la signature des Ecclesiastiques, qui ont fait gloi- „ re de se soumettre purement & simplement à l'autorité du S. „ Siege &c. ". Quantum abesset Sanctissimus Praesul ab ea mente, quam aemuli ipsi attribuerant, nullas ut subscriptiones, nisi explicatas admitti vellet, declaravit altero Mandato dato 4. Septembris. Igitur damnatus non est nisi ex falsa suppositione, nec arresto praefato abrogata pax est, utpote non in eo sita, ut omnes factum a iure secernere subscribendo tenerentur, sed ut qui de facto dubitabant, ut hoc pacto subscribere possent, concederetur. At tamen qui tantum concordiae donum invisum habebant, ansam inde arripuere novas persecutiones excitandi; paxque veritate & maturo examine parta, per mendacia, per fraudes, per iniquas delationes nutare labefactarique coepit. Exinde adversus Sanctos Praesules, eruditos Theologos, Sanctimonialesque, quorum caussae aequitas tantopere claruerat, sopitae tempestates, nullo crimine superveniente, recruduerunt; adeo ut historiae seriem pia meditatione considerantibus, atque divina, quibus Ecclesia semper gubernatur, consilia studiose attendentibus, lucidum illud pacis spatium multo minus ad hoc concessum divinitus videatur, ut veritatis amantes persecutionibus omnino eriperentur, quam ut inter varias quibus deinceps agitandi erant procellas, fixam veluti epocham haberemus, eorum innocentiae certissimum indicem, ad quam mentis oculos identidem reflectendo agnoscamus eam caussam, quae nullo humano praesidio fulta, conspirantibusque plurimorum votis paene oppressa, stupente & plaudente mundo, aperta in luce vicit, quantalibet hostium multitudine ac potentia vel malorum ingruentium mole nunquam oppressum iri, sed suo tempore denuo triumphaturam.

Dolebant tamen, & merito, sinceri pacis amatores hoc bonum vix dum gustatum somnii instar evanuisse. Hoc dolore pressus Episcopus Catalaunensis (Felix de Vialart) attestationem supra memo- Ann. 1676.

ratam edidit, qua quid tempore pacis actum esset, libere exposuit. Eodem anno litteras gratulatorias scripsit Innocentio XI. ad Sedem Apostolicam recens evecto; rescriptum est 7. Iulii 1677. per Cardinalem Cibo, laudatumque inprimis studium quod ab omni partium affectu alienus ad maiorem Dei gloriam sanctaeque Sedis reverentiam procurandae paci impenderat. „ Quod ad nos pertinet, „ addebat S. Pontifex, id praecipue diligenterque curabimus, ut „ e medio sublatis inanibus ingeniorum dissidiis, fidelium mentes „ unius ubique sint voluntatis, atque in domo Dei ambulent cum „ consensu “. Non distulit Praesul sanctissimus amplissimas grates reddere, simulque scriptis ad Card. Cibo litteris fideliter exposuit, quae sub Clemente IX. confecta fuerant; hortatus est ut omnia illius temporis instrumenta authentica revolvi curaret, maxime cum illa pax saluberrima a multis in Gallia violaretur, & optimi quique per aemulorum calumnias inutiles Ecclesiae redderentur: commendavit prae ceteris Episcopum Andegavensem, suggessitque quod iam pridem Cardinali Rospigliosо ab Harlaeo Archiepiscopo Parisiensi suggestum fuisse affirmat, multo satius esse subscriptionem, utpote iam inutilem, immo noxiam abolere. Alias etiam ad tuendam pacem litteras scripsit, ad S. Pontificem anno 1679., & ad Regem Christianissimum anno 1680. quas videre est in observationibus Hexaplorum part. 12. pag. 304.

Relation de la paix de Clement IX.

Episcopus quoque Andegavensis (Henricus Arnaldus) scripsit ad Innocentium XI. initio anni 1678. ingenue & candide exponens quaecumque tempore Clementis IX. acta fuerant, simulque instrumenta omnia & processus verbales qui hactenus in tabulariis remanserant transmittens. Graphice depingebat persecutiones, quibus optimi quique, spretis vel ignoratis pacis conditionibus, obnoxii erant, concludebatque summae necessitatis esse, ut acta verbalia in publicum emitterentur. Episcopus Alectensis eadem de re ad SS. Pontificem scribens, factum a iure secernendum ostendit: quod nedum Innocentius XI. reprehenderit, rescripto suo declaravit se omnia diligenter examinaturum. Et certe nemo nescit illum persuasum habuisse sectam Iansenianam merum esse phantasma.

Fraus Duacens.

Licet Duacena Facultas de pristino erga S. Augustini doctrinam studio multum remisisset, aliquos tamen magistros habebat avitae doctrinae tenaciores. Hos iniquis oculis videntes Iesuitae cupientesque illam Facultatem Patrum suorum damnatricem sibi peni-

tus ſubiicere, primum quidem codices de Gratia a D. Gilbert Regio Profeſſore dictatos velut Ianſeniſmo refertos Regi Chriſtianiſſimo denuntiari fecerunt. Quinque Profeſſores Pariſienſes, Auguſtini doctrinae parum ſtudioſi, ad illos examinandos a Rege nominati, velut Ianſeniſmo faventes damnarunt 28. Ianuarii 1687., horumque iudicium ſecutus Epiſcopus Atrebatenſis, tractatum & excerptas inde propoſitiones Cenſura notavit 13. Auguſti, ac Profeſſorem palinodiam cantare iuſſit. His ictibus inopinatis perculſus D. Gilbert aliquantiſper ceſſit: ſed brevi conſcientia exagitatus provocationem iuridicam Epiſcopo ſignificavit, contenditque nullam in ſuo tractatu propoſitionem extare quae catholica non eſſet. Paulo poſt Molinae ſequaces, ut unico ictu Facultatem opprimerent inſignem fraudem meditati ſunt. Hominem quemdam ſubdolum ſuſcitarunt, qui Arnaldum ſe eſſe mentiens, hac fraude Duacenis Theologis illuderet, foveamque foderet. Perſonatus ille Arnaldus litteras veri Arnaldi nomine ſcripſit ad D. *De Ligny*, fingens ſe arctam cum illo amicitiam inire velle, ſimulque Theſes miſit, quibus pro communi bono ab omnibus ſanae doctrinae addictis ſubſcribi opus eſſet. Quamvis impoſtor ab Arnaldo non minus ſcribendi genere rudi & imperito quam vafritie differret, tamen D. De Ligny, vir rotundus, qui ex ſe ipſo caeteros aeſtimabat, fraudem non detexit; credenſque litteras ab Arnaldo quem magni faciebat vere ſcriptas eſſe, tanquam pio doctiſſimoque Theologo confidentiſſime & liberrime reſcripſit. Huiuſmodi commercium anno integro duravit, Duacenis de fraude nihil ſuſpicantibus. Tandem multis hinc & inde ſcriptis & reſcriptis Epiſtolis Pſeudo Arnaldus a clarioribus Facultatis Duacenae Theologis petiit approbationem cuiuſdam Theſeos ſeptem captioſas & malo animo fabricatas propoſitiones continentis. Hi, quamvis cum amico agere ſe, illaſque propoſitiones a pluribus Galliae Epiſcopis & Sorbonicis Doctoribus, a praecipuis Lovanienſis Academiae Theologis, & a viris in tota Europa celeberrimis, ut ſcribebatur, approbatas fuiſſe arbitrarentur, noluerunt tamen Theſim prout iacebat approbare; ſed tantum addendo expoſitiones catholicas, quibus ſenſum, in quo articuli a ſe probarentur, determinabant. Verum Pſeudo-Arnaldo inſtante, ut ſimpliciter ſubſcriberent, ne ſcilicet viri doctiſſimi qui ſic Theſim approbaverant offenderentur, annuerunt tandem.

Anno 1690.

Recueil des Bulles pag. 118.

Fraudis architecti votorum compotes, ac metuentes, ne mendacium, ſi diutius duraret, detegeretur, epiſtolam ediderunt ac Do-

ctores Duacenos, in qua fingentes se fortuito cognovisse commercium litterarum, quod illos inter & Arnaldum intercedebat, de imminenti pernicie illos commonebant: atque ut calumniae nihil deesset, Thesim septemque articulos captiosos sic retulerunt, ut explicationes Theologorum supprimerent. Ex epistolis quoque Duacenorum XXI. propositiones exceperunt, quas Iansenismum redolere criminabantur. Tam perditae nequitiae miraculo attoniti Arnaldus & Duaceni, conclamarunt violari per immane nefas sanctissima amicitiae iura, palamque flagitarunt, ut in nequitiae auctores inquireretur. Immane facinus expavere probi omnes: horruit Ludovicus XIV. voluitque, ut fraudis parentes sedulo perquisiti meritas poenas solverent. Iesuitae, ut turpissimi facti infamiam a se averterent, per *P. De la Chaise* Regis Confessarium inverecundum hominem (Honoratum Tournely) velut hircum emissarium Maiestati suae obtulerunt qui se Pseudo Arnaldum sive confessus, sive mentitus, totam criminis invidiam in infaustum caput devolvit. Obtinuerunt nihilominus quod volebant. Quinque Professores Sorbonici & totidem Navarrici commissi sunt ad examinandum septem articulos Thesis & propositiones Theologorum Duacenorum; cumque censuissent tres e quinque propositionibus in illis renovari, statim primarii Scholae Duacenae magistri in exilium acti sunt. Sic Iesuitae ulti sunt in filiis Censuram contra sodales suos olim a Patribus latam, Facultasque, quae veritatis amore steterat, inimicorum fraude subiugata est.

Caeterum nemini, ut opinor, non perspicuum est, quam iniustum fuerit viros honestos ob ea quae forte minus mature ponderata quasi in amici eruditi & intelligentis sinum liberius effuderant, damnasse. Quis enim hac regula secum agi velit? Cui non excidunt cum familiaribus secure tractanti nonnulla quae tractando cum ignotis aut inimicis limatius excuteret? Quanto autem lapsus facilior est, ubi subdolus hostis amicum simulans incauto insidiatur, laqueosque abscondit quibus imprudens capiaris! Certe quod e litteris Duacenorum aemuli excerpserunt, ut perversos illorum sensus patefaciendos, magis ad eos absolvendos valere debet, quam ad damnandos. Licet enim propositiones nonnullae duriores sint & malo sensui obnoxiae, facile tamen eas ad rectum sensum aequus verborum aestimator deflexerit, maxime si attendat ad expositiones, quibus Theologi articulorum captiosorum & ambiguorum sensus de-

terminarunt. Plaudebant ſibi tamen fratrum accuſatores, obliti huius ſententiae, quam ſanxit B. Iacobus Ep. C. III. v. 13. & 14. *Nolite gloriari & mendaces eſſe adverſus veritatem; non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens; ſed terrena, animalis, Diabolica*. Qui fraudem hanc minutius cognoſcere deſideraverit, legat librum Gallicum cui titulus *Pſeudo-Arnaldus*, & *Arnaldi querimonias*, ubi praeter horrendum quod retulimus facinus, multa alia mendaciorum, furtorum, verſutiarumque machinamenta deſcribuntur.

Supprimuntur Romae additiones a Mechlinienſi Archiepiſcopo formulae factae paxque Clementina ab Innocentio XII confirmatur.

Anno 1692. novi motus in Belgio excitati ſunt occaſione quarumdam explicationum ab Archiepiſcopo Mechlinienſi Formulae additarum, quibus exigebat, ut Lovanienſes expreſſe iurarent in veritatem facti Ianſeniani. En formulam illius iuramenti. „ Iuro au- „ tem ſecundum intentionem Alexandri VII. praefati, non tantum „ in reverentiam Conſtitutionum de quibus agitur in praedicta For- „ mula Alexandrina, ſed etiam in veritatem earum: & non tan- „ tum in veritatem eorum quae in praedictis Conſtitutionibus ſpe- „ ctant ad ius, ſed etiam eorum, quae, ut loquuntur, ſpectant ad „ factum ab Alexandro VII. definitum: hoc eſt, me damnare quin- „ que propoſitiones non ſolum in omni ſenſu haeretico quem ha- „ bent, ſed etiam ſpecialiter ut excerptas ex Cornelii Ianſenii li- „ bro cui titulus, *Auguſtinus*, & in ſenſu ab eodem Cornelio Ian- „ ſenio intento, ſeu in praedicto eius libro expreſſo". Huic innovationi obſiſtente Facultate Lovanienſi, libelli ſupplices utrimque Romam miſſi ſunt, & Innocentio XII. oblati; utrimque deputati, qui negotium Romae proſequerentur, a Theologis D. Hennebel, ab Archiepiſcopo P. Deſirant Auguſtinienſis & Doctor Lovanienſis, D. Steyaert hanc provinciam abnuente. Res in Congregatione S. Officii integro anno ventilata eſt. D. Hennebel pluribus oblatis declarationibus petiit, ut permitteretur Lovanienſibus factum a iure ſecernere. In prima quam obtulit 26. Octobris 1693. „ Declaro, „ inquit, certum prorſus (ſub humili correctione) mihi videri, „ quod Sedes Apoſtolica nunquam fide tenendum definierit, nec „ proinde unquam fidelibus neceſſitatem impoſuerit credendi illas „ quinque propoſitiones ex libro Cornelii Ianſenii Iprenſis Epiſco- „ pi, cui titulus *Auguſtinus*, excerptas eſſe, iiſque contineri ſenſum „ in praedicto libro expreſſum. Quamquam lubens agnoſcam hanc „ fuiſſe Apoſtolicae Sedis mentem, ut vetaret prohiberetque ne

„ quis postea Iansenii librum adversus latam a Pontificibus Censu„ ram defendat &c. ". In altera oblata 14. Novembris eiusdem anni: „ aperte declaro persuasum mihi esse, quod sensus Formula„ rii, quem in processibus suis verbalibus exposuerunt quatuor Epi„ scopi, quemque ego secutus sum in declaratione exhibita Con„ gregationi S. Officii die 26. Octobris proxime elapsi, sit sensus „ eius verus & legitimus, ac Sedis Apostolicae menti per omnia „ conformis ".

Cardinalis De Laurea huius negotii Relator, olimque sub Alexandro VII. & Clemente IX. in eadem Iansenismi caussa Consultor, huic declarationi aperte favit in suo voto, quod plurimorum in manus venit: „ Dico, inquit, quod per non admissionem „ talis additionis ad Formulam Alexandri nullum prorsus infertur „ praeiudicium potestati aut infallibilitati Papae ". Id probat suffragio Theologorum Romanae Sedi addictissimorum, qui omnes consentiunt Romanos Pontifices errare posse circa facta non revelata; atque hos inter laudat Cardinales Bellarminum, Baronium, Pallavicinum. „ Hinc, addit, Archiepiscopus ex hoc tantum excusandus est, quod, „ ut ipse in sua Formula asserit, putavit Alexandrum definiisse fa„ ctum eo quod nominavit Iansenium, excerptionem propositionum „ ex libro Iansenii, & sensum eius; quae omnia facta humana sunt „ non revelata. Et ipse Archiepiscopus sub hac opinione facta ista „ magis explicite apposuit in sua Formula; sed in hac opinione „ deceptus est, quia, ut mox dicam, Alexander definivit dogma „ quod sonant seu significant verba illa quae dixit Iansenius, non „ vero quod fuerit in mundo Iansenius, neque quod librum illum „ composuerit, neque definivit quod ex eo sunt extractae, aut de„ finivit in sensum internum quem habuit Iansenius, dum protulit „ verba illa; sed haec omnia sunt connotatum quoddam, seu sub„ iectum rei definitae, nempe sensus verborum quem illa expri„ munt; quod in multis Conciliis factum fuisse manifestat. Ex „ hoc ergo capite excusari potest zelus Archiepiscopi, ex eo quod „ existimavit Alexandrum in definitione quinque propositionum com„ prehendisse etiam factum ".

Hucusque Cardinalis De Laurea, ex cuius voto constat 1.° iuxta ipsum Summos Pontifices errare posse circa facta non revelata, ac proinde non posse iurari in fidem factorum ab eis definitorum, vi praecise huius definitionis. 2.° mentem eius fuisse, factum Iansenii

Ianſenii in Conſtitutionibus & in Formula non poni ut rem definitam, ſed ut rem ſuppoſitam & incidentem & merum connotatum, quod internum aſſenſum non requirat; quae etiam multorum Theologorum ſententia eſt: bene an male, alibi expendemus.

Quaeſtione mature expenſa, Summus Pontifex decreto lato in Congregatione S. Officii 28. Ianuarii 1694. vetuit, a quibuſcumque perſonis „ alios ſenſus Formularii praeter eum quem in ſenſu ob- „ vio ipſius verba exhibent, afferri, uſurpari, aut de his diſputa- „ ri“. Quibus verbis additiones Mechlinienſes ſatis aperte prohibentur. Paulo poſt ad Epiſcopos Belgii Formulae interpolatores miſit Breve Apoſtolicum, in quo 1.° deceſſorum ſuorum Conſtitutiones confirmat *in rebus quae ad orthodoxae fidei integritatem conducunt*, de Ianſenii facto nihil definiendo: 2.° declarat intentionem deceſſorum ſuorum fuiſſe, damnare quinque propoſitiones *in ſenſu obvio quem ipſa propoſitionum verba prae ſe ferunt*, ab eiſque ſincere iuramentum praeſtari, qui hoc ſenſu propoſitiones damnant. 3.° Vetat ne quis velut Ianſenianus traducatur, niſi legitima ſuſpicio ſit, eum docuiſſe aut tenuiſſe aliquam e damnatis quinque propoſitionibus. Sed exhibenda ſunt ipſa Summi Pontificis verba. „ Cum ma- „ ximae nobis curae eſſe debeat, inquit, . . . ut ſemper firmae prae- „ deceſſorum noſtrorum Conſtitutiones permaneant in rebus quae ad „ orthodoxae fidei integritatem conducunt &c. “. Iubet contra illos procedi, qui damnatas quinque propoſitiones publice aut privatim, verbo vel ſcripto defendere praeſumpſerint. Tum addit: „ Praeterea Fraternitatibus veſtris iniungendum duximus, prout per „ praeſentes iniungimus, ut pro veſtra pietate & prudentia facul- „ tate iſta qua per Conſtitutionem Apoſtolicam muniti eſtis, ita „ Formularii ſubſcriptionem ſeu iuramentum ad praxim reducatis, „ ut in exigendo iuramento praedicto zelus & charitas veſtra quam „ maxime eluceat, ne alicuius fama indebite laedatur, aut detra- „ ctionibus & murmurationibus locus detur. Quare praecipimus, ut „ quemadmodum ii qui ad ſubſcribendum adigendi ſunt, illud prae- „ ſtare debent ſincere, abſque ulla diſtinctione, reſtrictione, ſeu „ explicatione, damnando eas propoſitiones ex libro Ianſenii excer- „ ptas in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba prae ſe „ ferunt, prout ſenſum illum damnarunt Summi Pontifices prae- „ deceſſores noſtri, damnatumque haberi volunt a Chriſti fidelibus: „ ita per Fraternitates veſtras, ab iis qui Formulario praedicto ſub-

„ scribent aut iuramentum praestabunt, praeter Formulam ipsam „ traditam verbaque in Constitutione Apostolica praescripta, ali- „ quid aliud vel minimum declarationis, interpretationis, aut ex- „ plicationis verbo vel scripto non exigatur, etiam sub praetextu „ quod additiones ad nos transmissae comprehendantur seu conti- „ neantur in Formulario Alexandri VII. ".

„ Caeterum ad praecavendas omnes dissidiorum caussas quae „ Christianam pacem dilacerant, nos quoscumque alios sensus For- „ mularii, praeter eum quem ipsius verba exhibent, afferri vel „ usurpari aut de iis disputari interdiximus & prohibuimus; ac su- „ per eiusdem Formularii interpretationem, sicut & praedictarum „ propositionum, in alios sensus praeter eum quem ipsa verba per „ se exhibent, perpetuum silentium imposuimus ".

„ Demum ad extinguenda Theologorum iam pridem inter se „ dissidia, Fraternitatibus vestris, quantum in Domino possumus, „ praesentibus nostris mandatis iniungimus, ne ulla ratione quem- „ quam vaga ista accusatione & invidioso nomine Iansenismi tradu- „ ci aut nuncupari sinatis, nisi prius suspectum esse constiterit ali- „ quam ex his propositionibus docuisse aut tenuisse; nec quemquam „ sub hoc praetextu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, gradi- „ bus & concionibus habendis, vel alia quacumque functione Eccle- „ siastica permittatis, nisi servato iuris ordine, eam poenam, quae „ viris alioquin catholicis gravissima est, commeruisse probatum „ fuerit ".

Cernitur hoc in Brevi Germana definitio Iansenismi. Nempe is tantum Iansenianus dici potest, quem constiterit legitime suspectum esse aliquam e damnatis quinque propositionibus docuisse aut tenuisse. Utinam qui Sedis Apostolicae auctoritatem continuo obiiciunt, eam ipsi, ut par est, parte revererentur? Cernitur etiam, quis sit sensus damnatus quinque propositionum; scilicet *sensus obvius quem ipsamet propositionum verba prae se ferunt*. Cum autem additur eos qui subscribunt, id praestare debere absque ulla distinctione, restrictione, seu explicatione; haec verba minime adversantur distinctioni iuris & facti a Clemente IX. approbatae, sed spectant solum ius, seu damnationem propositionum in sensu obvio, ubi revera distinctioni aut restrictioni locus non est: ut ex declarationibus D. Hennebel & voto Cardinalis De Laurea manifestum est. Et certe non tantum ante decretum & Breve Apostolicum D. Henne-

bel id suis in declarationibus asseruit, sed etiam in tertia, quam postea Congregationi obtulit, nimirum 28. Ianuarii 1694., ubi inter alia haec ait: Professus „ eam Sedis Apostolicae iudicio de sen„ su a quopiam privato auctore intento observantiam reverentiamque „ deberi, quam in sua ad Clementem IX. relatione declaravit Ca„ talaunensis Episcopus, spopondisse quatuor illos alios celeberrimos „ Galliae Episcopos, quorum caussa sub eodem Pontifice ad Apo„ stolicam Sedem delata fuit, quamque & non aliam deberi tam „ ipse Catalaunensis cum illis quatuor Episcopis, quam alii XIX. „ quorum in eadem relatione fit mentio, unanimiter sentiebant "; addebat in fine Theologos „ Lovanienses semper & constanter cre„ dituros, eum esse Formularii sensum verum, legitimum & ob„ vium, nec tantum celeberrimorum quorumcumque Theologorum „ doctrinae, sed ipsius quoque Sedis Apostolicae menti per omnia „ conformem, nisi ab ipso Apostolicae Sedis oraculo didicerint se „ in hac expositione sua a veritate aberrare, aut quidpiam in ea „ contineri vel a mente Sedis Apostolicae, vel a reverentia ei de„ bita alienum ". Idem professus est in quarta declaratione quam quatuor post menses, & in quinta quam Augusto mense 1696. obtulit. Sane si haec sententia Romanis displicuisset, vel Brevi Apostolico fuisset contraria, eam palam proponi Consultores impune non tulissent. Cum igitur D. Hennebel non modo reprehensus non fuerit, sed etiam magno in honore habitus, quid evidentius, quam Romanorum & Lovaniensium sensus hac de re similes fuisse? Revera D. *Du Vaucel* qui tunc Romae in partem rerum non mediocrem veniebat, testatur in Epistolis ad Arnaldum, opinionem Card. De Laurea qui asserebat subscriptionem Formulae in ius tantum cadere, omnium fere Cardinalium fuisse. Inter Epist. Arnaldi 505. & 517. Tom. 7.

Hinc Lovanienses, qui a pura & simplici Formulae subscriptione tantopere abhorruerant, nullam moram fecere, quominus iuxta Rescriptum Pontificium iurarent: ipseque Arnaldus vir summi candoris & a pura simplicique Formulae subscriptione si quis unquam fuit alienus, censuit Formulam licite & absque ullo mendacio ad mentem illius Rescripti subscribi posse, ut patet ex eius Epistolis 646. 648. 650. Tom. 7. Quiescebant igitur sub umbra protectionis Apostolicae Theologi Lovanienses, fruebanturque pace sibi reddita. Sed hoc gaudium fuit brevissimum. Namque 19. Iulii 1696. Archiepiscopus Mechliniensis, & Episcopi Ruremondensis,

Bois le Duc. Antuerpienfis, Brugenfis, & Gandenfis, & D. Steyaert Vicarius Apoftolicus Sylvae Ducenfis communibus ad Innocentium XII. litteris retulerunt: „ Ianfenii fequaces palam prae fe ferre, fe a magi„ ftri fui placitis non receffuros, credentes univerfam doctrinam li„ bri eius effe fanam; nihil in ea damnatum unquam a Sede Apo„ ftolica: putaffe quidem Innocentium X. & Alexandrum VII. „ quod liber ille contineret doctrinam perverfam, verum eos in „ hoc fuo iudicio alienae rationi nimium credulos, libro non exa„ minato vel non intellecto deceptos; quinque autem propofitiones „ non alio fenfu profcriptas fuiffe, quam quo a nullo Theologo „ fuerunt traditae, ac fi Pontifices tanto tempore fuiffent occupati „ feriendo phantafmate. Quapropter, addebant, proteftantur fe, „ dum Formularium iurant, non aliter condemnare quinque propofi„ tiones quam in fenfu obvio, quem ipfi nempe pro libitu fibi „ obvium fingunt, nulla habita ratione fenfus ipfius Formularii, „ atque adeo retinentes totum libri Ianfenii fupra dicti fenfum, ut „ catholicum & vere Auguftinianum. Eo iuramento contentam effe „ Sedem Apoftolicam aiunt fibi compertum effe ex quodam Scri„ pto Cardinalis de Laurea, & ex Brevi Sanctitatis veftrae, quo nos „ dignata eft *6.* Februarii *1694.* nec non decreto S. Congregationis „ dato 28. Ianuarii eodem anno". Demum quafi refundentes in S. Pontificem huius rei cauffam, dicebant *tanta mala exoritura non fuiffe*, fi fua Sanctitas cunctos ad Sacros Ordines promovendos iuffiffet agnofcere „ quinque propofitiones damnatos ab Innocentio X. „ & Alexandro VII. contineri in libro cui titulus *Cornelii Ianfenii Auguftinus*, eafque damnari ut haereticas eodem fenfu quo in „ praedicto libro afferuntur prout Summi Pontifices praedeceffo„ res fui profcripferunt".

Ubi primum hae litterae ad notitiam D. Hennebel pervenerunt, libello fupplici Congregationi oblato, doctrinam fuis in declarationibus affertam defendit, expoftulans adverfus Archiepifcopum Mechlinienfem, qui additiones fuas tueri velle videbatur, oranfque ut filentium eis imponeretur, qui Ianfenifmi nomine traducebant Theologos catholicos, a quibus quinque propofitiones in fenfu obvio iuxta Summi Pontificis mentem fincere damnabantur, obfequiumque circa Ianfenii factum a Sede Apoftolica praefcriptum obedienter obfervabatur.

Refpondit Innocentius XII. ad Epifcopos Belgii per alterum

Breve datum 24. Novembris *1696.* quo nonnulli immerito gloriantur ſublatum eſſe Theologis praeſidium quod ex praecedenti Reſcripto reportaſſe videbantur. Audite S. Pontificis verba & expendite.
„ Ex iiſdem litteris (veſtris) inquit, aperte deprehendimus, mala
„ quae quod ad Ianſeniſmum exponitis, non procedere ex eo quod
„ Brevi a nobis *6.* Februarii anno *1694.* ad vos dato ſatis ipſis
„ non ſit conſultum; ſed potius quia idem Breve executioni for-
„ taſſe, uti par erat, non mandetur; cum illud nulla prorſus in-
„ digeat explicatione, aptumque ſit, ut in eo praeſcripta adim-
„ pleantur, efficax atque opportunum afferre remedium. Quod ſi
„ praetenſi Ianſeniſtae (notate haec verba) interne & abſque eo
„ quod deveniant ad ullum actum externum, dum iurant Formu-
„ larium, non aliter damnant quinque propoſitiones quam in ſenſu
„ obvio, non habito reſpectu obvii ſenſus dicti Formularii, ſuoque
„ arbitrio effingant huiuſmodi ſenſum obvium, Eccleſia non iudicat
„ de occultis: quae ſoli Deo cordium ſcrutatori innoteſcunt: ſin
„ vero iidem praetenſi Ianſeniſtae voce aut ſcriptis edant proprios
„ ſenſus Apoſtolicarum Conſtitutionum praedictique Brevis diſſenta-
„ neos, debent Epiſcopi, prout de iure, contra eos procedere . . .
„ ita ut ſervatis ſervandis congrue puniantur, cum ea omnia facile
„ probari poſſint, quia agitur de actibus externis ".

„ Non ſine admiratione intelleximus, nonnullos in illis Dioe-
„ ceſibus reperiri qui verbis & calamo auſi fuerint affirmare, ſupra
„ dicto noſtro Brevi alteratam ſeu reformatam fuiſſe Conſtitutionem
„ Alexandri VII. *16.* Octobris anni *1656.* editam, nec non For-
„ mularium ab ipſomet pronunciatum, cum dicto Brevi utrumque
„ ſpecifice confirmetur, & omnino intenderimus & intendamus iiſdem
„ adhaerere, & nequaquam ſinere ut aliquid addatur vel dematur
„ praedicto Formulario, illud quovis modo alterando in aliqua
„ eius minima parte, ſed quod in omnibus & ſingulis eius parti-
„ bus, uti mandavimus, mandamus etiam ad amuſſim obſervari ".

Hoc Breve cum litteris Epiſcoporum Belgii ſupra relatis diligenter conferendo, clarum eſt, illud potius ſavere Theologis Lovanienſibus, quam eis adverſari; 1.° quia praecedens Reſcriptum anni *1694.* expreſſe renovat & confirmat. 2.° Quia qui a dictis Praeſulibus Ianſenii ſequaces abſolute vocabantur, hic bis appellantur praetenſi Ianſeniſtae, qua voce ſatis innuit S. Pontifex ſe talibus criminationibus non credere, niſi manifeſtis indiciis comprobentur.

3.° Quia cum Episcopi retulissent Iansenianos ad libitum sibi fingere sensum obvium quinque propositionum diversum ab eo qui in Formula damnandus praescribitur: Innocentius XII. supponere videtur eos ex praeoccupatione talia iactasse, decernitque Theologos damnari, nisi temere, non posse, nisi exterius verbo vel scripto significent, se revera ita sentire: poenis vero castigari debere, si exterius voce aut scripto declarent, se in alio sensu quinque propositiones damnare quam Constitutionibus Apostolicis damnato. 4.° Quia eisdem Episcopis vehementer conquerentibus, quod Theologi negarent Constitutionibus Apostolicis teneri se ad credendum factum Iansenii, S. Pontifex nequaquam respondet illos esse compellendos ad credendum quinque propositiones excerptas esse ex Iansenio: hocque silentio illos ab omni culpa liberat.

At, inquiunt, satis definiit Innocentius credendum esse factum Iansenii, cum ait quinque propositiones damnari debere in sensu Formularii, cum negat alteratam a se aut reformatam Constitutionem Alexandri VII., cum vetat, nequid addatur aut detrahatur Formulario.

Respondeo S. Pontificem longe clarius locuturum fuisse, si Theologos adigere voluisset ad credendum hoc factum: Cum enim id potissimum eis exprobraretur, quod librum Iansenii haereticum non crederent, assensus definitioni huius facti adeo nitide exigendus fuit, ut nullus locus effugio relinqueretur. Quis vero, si sincere agere velit, huiusmodi declarationem allatis verbis inesse contendat? Ait 1.° S. Pontifex, propositiones damnari debere in sensu Formularii. At quis est in ipsius mente sensus Formularii, nisi sensus obvius propositionum, ut in priore Rescripto declaraverat? Hunc sensum quoniam a Lovaniensibus ad libitum fingi dixerant Praesules Belgii, apposite respondet, eum arbitrarium non esse, sed illum ipsum sensum obvium damnari debere qui damnatur in Formulario, & a Summis Pontificibus fuerat damnatus. Quid inde ad exigendam facti Ianseniani fidem extundi possit, non video. Ait 2.° se non alterasse, nec reformasse Constitutionem Alexandri VII., nec contrarium dicebant Lovanienses; sed tantum Constitutionem Alexandri per Breve Innocentii XII. ita expositam fuisse, ut non obliget ad credendum factum. Porro aliud est, Constitutionem reformari aut alterari, aliud exponi verumque illius sensum figi. Ait 3. nolle se quiddam addi vel detrahi Formulario. Verum haec clausula tan-

tum ferit Archiepiſcopum Mechlinienſem, qui volebat aliquid addi Formulae, non Lovanienſes qui nihil ex ea detrahebant.

Et ſane nihil magis conſentaneum eſt rationi quam hoc Breve interpretari per votum Cardinalis De Laurea, & agendi rationem cum D. Hennebel initam. Porro Cardinalis De Laurea expreſſe docuit, iuramentum in Formula contentum cadere tantum ſupra damnationem quinque propoſitionum in ſenſu obvio quem verba prae ſe ferunt, non autem ſupra Ianſenii factum. Cur autem Epiſcopis Belgii dicentibus Ianſenianos inprimis niti ſcripto illius Cardinalis, Summus Pontifex hunc Epiſtolae articulum praetermiſit, niſi quia doctrinam Cardinalis Laureae, adeoque Lovanienſium improbare noluit? Conſtat etiam D. Hennebel, quamvis poſt illud Breve Lovanienſium doctrinam aperte defenderit, adeo non fuiſſe compulſum ad palinodiam, ut S. Pontifex de conſilio Cardinalium Regi Catholico per eius Oratorem, & Duci Bavaro Belgii Praefecto per D. Spada Bruxellis Internuncium declaraverit, Sedem Apoſtolicam non obſtare, quo minus ad Cathedras muniaque Univerſitatis & ad Beneficia Eccleſiaſtica promoveretur, ut apparet ex Epiſtola D. Spada ad Epiſcopum Gandenſem data *29.* Auguſti *1697.*

Demum quid de Lovanienſium doctrina Romae ſentiretur, concipi poteſt ex illuſtri declaratione quam Cardinalis *D' Aguirre* 4. Ianuarii *1699.* paucis ante obitum menſibus dedit, „ Ratum habeo, inquit, & noviter confirmo ſub ſcriptura proprio nomine id „ ipſum quod antea teſtatus ſum in prolegomenis meis & in recen„ ſione operum a me editorum, ſemper a me damnari quinque il„ las propoſitiones famoſas damnatas in Ianſenio iuxta ſenſum ob„ vium, ſicut & damnantur ab omnibus Lovanienſibus iuxta de„ cretum noviſſimum Innocentii XII. feliciter regnantis, quod vi„ deo acceptatum ab iiſdem Lovanienſibus: & ideo nullum ipſorum „ de Ianſeniſmo ſuſpectum eſſe velint ".

Senſit ipſemet Archiepiſcopus Mechlinienſis, nihil omnino roboris huic Reſcripto ineſſe ad exigendum a Lovanienſibus aſſenſum in factum Ianſenii. Nam mortuo Innocentio XII. Theologi, qui pro illo ſtabant, prolixum Scriptum miſerunt Clementi XI. ad S. Petri Sedem nuper evecto, poſtulantes, ut definire vellet, Eccleſiam infallibilem eſſe, quando de auctorum ſeu librorum ſenſu iudicat; maxime cum D. Hennebel contrarium Romae docuiſſet. Verum huius Scripti nulla ratio habita fuit.

Sexta aetas Ianſenii, ſeu motus exorti occaſione cuiuſdam caſus conſcientiae.

Fruebantur plurimae Galliarum partes ſaluberrima pace per Clementis IX. & Ludovici XIV. prudentiam comparata: & quamvis nonnulli Praeſules Clericos ſuos ſub obtentu Ianſeniſmi vexarent, plerique tamen aut ſubſcriptionem iam non exigebant, aut explicatam ad normam praedictae pacis haud incunctanter admittebant, cum nova procella ab exiguis & occultis profecta initiis, de repente ingruit. Quidam Confeſſarius in ignota Regni provincia exceperat per multos annos confeſſionem viri Eccleſiaſtici maximae probitatis, monituſque a nonnullis, illum eſſe ſuſpectae doctrinae & indignum cui concederetur abſolutionis beneficium, cum eo privatim contulit: fluctuanſque ſuper ipſius reſponſis caſum ſcripto expoſuit, ſolutionem a Pariſienſibus Doctoribus petiturus. Sive caſus realis fuerit, ſeu ſuppoſitus, Eccleſiaſtici diſpoſitionem circa ſubſcriptionem Formulae ſic explicabat: „ Profeſſus eſt, inquit, ſe quinque „ propoſitiones damnare ac ſemper damnaſſe pure & ſimpliciter „ abſque ulla reſtrictione in omnibus ſenſibus ab Eccleſia damnatis, „ atque etiam in ſenſu Ianſenii eo modo qui a S. Papa N. Innocentio XII. in Brevi ad Epiſcopos Belgii explicatus eſt. Hoc „ modo Formulae ſubſcripſit quando poſtulatus eſt, huiuſque ſub„ ſcriptionis teſtimonium profert alicuius Vicarii Generalis. Quod „ ad factum Ianſenii ſpectat, quoniam iuxta mandatum Illuſt. De „ *Perefixe* imperitum aut malignum eum eſſe neceſſe eſt, qui eam„ dem iuris & facti fidem ab Eccleſia exigi contendat; declarat ſe „ non eamdem definitioni facti quam iuris deciſioni fidem habere, „ ſed exiſtimare ſubmiſſionem religioſi ſilentii quoad illud factum „ ſufficere “. Huic articulo plurimi alii ſubnectuntur continentes reſponſa poenitentis circa praedeſtinationem, gratiam, neceſſitatem amoris Dei, attritionem, diſpoſitiones ad audiendum ſacrum requiſitas, cultum B. Virginis, eiuſque conceptionem, uſum librorum in indice aut aliter prohibitorum &c. His expoſitis quaerebat confeſſarius, quonam pacto ſe cum dicto Eccleſiaſtico gerere deberet. D. *Bourlet* Licentiatus Theologus in Facultate Pariſienſi & in Pariſienſi Eccleſia altus Vicarius, hoc de caſu ſibi miſſo conſuluit. Viginti tres cenſuerunt, non tantum nullam novitatem in articulis pro-

poſitis

positis contineri, verum etiam exhiberi sanam & catholicam doctrinam in Ecclesia tradi solitam. Alii crediderunt procedi non debere ultram quaestionem a Confessario propositam. Igitur nova solutio data est in hunc modum: „ Doctores infrascripti, lecta casus expositione, censent huius Ecclesiastici viri sententiam nec „ novam esse, nec singularem, nec ab Ecclesia damnatam; neque „ talem, ut Confessarius possit ipsi denegare Sacramentalem absolutionem nisi retractaverit: deliberatum in Sorbona die 20. Iulii „ anno 1701. ". Subscripserunt 40. Doctores quos inter *D. Petitpied* non prius chirographum suum dedit, quam per alios ac per se ipsum comperisset id a Cardinale Noallio non improbari. Extat casus utroque modo expositus & resolutus in *historia casus conscientiae* Tom. 1. pag. 22.

Haec resolutio ab incognito, contra Doctorum intentionem in lucem missa est anno 1702. cum insulsa praefatione ad irritandos animos unice idonea. Statim multi libelluli prodierunt contra 40. Doctores, actumque est apud Regem & apud Card. Noallium Archiepiscopum Parisiensem, ut casus resolutio damnaretur. Tamen inter hos tumultus Card. Noallius, D. Guillelmum *Delamare* Socium & Doctorum Sorbonicum, unum e 40., regendae Ecclesiae Parochiali Sancti Benedicti, nulla imperata revocatione, praefecit. In tanto ingruentium adversariorum strepitu Doctores primum siluere, dein Apologiam scripserunt, in qua dicebant se nihil definiisse de veritate aut falsitate sensuum illius, Ecclesiastici, de quo casus, sed declarasse tantum sensus illos non esse ab Ecclesia damnatos; probabantque ex historia pacis Clementinae obsequiosum silentium tunc visum fuisse sufficientem pro facto Iansenii submissionem. Haec Apologia oblata est Cardinali Noallio 11. Ianuarii 1703. Verum tempestas in dies gravior ingruebat, extremaque Doctoribus minabatur. P. Natalis *Alexander* litteris ad Cardinalem Noallium datis subscriptionem suam exponendo retractavit, asseruitque se per submissionem reverentiae intellexisse submissionem internam qua factum crederetur. Caeteros ad idem praestandum adducere conatus est D. *Vivant* postea Ecclesiae Collegiatae S. Germani Antissiodorensis Decanus, nunc Episcopus in partibus: cesserunt undecim, & subscripserunt Epistolae ad D. Archiepiscopum a D. Vivant ostiatim circumlatae, qua declarabant: 1.° Se credere iudicio Ecclesiae circa facta ab ea definita internam iudicii submissionem deberi, silentium-

Refertur in historia casus conscientiae T. 1. pag. 92.

Ibid. pag. 102.

que obſequioſum non ſufficere : 2.° ſic affectum eſſe oportere quicumque ſubſcribit Formulae : 3.° ſe exiſtimaſſe Eccleſiaſticum in caſu memoratum ſic reipſa affectum fuiſſe, eo quod diceretur propoſitiones damnare etiam in ſenſu Ianſenii, & non eamdem fidem habere pro facto ac pro iure: quod ſupponebat illum ſolam fidem divinam definitioni facti denegaſſe. Acto paulo poſt in exilium D. *Bourlet* 24. e Doctoribus caſus approbatoribus libellum ſupplicem obtulerunt Cardinali Noallio, in quo exponebant & defendebant ſubſcriptionem ſuam. Afferebant inprimis ſubmiſſionem ſilentii obſequioſi mere externam non eſſe, ſed cum interna animi affectione coniunctam, quae licet ab aſſenſu interiori diverſa ſufficiens tamen viſa eſt tempore Clementis IX. Caeterum ſe paratos eſſe iudicium ſuum Archiepiſcopi iudicio ſubmittere. Hoc aegre annuerunt, urgente Noallio & pollicente nullam ſe Cenſuram adverſus caſum laturum, ſed damnaturum tantum eius praefationem & publicationem, impoſito ſuper ipſamet quaeſtione ſilentio. Sed ſententiâ paulo poſt mutatâ promiſſis non ſtetit.

Extat ibidem pag. 117.

Damnatur a Pontifice & nonnullis Epiſcopis caſus.

Ibid. p. 147 152. & 157.

Clemens XI. caſu ad ſe delato Breve ſeu Decretum in Galliam miſit 13. Februarii 1703., quo de Cardinalium conſilio folia, quibus caſus continebatur „ damnavit, reprobavit, eorumque „ impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem & uſum „ quibuſcumque interdixit ſub poena excommunicationis ipſo facto „ incurrenda “. In alio Brevi ad Regem Chriſtianiſſimum miſſo, aiebat, „ plura ſane pernicioſa doctrinae capita erroreſque damnatos „ revocari in lucem, & ipſa etiam haeretica Ianſenii dogmata non „ obſcure foveri; dum editae olim pro iis omnibus abolendis Apo„ ſtolicae Conſtitutiones captioſis ſubtilitatibus eluduntur “. Et poſtea. „ Sileant, inquit, inquieti homines, coerceantur protervi, „ pareant contumaces; & quos manſuetudo Eccleſiae non flectit, „ poteſtas Regalis compeſcat & conterat “. Et in tertio dato ad Cardinalem Noallium: „ Doctores illos, ait, omnino volumus ſeveram adeo te puniente diſtrictionem ſubire, ut caeteri in poſterum a ſimilibus abſterreantur “.

Ibid. pag. 136.

Quo die haec Brevia Pariſios pervenere, ideſt 5. Martii Card. Noallius mandatum ſuum contra reſolutionem caſus a die 22. Februarii paratum in lucem emiſit; ubi primus articulus de Formulae ſubſcriptione, debitaque facto ſubmiſſione damnabatur „ ut „ contrarius Conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII., &

„ Brevibus Innocentii XII. eo tendens ut quaeſtiones definitas re-„ novet, favens aequivocationum, reſtrictionum mentalium atque „ etiam periuriorum uſui, derogans auctoritati Eccleſiae, ſubmiſſio-„ nemque illi debitam deprimens". Exigebatur aſſenſus internus definitionibus Eccleſiae circa facta. Demum libellis anonymis, qui contra 40. Doctores editi fuerant, damnatis tanquam contumelioſis, ſcandaloſis, calumnioſis, charitatique adverſis, omnes ad concordiam & pacem provocabantur. Eodem quoque die Rex arreſtum promulgavit, quo priora edicta, declarationes, & arreſta confirmantur ac renovantur, nominatim arreſtum 23. Octobris 1668. datum occaſione pacis a Clemente IX. conceſſae. Caeterum hoc in arreſto Brevis Pontificij nulla fit mentio.

Plerique Doctores palinodiam canunt.

Cardinalis Noallius actum ſubmiſſionis ac retractationis a ſingulis Doctoribus caſus probatoribus ſubſcribendum tradidit D. Vivant 27. ſine ulla mora paruerunt. Quinque qui Pariſiis aberant, idem miſſis litteris praeſtiterunt. D. *Saraſin* negavit ſe caſum approbaſſe; ſed quia ipſius nomen inter alia legebatur actui ſubmiſſionis ſubſcribere conatus eſt. Qui ſupererant, nimirum DD. *Dupin*, *Petitpied*, *Gueſton* Victorinus, & *Delan* in exilium pulſi ſerius ociuſve ſubſcripſerunt, ſolo excepto D. *Petitpied*, qui etiamnum pro ſufficientia obſequioſi ſilentii fortiter ſtat: ſed de illo poſtea.

Declarationes D. Coüet: Ibid pag. 179. & ſeqq.

D. *Coüet* Vicarius Generalis Archiepiſcopi Rothomagenſis Ieſuitis inviſus, falſoque inſimulatus tanquam auctor caſus, doctrinae ſuae declarationem dare coactus eſt, hanc expenderunt Regis iuſſu Epiſcopi Carnotenſis, Tullenſis, & Noviodunenſis, quibus poſtea additi ſunt Archiepiſcopi Pariſienſis & Lugdunenſis, & Epiſcopi Meldenſis, Trecenſis, & Bleſenſis. Cumque aliquibus, Carnotenſi inprimis non placuiſſet, D. Coüet alteram dedit, & tertiam, quibus etiam reiectis, petiit ab Epiſcopis, ut novam qualem vellent adornarent: ſubſcripſit, ſubſcribendoque agnovit Eccleſiam, quando libros vel auctores damnat, a filiis ſuis iudicii ſubmiſſionem & internam perſuaſionem exigere. Hoc pretio tranquillitatem ac libertatem redemit.

Arreſto & Brevi, de quibus ſupra, ad omnes Praeſules miſſis, plerique quieverunt; ſed viginti plus minus mandata vel documenta paſtoralia dederunt, quorum quatuor a ſupremis Curiis ſuppreſſa ſunt hoc ſolo nomine, quod contra ſacras regni leges Breve Pontificium, quamvis in Curiarum commentarios non relatum, promulgaſſent. Verum in ipſamet horum viginti mandatorum forma inſignis

diversitas observata fuit: Nam 1.° quaedam casus resolutionem exhibent, ut perniciosum libellum, haeresim & rebellionem adversus Ecclesiam manifeste defendentem: alia, velut scriptum calliditate & versutia plenum, ad haeresim renovandam subdole compositum: caetera, tantum velut opus praeposterum, turbandae paci & renovandis contentionibus natum, talia fuere mandata Episcoporum Constantiensis & Venciensis. 2.° Nonnulli solum primum casus articulum, caeteris intactis, damnaverunt, ut Aptensis, Pictaviensis, Cameracensis, & Vicarii Generales Auscitanenses in priori suo mandato: alii omnes articulos, aut certe plures reprehenderunt, sed modo dispari; hi moderate, tanquam minus accurate expressos, ut Parisiensis; illi durius, nulla tamen inusta falsitatis aut erroris nota, ut Claromontanus & Viennensis: Arelatensis nonnullos damnavit tanquam falsos; demum Caenomanensis, Rupellensis, Carnotensis, & Noviodunensis, ut erroneos. 3.° Circa primum articulum, qui praecipua controversiae occasio fuerat, in varias quoque partes abierunt Episcopi. Omnes quidem, exceptis Constantiensi & Venciensi qui nihil exposuerunt, propositionem qua asseritur submissionem tantum reverentiae & silentii deberi definitioni latae circa factum Iansenii, sub duplici respectu consideraverunt, absolute nimirum & comparate ad eos, qui Formulae pure & simpliciter subscribunt. Hoc secundo modo consideratam omnes damnaverunt tanquam faventem aequivocationibus, restrictionibus mentalibus atque etiam periuriis: spectatam vero absolute non uniformiter damnaverunt. 1.° Parisiensis, Arelatensis, Noviodunensis docuerunt factis non revelatis ab Ecclesia definitis (nullo factorum personalium & dogmaticorum discrimine facto) assensum internum deberi, fundatum in suprema Ecclesia auctoritate, quae licet in huiusmodi quaestionibus ab errandi periculo immunis non sit, privatorum quorumlibet opinionibus praeponderare debeat; hunc autem assensum non esse fidem divinam, sed humanam tantum, modo, qui pro temporibus variari possit, nèc omnem excludat errandi formidinem. 2.° Viennensis, Carnotensis, Andegavensis, Vicarii Generales Auscitanenses in posteriori mandato, facta distinctione factorum privatorum seu personalium, & dogmaticorum, ut appellabant, docuerunt Ecclesiam falli quidem posse circa facta personalia, & ideo silentii duntaxat obsequium & submissionem hac in parte exigere; sed omnino falli non posse circa facta dogmatica, hoc est circa sensum librorum &

quantum ad hoc exigere submissionem persuasionis, & fidei non divinae quidem nec mere humanae, sed certae & indubitatae quae sit divinae proxima. Claromontanus, Pictaviensis, & Massiliensis eo modo locuti sunt, ut non liqueat utrum in hanc an in primam opinionem concesserint. 3.° Cameracensis, Rupellensis, Caenomanensis & Sarlatensis dixerunt facta dogmatica, quale est iuxta illos Iansenii factum, esse a iure inseparabilia, seu potius ius ipsum, Ecclesiamque accepisse a Christo eamdem auctoritatem & divinum non errandi privilegium ad ea definienda, quibus fidei dogmata definit. Proinde iudicium quo sensum librorum determinat fide divina credendum esse. 4.° Aptensis idem docuit, excepto quod illud non errandi privilegium ad facta etiam privata caussasque personales non obscure extendisse videatur. 5.° Constantiensis & Venciensis nihil hac re definiendo tantum resolutionem casus prohibuerunt, ut pacis inimicam, & Vicarii Generales Auscitanenses in primo mandato hoc unum decreverunt, licitum non esse subscribere Formulae sine interna persuasione facti. Hinc patet illa mandata secum invicem magis quam cum ipso casu pugnare. Nam casus resolutio convenit cum prima opinione quatenus asserit Ecclesiam falli posse circa facta non revelata; convenit etiam cum 2.a 3.a & 4.a quatenus affirmat assensum firmum & certum non deberi nisi auctoritati infallibili. Contra vero mandata secum invicem quo ad utrumque dimicant. Nec dicas ea saltem consentire quatenus exigunt internum assensum: nam nec in hoc concordant; cum alia humanam, alia divinam, alia mediam nescio quam fidem praescribant; & aliunde assensus illius interni necessitatem repetant, a principiis sibi mutuo contradicitur. Non potest igitur teneri doctrina tradita in uno ex his mandatis, quin caeterorum doctrina reiiciatur, carentque illa consensu & unanimitate, quae praecipuus character est iudiciorum Ecclesiasticorum.

Qui e Doctoribus in exilium pulsi erant, a defensione casus non recedentibus, eorum adversarii memoriale obtulerunt Facultati Parisiensi, quo contendebant decreto olim lato contra Arnaldum, illos quoque damnari: cum ille, inquiebant, ideo damnatus esset, quia dixerat, „ silentium obsequiosum esse submissionem maximam „ quae Conciliis oecumenicis quo ad facta particularia debeatur “. Concludebant postulandum a Rege, ut vi huius decreti Doctores contumaces excludi iuberet. Hoc negotium, orante Card. Noallio,

D. Petitpied a Facultate Parisiensi exclu-ditur.

V. refutationem huius memorialis Tom. 4 historiae casus conscientiae pag. 304.

aliquandiu dilatum est: sed tandem Rege iubente, deliberatum est 1. Septembris 1704. DD. *Delan* & *Petitpied* qui soli hactenus non consenserant. D. Vivant de quo supra, tunc Syndicus, contra illos graviter invectus, requisivit primo, ut legeretur Censura lata in Arnaldum & decretum Facultatis pro subscriptione Formulae, asserens illa ad praesentis negotii definitionem plane sufficere. Deinde requisivit: „ 1. Ut Facultas renovaret & confirmaret Censuram „ latam 31. Ianuarii 1656. contra Arnaldum & decretum super „ Formula fidei datum 2. Maii 1661. 2. Ut declararet primum „ casus articulum de sufficientia silentii obsequiosi adversari praedictae „ Censurae & praedicto decreto. 3. Ut eumdem articulum, utpote „ in praedicta Censura damnatum, iisdem notis afficeret, quibus „ confixa fuit Arnaldi propositio quae dicitur facti. 4.° Ut quia „ Ecclesiasticus de quo in casu cum sola silentii obsequiosi submissio- „ ne Formulae subscripsisse dicebatur, adderetur nota qua articulus „ diceretur favere mendacio & periurio. 5. Ut decerneret ambos „ Doctores e sinu suo expellendos, expungendaque ex albo illorum „ nomina, nisi inconsultam deliberationem intra mensem revo- „ cassent, atque insuper Censurae & decreto praedictis subscri- „ psissent “. Ex 150. Magistris qui aderant 63. tantum suffragia tulerunt, aliis aut metu dilapsis, aut silentibus. Quinque rem maturius expendendam censuerunt: caeteri, praeeunte Decano D. *Loisel*, D. *Hallier*, olim Romae adiutore, annuentes requisitioni Syndici, damnarunt primum articulum casus „ ut temerarium, scanda- „ losum, iniuriosum Summis Pontificibus & Episcopis Galliae, at- „ que etiam ut praebentem occasionem renovandae ex integro post „ damnationem Iansenii doctrinae; atque etiam ut faventem men- „ dacio & periurio, prout silentii submissionem sufficere dicit iis „ qui Formulae subscribunt “. Hinc falsi arguitur deliberatio tunc typis excusa, quae refert 150. Doctores communibus votis sic censuisse.

Hist. casus conscientiae T. 6.

Unus e Doctoribus qui Comitiis adfuerant, haec inter alia plurima reprehendit in deliberatione: 1.^{um} quod nullus Magistrorum expendisset hanc quaestionem, in qua tamen tota difficultas vertebatur, utrum silentium obsequiosum sufficiat nec ne circa definitiones quae spectant facta non revelata. 2.^{um} Quod nullus demonstrandum suscepisset, quod tamen ab omnibus post Syndicum supponebatur, duos Doctores incurrisse in Censuram adversus Arnaldum latam:

3.um quod Doctores praemoniti non fuissent de retractanda, nec deputati fuissent, qui eam privatim examinarent iuxta morem Facultatis; sed tanti momenti negotium duarum horarum spatio inchoatum & finitum esset. 4.um Quod duo Doctores, quorum caussa agebatur, nec moniti essent nec auditi.

Conclusio postridie confirmata est. Prima Octobris retulit Syndicus se ad duos Doctores scripsisse, de D. *Delan* spem fere certam esse, fore ut resipisceret, de altero non plane desperandum. 4. Novembris, Facultatem certiorem fecit D. *Delan*, deposita priori mente, paratum se exhibere ad morem gerendum; sed D. *Petitpied* perstare in proposito; ideoque pronunciavit eum ipso facto exclusum esse e Sacro Ordine, omnibusque Doctoratus iuribus privatum, addidit se litteras eius recepisse adeo contumeliosas in Cardinalem Noallium & se Syndicum, ut non sani capitis opus viderentur; ideoque supersedere ab earum lectione. Tamen instantibus plerisque magistris, lectae sunt postridie. In eis quid sentiret candide & modeste exponebat D. *Petitpied*: nimirum, multis existimantibus subscriptionem Formulae non cadere in factum, se, quamvis aliter existimaret, non credidisse quemquam ob illam opinionem a Sacramentis, ante iudicium Ecclesiae, removeri debere: sed post mandatum Archiepiscopi Parisiensis, quo illa opinio damnatur, sententiam mutasse, & de sua mutatione monuisse Cardinalem Noallium: proinde alienum semper fuisse & esse ab approbandis mendaciis aut periuriis. Quantum autem ad Censuram Arnaldi & decretum Facultatis pro subscriptione Formulae fidei, testabatur se non intendisse contra illa agere: 1.° quia illis decretis non definitur, silentium obsequiosum non sufficere respectu facti Ianseniani: 2.° quia etiam si hoc definiretur, Ecclesiasticus in casu memoratus, cum non esset Facultatis membrum, decretis eius non tenebatur: 3.° quia etiam si Ecclesiasticus ille fuisset Facultatis membrum, Facultas non sanciverat eos qui decretis suis non obtemperarent, Sacramentis privandos: 4.° quia in casus resolutione non responderat sensus illius Ecclesiastici veros sibi videri, sed tantum non tales, quibus Sacramentorum participatione indignus fieret: 5.° quia crediderat se grandi reatu obligatum iri, si obsequiosum silentium pace Clementina approbatum repudiasset: 6.° quia in Arnaldo praeter facti quaestionem reprehensa fuerat propositio iuris, qua cum casus resolutio nihil commune habebat: 7.° quia Arnaldus damnatus non fuit eo

Ibid. pag. 115.

quod silentii obsequiosi quo ad definitionem facti sufficientiam docuisset, sed eo quod factum ipsum negasset: casum vero Ecclesiastici eumdem non esse. 8.° Quia multa sunt decreta Facultatis ob quae iniustum foret, aliter sentientes a Sacramentis arcere velle. Demum protestabatur & intercedebat deliberationi & conclusioni, eo quod mores & statuta Facultatis observata non essent, quod non nominatis Deputatis, intra pauculas horas, partibus non auditis nec admonitis, omnia peracta essent; postulabatque actum suae intercessionis. Lectis his litteris, in quibus iniuriarum ne umbra quidem deprehendi potuit, multi censebant nominandos esse Deputatos qui de illis ad proxima Comitia referrent. Sed Syndicus & D. *Tournely* caeterique factionis duces magno strepitu, clamoribus, minis, intercessionibus obstiterunt. *6.* Novembris finita deliberatione, *60.* suffragia numerata sunt pro actuali exclusione, ea tamen cautione a quibusdam expressa, ab aliis intellecta, ut si quando resipisceret D. *Petitpied*, non negaretur regressus: 2.° pro exclusione quae tamen effectum non sortiretur nisi certo spatio elapso, intra quod D. *Petitpied* maturius deliberare posset, 12., aut 13. censuerunt nominandos Deputatos ad examinandas litteras. Tum Syndicus: *Vos ergo*, inquit, *communi consensu excluditis D. M. N. Petitpied; Et ego quoque sic concludo & excludo*. In Comitiis Societatis Sorbonicae 14. Novembris eodem expulso, Cathedra eius Theologica data est D. Pastel. Fama vero publica affirmante fore ut iussione Regia D. *Petitpied* perpetua custodia concluderetur, satius duxit se ipsum tentationi surripere, & quietem, quae in patria negabatur, extra Regni fines in Hollandia quaerere.

Ex dictis apparet, hanc praesertim ob caussam D. *Petitpied* a Collegis exclusum, quod Censuram anno *1656.* latam adversus Arnaldum offendisse videretur. Sed hoc iniquissimum fuit. Nam ut omittam cum Arnaldo ipso iniuste actum esse, certe hoc praetextu damnari non debuit D. Petitpied, nisi constiterit id ab eo factum, quod in Arnaldo displicuerat. Atqui hoc dici nullo sensu potest. Nam 1.° praecipua damnationis Arnaldi caussa fuit propositio iuris, quae omnium consensu in casus resolutione non continetur. Cur ergo in caussa dissimili poena similis? 2.° Ipsamet propositio facti in Arnaldo damnata non reperitur in casu. Nam circa Iansenii factum quatuor quaestiones proponi possunt; 1.a an quinque propositiones ex eius libro excerptae sint; 2.° utrum post huius facti definitio-

nitionem teneantur fideles illud interius credere, an quantum ad hoc sufficiat obsequiosum silentium? 3.° An qui Formulae pure & simpliciter subscribunt, teneantur interius assentiri decisioni facti. 4.° An posito quod ad id teneantur, aliter subscribentibus absolutio neganda sit. Sola prima quaestio facti est, caeterae ius quoddam continent. Porro Arnaldum propter primam tantum eiectum fuisse constat; 1.° quia eius propositio appellatur *propositio facti*. 2.° Teste *historia* quinque propositionum, Arnaldus denunciatus est, eo quod aperte negaret factum Iansenii. 3.° Deputati in negotio Arnaldi retulerunt solam lectionem libri Iansenii sufficere ad damnandam illius propositionem. Atqui evidens est solam quaestionem de sensu libri Iansenii per eiusdem lectionem resolvi posse, non vero tres alias, quas modo commemoravimus. 4.° Tempore Censurae Arnaldinae nondum agitabatur quaestio de genere submissionis erga definitiones factorum exhibendae, quae tantum mota est post Constitutionem Alexandri VII. ut disertis verbis agnoscit auctor historiae quinque propositionum. Non ergo propter hanc caussam damnatus est Arnaldus. 5.° Omnia Scripta, quae Censuram praecesserunt aut secuta sunt, idem demonstrant: nam Arnaldi adversarii hoc unum in eo reprehenderunt, quod factum Iansenii negasset, & circa hoc solum caput se ipsum purgavit Arnaldus.

Tom. 1. p. 85.

Ibid. pag. 48. & 158.

Nec obstat quod inter excerptas Arnaldi propositiones haec in Censura reperiatur: „ silentium obsequiosum esse submissionem maximam quae Conciliis etiam oecumenicis in eiusmodi factis particularibus debeatur “. Nam D. Dumas fatetur hanc propositionem, quatenus silentium obsequiosum attingit, non fuisse tunc impugnatam nec examinatam, sed tantum prout tendebat ad negandum factum Iansenii. Et certe in eadem Censura refertur etiam ista propositio: „ facti quaestionem, qualis est quaestio de sensu Iansenii, non posse esse quaestionem fidei divinae, cum haec nisi revelatione divina inniti non possit “. Num propterea damnata est? Quis hoc dicat? Sed excerpta est tantum relative ad factum Iansenii quod negabatur ab Arnaldo. Quamquam, etsi concederemus, Arnaldum damnatum esse eo quod silentii submissionem pro facto Iansenii sufficere docuisset (quod aperte falsum est) quid hoc ad D. *Petitpied*, qui in resolutione casus non id definierat, sed tantum eam opinionem non esse caussam legitimam propter quam absolutionem negare oporteat?

Ibid. pag. 158.

Clementis XI. Constitutio quae incipit, *Vineam Domini Sabaoth*.

Quamvis casus conscientiae a multis in Gallia damnatus esset, non tamen ab omnibus. Quapropter postulatum est a Clemente XI. ut solemni Constitutione damnaret has duas propositiones; 1.am „ ad exhibendam Constitutionibus Apostolicis debitam ipsis obedientiam, necesse non est damnare interius tanquam haereticum sensum libri Iansenii in quinque propositionibus, sed sufficit quo ad hoc silentium obsequiosum ". 2.am „ Licitum est Formulae Alexandri VII. subscribere, etsi non credatur interius doctrinam haereticam in libro Iansenii contineri ".

Episcopus Carnotensis prae ceteris id efflagitabat, sed ita clanculum, ut Cardinalem Noallium lateret. Rex quoque Catholicus S. Pontificem litteris rogavit 17. Septembris 1704. ut Iansenianam pestem in Belgio penitus extirparet, casumque solemni iudicio damnaret. Igitur Clemens XI. septem Consultores nominavit, quos iussit duas propositiones e Gallia missas expendere *abstrahendo ab infallibilitate S. Sedis circa facta*. Qua ex lege intellexerunt eruditi nihil clarum definitum iri. Convenerunt 25. Ianuarii 1705. apud Card. Ferrarium, ubi etiam aderant Card. Gabrielis, & D. Casonius Assessor S. Officii, postea Cardinalis, & 4. Februarii vota sua detulerunt ad S. Pontificem. Ferunt plerosque Consultorum damnasse ambas propositiones saltem ut scandalosas, sed Cardinales censuisse non tam cito procedendum, remque maturius expendendam. Certe Cardinalis Ursinus Archiepiscopus Beneventanus, postea Summus Pontifex sub nomine Benedicti XIII., scripsit tunc ad amicum Romae degentem, consultius fore, si sopirentur illae contentiones, circa quas cuique in suo sensu abundare licet.

Theologi Lovanienses ad avertendam damnationem propositionum, D. Arnoldum *Deschamps* Presbyterum Leodiensem Romam misere, qui eorum nomine duos libellos supplices & memorialia obtulit S. Officio, conquerens de Archiepiscopo Mechliniensi quod adoptasset Carnotensis Episcopi institutionem Pastoralem, in qua docebatur Ecclesiam infallibilem esse circa facta non revelata, quam quidem doctrinam denunciavit velut contrariam Brevibus Innocentii XII. Addebat propositiones e Gallia missas mature examinatas sub Innocentio XII. innoxias repertas esse, illorumque, a quibus deferebantur, scopum esse, ut sub Iansenii nomine SS. Augustini & Thomae doctrina damnata putaretur, quia si non sufficiat quinque propositiones in sensu obvio damnare, dicturi erant doctrinam SS.

illis Doctoribus attributam Ianseniana non absimilem esse. Praeterea duas propositiones damnari non posse, quin simul paci Clementinae, Brevibus Innocentii XII., & declarationibus D. Hennebel paulo ante approbatis contradiceretur. Postulabat, ut Scripta tunc temporis ex utraque parte oblata revolverentur, utque, si fixum erat aliquid decernere, prius examinaretur: „ 1. Utrum factum „ Iansenianum a Summis Pontificibus canonice & iuridice decisum „ fuerit ". Hoc enim, ut a Card. De Laurea & P. Luca Waddingo, sic a Theologis quorum partes agebat negari. „ 2. Posito „ quod ita sit, an illius facti & caeterorum eiusdem generis interius credendorum imponatur necessitas. 3." An huiusmodi factum „ in Formulario directe ponatur & affirmetur. Etenim, aiebat, „ incidenter duntaxat & connotative memorari cum Emin. De Laurea „ sentiunt iidem Theologi. 4." An circa facti decisionem requira„ tur fides divina vel humana ". Dein utraque opinione breviter confutata, exponebat quot & quanta incommoda ex damnatione duarum propositionum secutura essent, inprimis gravissimas lites & contentiones a Clemente IX. & Innocentio XII. feliciter sopitas renovatum iri: datum iri Archiepiscopo Mechliniensi praetextum iactandi additiones suas, prius reiectas, tandem approbatas fuisse; novas Formularii subscriptiones in Gallia & in Belgio exactum iri, quae a multis detrectandae perpetuus discordiarum fomes futurae essent. Archipraesulem Cameracensem aliosque patronos infallibilitatis Ecclesiae circa facta, fidem divinam de facto Iansenii suis Clericis imperaturos: Theologis Catholicis traductum ostium innumeris periuriis apertum iri, multis nimirum contra propriam conscientiam Formulae subscripturis: hoc decretum eamdem vim habiturum quo ad facta dudum definita, ac quo ad Iansenianum; proinde erroris notam omnibus inustum iri, qui Honorium eiusque Epistolas a Synodo V. oecumenica damnatas defendere ausi fuerint. Demum orabat, *ut audirentur Doctores Lovanienses; quod*, inquit, *ab aequitate & iustitia non videtur alienum, cum de eorumdem Theologorum damnanda doctrina & fide agatur*. Haec momenta multis Romanorum gravia videbantur, sed ante Ianseniani excluserunt, producto testimonio strictae Facultatis Lovaniensis, declarantis, neminem qui pro se ageret Romam a se deputatum. Revera D. *Deschamps* non strictae Facultatis, Mechliniensi Archiepiscopo devotae, sed aliorum Doctorum & Licentiatorum nomine agebat. Hoc tamen praetextu memoriale solidissimum Romae spretum est.

Summus Pontifex Bullae prospectu in Galliam misso, factusque de futura acceptatione securus, eam die 16. Iulii in Consistorio Cardinalium legit. Aiunt Cardinales Marescottium, Carpegnam, Nerlium &c. censuisse nova Bulla opus non esse in ea quaestione cui a Sede Apostolica satis provisum fuerat, sed de aliorum consilio Bulla edita est, ac die 27. Iulii 1705. de more affixa. Hac in Constitutione, quae incipit *Vineam Domini Sabaoth*, relato integro tenore Constitutionum Innocentii X. & Alexandri VII. sic prosequitur Clemens XI. Summus Pontifex. „ Sic equidem caussa finita est, „ non tamen sic, ut par erat, finitus est error, Apostolico toties „ mucrone perculsus". Si de errore quinque propositionum agitur, dudum finitus erat, immo nunquam assertus: si de distinctione iuris & facti, ac de silentii obsequiosi pro facto sufficientia, neque error est, neque opinio a Sede Apostolica vel semel damnata. „ Neque enim, pergit Pontifex, defuere, nec adhuc desunt homines veritati non acquiescentes, & nunquam Ecclesiae contradicendi finem facientes, qui variis distinctionibus, seu potius effugiis ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam ipsam turbare eamque interminatis quaestionibus, quantum in ipsis est, involvere ac implicare conantur, quodque deterius est ipsamet Apostolicae Sedis Decreta redarguendis eorum pravis sensibus condita, „ ac praesertim quasdam piae memoriae Clementis Papae IX. 19. „ die Ianuarii 1669. ad quatuor Galliae Episcopos, nec non binas „ similis memoriae Innocentii Papae XII. etiam praedecessorum nostrorum die Februarii 1694. & die 24. Novembris 1696. ad „ Episcopos Belgii in forma Brevis respective datas litteras in erroris sui patrocinium advocare, temerario plane ausu, non erubescunt, perinde ac si memoratus Clemens praedecessor, qui eisdem „ suis litteris se Innocentii X. & Alexandri VII. praedecessorum Constitutionibus supra dictis firmissime inhaerere, ac a dictis quatuor „ Episcopis veram & totalem obedientiam, adeoque Formulae a „ praefato Alexandro praedecessore, sicut praemittitur, editae, sincere per eos subscribi voluisse declaravit, aliquam in tam gravi „ negotio exceptionem seu restrictionem, quam nullam prorsus se „ unquam admissurum fuisse protestatus fuit, reipsa admisisset; dictus vero Innocentius XII. praedecessor, dum sapienter ac provide praedictas quinque propositiones ex memorato libro Iansenii „ excerptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba

Recueil historique des Bulles pag. 362.

„ exhibent ac prae se ferunt, damnatas esse pronunciavit, non de „ ipsomet obvio sensu, quem in Iansenii libro exhibent, quive ab „ eodem Iansenio intentus, & a praefatis Innocentio X. & Alexandro VII. praedecessoribus damnatus fuit, sed de alio quopiam di„ verso sensu cogitasset, dictasque Innocentii X. & Alexandri VII. „ Constitutiones temperare, restringere, aut alio quovis modo mu„ tare voluisset, & iisdem ipsis litteris, quibus eas in suo robore „ fuisse & esse, seque illis firmiter inhaerere verbis apertissimis „ asserebat “. Quid praesidii ex Brevibus Clementis IX. & Innocentii XII. hic memoratis accedat caussae Theologorum obsequiosi silentii defensorum, partim diximus, partim dicemus in posterum, addit Pontifex. „ Praeterea iidem inquieti homines, sparsis unde„ quaque scriptionibus ac libellis, exquisita ad fallendum arte com„ positis, non sine gravi Apostolicae Sedis iniuria, maximoque to„ tius Ecclesiae scandalo docere non sunt veriti: ad obedientiam „ praefatis Apostolicis Constitutionibus debitam non requiri, ut „ quis praedicti Ianseniani libri sensum in antedictis quinque pro„ positionibus, sicut praemittitur, damnatum, interius ut haereti„ cum damnet, sed satis esse, si ea de re obsequiosum (ut ipsi vo„ cant) silentium teneatur. Quae quidem assertio quam absurda „ sit, & animabus fidelium perniciosa, satis apparet, dum fallacis „ huius doctrinae pallio non deponitur error, sed absconditur: vul„ nus tegitur, non curatur, Ecclesiae illuditur, non paretur: & la„ ta demum filiis inobedientiae via sternitur ad fovendam silentio „ haeresim; dum ipsam Iansenii doctrinam, quam ab Apostolica „ Sede damnatam Ecclesia universalis exhorruit, adhuc interius „ abiicere & corde improbare detrectant “.

„ Quin etiam eo impudentiae nonnullos pervenisse compertum „ est, ut veluti naturalis honestatis, nedum christianae sinceritatis „ obliti asserere non dubitaverint praefatae Formulae a memorato „ Alexandro praedecessore proscriptae subscribi licite posse etiam ab „ eis qui interius non iudicant praedicto Iansenii libro doctrinam „ haereticam contineri. Quasi vero, contra quam scriptum est: „ *Qui loquitur veritatem in corde suo &c.: qui iurat proximo suo* „ *& non decipit*; huiusmodi erroris sectatoribus liceat Ecclesiam „ ipsam iureiurando decipere, simulque Apostolicae Sedis provi„ dentiam fallere; dum eiusdem Formulae conceptis verbis loquun„ tur quod Ecclesia loquitur, quod tamen sentit ipsa, non sentiunt;

„ ſeque parere Conſtitutionibus Apoſtolicis profitentur, quibus animo contradicunt “. Demum declarat S. Pontifex: 1.° ſe renovare ac confirmare Innocentii X. & Alexandri VII. Conſtitutiones: 2.° „ inſuper, ait, ut quaevis in poſterum erroris occaſio penitus praecidatur, atque omnes Catholicae Eccleſiae filii Eccleſiam ipſam „ audire, non tacendo ſolum (nam & impii in tenebris conticeſcunt), ſed & interius obſequendo, quae vera eſt orthodoxi hominis obedientia, condiſcant, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione obedientiae, quae praeinſertis Apoſtolicis Conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo ſilentio minime ſatisfieri, ſed damnatum in quinque praefatis propoſitionibus Ianſeniani libri ſenſum, quem illarum verba prae ſe ferunt, ut praefertur, ab omnibus Chriſti fidelibus ut haereticum, non ore ſolum, ſed & corde reiici ac damnari debere; nec alia mente, animo, aut credulitate ſupra dictae Formulae ſubſcribi licite poſſe “.

Haec Bulla quae nebulas omnes diſpellere debuerat, augendae obſcuritati aptior multis viſa eſt, quam pellendae. Quippe definit tantum, per obſequioſum ſilentium Conſtitutionibus Apoſtolicis non ſatisfieri, quod ab omnibus conceditur, ſi habeatur ratio iuris in Conſtitutionibus definiti; ſed nequaquam definit, num ſilentium obſequioſum ſufficiat ratione facti quod iure adiungitur in Conſtitutionibus; quod tamen unice definiendum erat. Verum de ſenſu huius Bullae agemus poſtea. Hoc unum Pontifex videtur clare declaraſſe, illos excuſari non poſſe a periurio, qui pure ac ſimpliciter ſubſcribunt, cum interius non iudicent doctrinam haereticam Ianſenii libro contineri.

Conſtitutio a Galliae Epiſcopis recipitur; diverſitas doctrinae illorum mandatis contentae.

Nuncius Apoſtolicus Bullam hanc recepit 27. Iulii 1705. una cum Brevi ad Regem Chriſtianiſſimum, quod, quia ſoli Summo Pontifici ius arrogabat de huiuſmodi quaeſtionibus iudicandi, ſuppreſſum eſt. Habebantur ordinaria Cleri Comitia, praeſide Card. Noallio. Rex Bullam miſit 2. Auguſti, ſimulque litteras, quibus Praeſules hortabatur ad eam recipiendam. Poſtridie Card. Noallius rem proponendo modeſte ac fortiter conqueſtus eſt, quod nonnulli Epiſcopi fidem divinam circa factum Ianſenii exigendo, aperte excederent, cum Eccleſia Romana nunquam crediderit ſe circa iſtiuſmodi facta errare non poſſe: obſervavitque Summum Pontificem mediam viam tenuiſſe inter eos qui auctoritatem Eccleſiae in huius generis quaeſtionibus plus iuſto extollebant, & eos qui deprimebant.

Commiſſarii, qui Bullam expenderent, nominati ſunt, Archiepiſcopus Rothomagenſis, & Epiſcopi Conſtantienſis, Ambianenſis, Andegavenſis, Sylvanectenſis, Bleſenſis, & Foro-Iulienſis; & ex ſecundo ordine DD. *De Louvois*, *De Fourcy*, *De Buſſy*, *De Catellan*, *De Vienne*, *Joubert & Fagon*, quibus conſultativa tantum vox attributa eſt. Die 21. Auguſti Archiepiſcopus Rothomagenſis in ſua relatione ſolide aſſeruit Epiſcopos habere ius a Chriſto acceptum iudicandi de quaeſtionibus fidei, Bullaſque SS. Pontificum non aliter quam per modum iudicii recipiendi. Caeteris Commiſſariis per duas integras ſeſſiones prolocutis, alii Praeſules in duabus ſequentibus ſeſſionibus decreverunt iuxta Commiſſariorum vota: 1° ſe Conſtitutionem recipere cum reverentia ac perfecta unanimitate: 2.° litteras gratulatorias mittendas eſſe ad S. Pontificem: 3.° alias inſuper mittendas ad Epiſcopos Galliae abſentes, quibus invitarentur ad recipiendam publicandamque Bullam mandatis uniformibus, quae nihil ei adderent nec detraherent: 4.° gratias per Card. Noallium agendas eſſe Regi Chriſtianiſſimo, poſtulandaſque ab eo patentes litteras, ut Conſtitutio in omnium Curiarum Commentariis quam primum referretur. Nonnulli propoſuerunt, ut Formulae ſubſcriptio denuo imperaretur, ſed caeterorum ſilentio id compreſſum eſt. Litterae patentes datae ſunt ultimo Auguſti, Bullaque in Curiarum commentarios relata, ad omnes Regni Epiſcopos miſſa eſt, qui ſtatim eam mandatis ſuis promulgarunt.

De Rouen. De Coutances. D' Amiens. D' Angers. De Senlis. De Blois. De Freius.

Inter haec mandata ſeu documenta paſtoralia inſignis diverſitas animadverſa eſt: 1.° aliqui Epiſcopi ſecuti ſunt proſpectum a Conventu inſtructum, alii ab eo receſſerunt. 2.° Multi ſtylo acri invecti ſunt in praetenſos Ianſenianos; contra nihil eſt magis moderatum, quam quae ab Archiepiſcopo Rhemenſi & ab Epiſcopis Verdunenſi, Aurelianenſi, Tullenſi, Iprenſi, & Atrebatenſi dicta ſunt. Immo Epiſcopus Pontiſpoleos totus fuit in documento ſuo Paſtorali, ut vindicaret doctrinam a XIX. Epiſcopis, quorum unus ipſe fuerat, aſſertam in Epiſtola ad Clementem IX. ſcilicet Conſtitutionibus Alexandri VII. qua parte Ianſenii factum ſpectant, ſatisfieri per ſubmiſſionem ſilentii obſequioſi. Ut autem aſſenſum internum huic facto, quem per novam Bullam praeſcribi arbitrabatur, a Clericis ſuis obtineret, multa Ianſenii loca in medium protulit, quae cum in variis ſenſibus accipi oſtendiſſet, concludebat, in re dubia acquieſcendum eſſe, pia ſaltem praeſumptione, iudicio Eccleſiae. Hoc man-

datum simulque Epistola paulo ante ab eodem Episcopo ad Archiepiscopum Cameracensem scripta, prohibita sunt Decreto Romano 18. Ianuarii 1710.

2. Plurimi Episcopi verbis Bullae adhaerendo generatim declaraverunt per silentii submissionem non satisfieri Constitutionibus SS. Pontificum, sed requiri submissionem internam, damnarique oportere non ore tenus sed animo sensum libro Iansenii damnatum in quinque propositionibus. Alii vero hanc iudicii submissionem ipsimet facto a SS. Pontificibus definito deberi contenderunt. Sed horum alii piam tantum praesumptionem requisiverunt, sive fidem quamdam humanam & Ecclesiasticam, quae certa non sit nec indubitata, ut Episcopus Pontis-Poleos & multi cum eo: alii assensum firmum & indubitatum, humanum tamen, ut Archiepiscopi Remensis & Turonensis, & Episcopi Noviodunensis, Suessionensis, atque Atrebatensis; alii fidem divinam aut divinae proximam, ut Archiepiscopus Cameracensis & Episcopus Rupellensis: fere omnes, submissionem iudicii indefinitam.

De Reims. De Tours. De Noion. De Soissons. D'Arras. De Cambrai. De la Rochelle.

3.° Quantum ad motivum, in quo illa submissio iudicii fundatur, plerique Episcopi nullum assignavere: qui autem assignarunt, alii infallibilitatem Ecclesiae circa facta doctrinalia; alii supremam, quamvis sub hoc respectu fallibilem auctoritatem; alii concordiae bonum.

4.° Caeteri Episcopi iusserunt tantummodo Bullam a Parochis promulgari; sed Archiepiscopi Narbonensis & Turonensis, Episcopique Bellicensis, Tornacensis, Nivernensis, & Vapincensis imperarunt insuper, ut omnes ordinandi, approbandi ad audiendas confessiones, & promovendi ad beneficia Formulari subscriberent.

De Narbonne. De Tours. Du Bellay. De Tournay. De Nevers. De Gap.

Monasterii Portu Regiensis eversio.

Hae subscriptionum extorsiones, novis persecutionibus fomitem praebuerunt, quas referre non patiuntur huius historiae limites. Sed omittere tamen non possum quod contra Moniales Portu-Regienses Rurenses actum est (nam Monasterium Parisiense Monialibus iis, quae D. *De Perefixe* consenserant, attributum, & sentiendi & vivendi norma a Rurensi discrepabat). Post concessam Ecclesiae pacem respirabant Sanctissimae Virgines, sed non diuturnum gaudium fuit. Anno 1679. D. *De Harlai* Parisiensis Archiepiscopus vetuit, ne novitias ad probationem ultra admitterent. Hoc pacto numerosus Virginum chorus decrescebat in dies, multis obeuntibus, nullis succedentibus. Nova Bulla ad eas perlata anno 1705., eidem subscripserunt, additâ

additâ hac clausulâ, se subscriptione sua paci Clementinae non derogare. Hinc Sacramentorum privatione primum mulctatae sunt: deinde Bullis Apostolicis Abbatia suppressa. Demum 29. Oct. an. 1709. Sacrae Virgines velut captivae bello captae, varias in sedes ad victoris arbitrium translatae sunt. Nihil reliquum videbatur in quod saevire adversariorum crudelitas posset: inventum est tamen. Effossa sunt condita humo corpora, violata contra intimas naturae leges sepulchra, pretiosaque pignora varias in Ecclesias aut coemeteria deportata. Verum si ossa erant Catholicorum sincera fide & virtutibus christianis conspicuorum, ut credimus, cur sacrilegis manibus temeranda tradita sunt? Cur e sacra terra, in qua sui redemptionem in pace expectabant, cum ingenti bonorum omnium offensione & infirmorum scandalo, spretis humanitatis legibus eruta? Si vero haereticorum, rebellium & sepultura Ecclesiastica indignorum ossa fuerunt, ut contendunt adversarii; cur in locis sacris reposita & non potius in profana & communia proiecta sunt? *Mentita est* manifeste *iniquitas sibi*. Ut vero nullum illius Monasterii, in quod tanta dona effuderat bonorum omnium largitor Deus, vestigium superesset, saevitum est in innocuas sacrasque aedes, templum solo aequatum: nuncque seges est, ubi quondam fuerat Dei domicilium.

Septima aetas Iansenismi, seu eorum quae post damnatum casum conscientiae gesta sunt, brevis delineatio.

Publicata in omnibus Galliae Dioecesibus Bulla, quae incipit, *Vineam Domini Sabaoth*, eo in statu res fuerunt, ut aliqui Episcopi rigorose exigerent Formulae subscriptionem, detrectantesque ab Ordinibus & Beneficiis arcerent; multi vulgo non exigerent, aut segnius exigerent: nemo subscriptioni aperte resisteret quin statim poenas daret. Sed mortuo Rege Ludovico XIV., multis nominibus vere magno, at in iis quae Iansenismum spectant, Iesuitarum, quibus se totum commiserat, calumniis nimium credulo; qui in intimis multorum pectoribus latuerant sensus, in publicam lucem statim erupere. Non pauci Episcopi in exigenda subscriptione multo segniores, aut in admittenda iuris & facti distinctione multo commodiores extitere. Facultas Parisiensis adeo facilem se praebuit, ut intra quatuor circiter annos 120. Baccalaurei absque Censurae aut Formulae, nisi explicata, subscriptione, consentientibus Syndicis,

Quis animorum affectus erga Formulae subscriptionem post Ludovici XIV. mortem apparuerit. Sept. 1715.

adiuvantibus plerisque Doctoribus, aliis conniventibus, admissi fuerint. D. *Petitpied* summo cum omnium applausu in Comitiis admissus est; stetissetque in Doctoratus iuribus nisi regia auctoritate erasa fuisset conclusio qua in integrum restitutus fuerat. In aliis Comitiis Doctores 70. censuerunt legem subscriptionum penitus esse abolendam, caeteris, qui quo ad rem ipsam consentiebant, arbitrantibus tempus magis opportunum expectandum.

D. Bourey. Occasione Theseos cuiusdam Baccalaurei licentiam decurrentis, qui propositionem Arnaldinae consentaneam defenderat, & inter disputandum Censuram velut spurium Facultatis foetum flocci fecerat; plerique Magistri Censuram illam de medio tollere gestientes, duodecim Deputatos nominarunt, qui de illa proximis in Comitiis referrent: certumque est eam omnino abrogandam fuisse, nisi iussa Regia vetuissent, ne de hoc negotio deliberaretur. Ex his, quae statim atque primus effulsit libertatis radius, propensissimo animo gesta sunt, cuivis in promptu est colligere quo pacto affecti sint plerique Doctores Parisienses, & quid si potestas daretur, acturi essent.

Eosdem animos gerebat Facultas Remensis. Cum enim D. De Mailly Archiepiscopus mandatum ei significasset, quo imperabatur pura & simplex subscriptio Formularii, Philippo Aurelianensium

14. Augusti 1719. Duci Regenti Memoriale obtulit postulavitque, sibi ut liceret subscriptiones explicatas admittere, sicut tempore pacis Clementinae admissae fuerant. Serenissimo Principe annuente facta est conclusio, in cuius prospectu cum aula communicato, Dux a Sancto Simone propria manu haec scripsit: ***Qualis est conclusio, a sua Regali Altitudine approbatur.*** Erasa quidem est e Registris posteriori iussione, sed non ideo Doctores mentem mutarunt.

Cernebant haec & fremebant pacis inimici. Tandem an. 1722. litteras iussionis Regiae obtinuerunt ad exigendam ubique Formulae subscriptionem. Huiusmodi litterae missae sunt ad eas Facultates, in

Mont-pellier. Poitiers. Reims. Nantes. De Rom'gny. quibus usus subscriptionum hactenus non invaluerat, ad Monspeliensem, Pictaviensem, Remensem, Nannetensem &c. aliae missae sunt ad Parisiensem Facultatem (cui invitae Syndicus Regia auctoritate nuper praefectus fuerat, singulis deinceps bienniis contra statuta & leges eo in munere a duodecim & amplius annis confirmatus) ut qui ad Baccalaureatûs aut Licentiatûs gradum admissi fuerant non subscriptis Formula aut Censura, ab omni gradu deiicerentur, nisi quamprimum subscriberent. Multi Licentiae studium

ingressi recesserunt, quos inter emicuit D. *De Sartres* Domus Sorbonicae Prior; multo plures illud ingredi noluerunt, aliis temporum necessitati obtemperantibus. Sacrum Ordinem hac de re sibi permolesta deliberare volentem, iussiones Regiae ad vota Syndici paratae, prohibuerunt, eaque occasione DD. *Du Rieux*, *De Franceres*, Doctores Sorbonici spectatissimi, a Comitiis exclusi sunt, & post illos plurimi scientia & pietate conspicui. Nannetensis Facultas acceptis litteris Regis Formulae subscriptionem admisit ad normam pacis Clementinae. Hanc ob caussam Doctores praecipui novis litteris exclusi sunt, redintegratis quos antea Facultas liberis suffragiis excluserat; erasaque prima conclusione, alia omnino contraria facta est, quinque Magistris intercedentibus, eoque nomine paulo post auctoritate Regia expulsis.

Capitulum Ecclesiae Cathedralis Catalaunensis pariter decreverat in subscriptionibus Formularii sancitae dudum pacis pacta servatum iri: at novis mandatis supervenientibus mutata est conclusio, septem Canonicis intercedentibus.

Incredibile dictu est, quot & quantas persecutiones quanta cum constantia viri docti iuxta & pii ab anno 1722. ob negatam puram & simplicem Formulae subscriptionem passi sint & adhuc patiantur, maxime in Dioecesibus Laudunensi, Aurelianensi, Bellovacensi, Turonensi, Boloniensi, Massiliensi, Suessionensi, Baiocensi, Baïonensi, Parisiensi &c. & in illustrioribus Regularium Congregationibus.

Cum iussa Regia pro subscriptione Formularii ad Facultatem Montis-Pessulani pervenissent, Illust. Carolus Ioachim *Colbert* Episcopus, & Facultatis Cancellarius, ex deliberatione & consilio Magistrorum decretum tulit 22. Augusti 1722. quo declarabat „ 1.° „ subscribentem teneri ad sincere detestandas cordeque & ore damnandas quinque propositiones in omnibus sensibus ab Ecclesia proscriptis in quolibet auctore vel libro reperiantur absque ulla quacumque distinctione aut restrictione. 2.° Quod spectat attributionem propositionum libro Iansenii factam, in quo stat quaestio facti, ea observanda esse quae a Clemente IX. & Episcopis Galliae sancita, & a Rege Ludovico XIV. in Regno suo observari iussa sunt. 3.° Ad fovendam, quae tunc data est Ecclesiae pax, iussit hanc suam declarationem praefigi Formulario quod subscribendum Candidatis porrigeretur". Querelae statim ad aulam delatae sunt, obtentumque est supremi Concilii arrestum 11. Martii 1723.

quo damnata Epiſcopi declaratione, ipſius Dioeceſani iubebantur inter manus Archiepiſcopi Narbonenſis ſubſcribere. Hoc arreſtum Montis-Peſſulii promulgatum atque affixum eſt, iniunctumque Iudicibus laicis, ut ſedulo explorarent aulamque monerent, num & quomodo nominati ad Beneficia in illa Dioeceſi Formulae ſubſcriberent. Humillimas expoſtulationes ad Regem Chriſtianiſſimum ſcripſit 2. Maii 1724. quibus diſciplinae normam a ſe obſervatam improbari iure non poſſe, pacemque Clementinam & ſinceram fuiſſe & etiamnum ſtare debere manifeſtis momentis demonſtravit. Idem argumentum Epiſtola & Inſtitutione Paſtorali paulo poſt data non minus diſerte & dilucide exſecutus eſt. Quantum haec ſcripta omnibus non praeoccupatis amori & admirationi fuerunt, tantum Praeſules aulicos offenderunt, maxime Card. Biſſium & Epiſcopum quondam Foro-Iulienſem; quorum in Concilio conſcientiae praecipua poteſtas erat. Horum ſuggeſtione utrumque Scriptum privati Concilii arreſto die 21. Septembris damnatum eſt, & Epiſcopus Montis-Peſſulani temporalium privatione mulctatus, quam poenam Epiſcopali animo ad hoc uſque tempus ſuſtinuit.

His Scriptis illuſtratae plurimorum mentes, aliorum vero exaſperatae, Praeſulum inprimis, qui in Conventu anni 1725. & poſtea identidem a Rege petierunt, ut convocari iuberet Concilium Provinciae Narbonenſis ad cognoſcendam cauſſam Epiſcopi Montis-Peſſulani; quod obtinere hactenus nequiverunt. E contrario eius cauſſae adſtipulati ſunt palam duodecim Epiſcopi, & ſupra mille ſecundi ordinis Sacerdotes, Doctores, Parochi, Canonici Regulares,
D. ſeqq. qui ſcriptis ad eum vel ad Epiſcopum Senecenſem litteris, teſtati ſunt ſe eadem omnino ſentire; gratiaſque ampliſſimas egerunt ob ſtrenue ab ipſis defenſam veritatem pacis Clementinae. Plerorumque nomina exhibet breve Scriptum anni 1727. cui titulus: *Memoriale pro cauſſa Epiſcopi Senecenſis;* & *Collectio plurimorum factorum & teſtimoniorum pro pace Clementis IX.*

At nemo hactenus pro defenſione pacis Clementinae maiora pertulit, quam Illuſtriſſimus Ioannes *Soanen* Epiſcopus Senecenſis, hanc ob cauſſam ſimulque ob conſtanter reiectam Conſtitutionem *Unigenitus*, in Conciliabulo Ebredunenſi factione inimicorum oppreſſus, muniis Epiſcopalibus interdictus, atque ad Abbatiam Bene-
Chaiſe Dieu. dictinorum quam vocant Cathedram Dei in Alvernia relegatus; unde bonum Chriſti odorem undequaque diffundit, plenus dierum &

fide, ſinceris Eccleſiae amicis pretioſus, aeque charus ipſiſmet inimicis, pietate, doctrina, & Chriſtiana conſtantia venerabilis. Sed de his quae contra illum acta ſunt, & quae ipſius damnationem ſubſecuta, recurret dicendi locus in diſſertatione quae hanc conſequetur, eritque huius hiſtoriae continuatio, ubi agemus de Conſtitutione *Unigenitus* quae erit veluti octava aetas ſive epocha Ianſeniſmi.

SECTIO ALTERA

In qua expenduntur nonnullae quaeſtiones ad hiſtoriam Ianſeniſmi pertinentes.

HAec ſunt potiſſimum, quae in diſceptationem veniunt.

I. Quiſnam ſit ſenſus quinque propoſitionum a Summis Pontificibus & Eccleſia damnatus?

II. An Eccleſia univerſa in illarum propoſitionum illorumque ſenſuum damnationem conſpiret?

III. Quid ad Ianſenium damnandum obiectum, & quid ad eumdem vindicandum reiectum fuerit?

IV. An Theologi, quos Ianſenianos vocant, ante damnationem quinque propoſitionum, eas in ſenſu haeretico defenderint?

V. An tunc confeſſi ſint eas a Ianſenio traditas eſſe vel eius doctrinam complecti?

VI. An liber Ianſenii iuridice examinatus fuerit?

VII. An Innocentius X. in ſua Conſtitutione factum Ianſenii definire intenderit?

VIII. An Eccleſia univerſa iudicaverit doctrinam haereticam in libro Ianſenii contineri?

IX. An pax a Clemente IX. conceſſa vera ſit ac ſincera, & quaenam eius pacta fuerint?

X. An ea pax etiamnum ſtare debeat; anne per Conſtitutionem *Vineam Domini Sabaoth* irritata aut abrogata fuerit?

QUAESTIO PRIMA.

Quis sit sensus damnatus quinque propositionum?

SI quinque propositionum fabricatores eas clare ac distincte remotisque omnibus ambagibus contexuissent; vel Summus Pontifex, ut a multis Galliarum Episcopis, ab Augustinianis Doctoribus, a Dominicanorum familia saepenumero rogatus est, catholicos earum sensus ab haereticis sedulo discrevisset; supervacaneum foret sensum haereticum in iisdem damnatum operosius investigare. At quod tantopere metuerant Augustiniani Doctores, quodque Dominicani Summo Pontifici centies dixerant praecavendum, ne scilicet verae gratiae inimici ex damnatione absoluta quinque propositionum occasionem arriperent Augustinianam de gratia per se victrici doctrinam accusandi, nunc reipsa experiuntur. Unusquisque prout affectus est, damnatum propositionum sensum assignat. Igitur necessarium est hinc, unde caetera plurimum lucis recipiunt, exordiri, certisque & immotis argumentis ostendere quis sensus fuerit damnatus, quis non fuerit.

Initio disputationum, recenti adhuc Innocentii X. Constitutione, constabat apud omnes ferme Catholicos errorem proscriptum esse ipsummet Calvinianum gratiae necessitantis dogma. Sed postea ingentem opinionum diversitatem peperit partim Molinismum provehendi, & Augustini Discipulos calumniandi prurigo, partim ea clausula, qua propositiones in sensu Iansenii damnatae dicebantur. Hinc nonnulli contendunt sensum damnatum ex Iansenii libro dignosci debere; eamque doctrinam pro damnata habendam, quae ab illo tradita fuerit. Sed hi de sensu Iansenii minime concordant.

Alii gratiam necessitantem, qualis a Calvino tradita fuisse vulgo creditur, a Iansenio quoque traditam autumant: alii sensum eius in delectatione relative victrici reponunt: quidam in doctrina gratiae per se efficacis: alii alibi. E contrario multi Theologi sentiunt recurri non debere ad librum Iansenii, cuius sensus ab octoginta annis inter doctos controvertitur, ut cognoscatur, quis sensus in quinque propositionibus damnatus sit, sed ex ipsismet propositionibus, sensuque earum obvio, id esse diiudicandum.

Plerique Theologi initio disputationum atque etiamnum omnes Thomistae aliique gratiae seipsa efficacis defensores sentiunt nonnisi Calvinianum gratiae necessitantis errorem damnatum fuisse a SS. Pontificibus.

P. Ferrier omnium primus asseruit quinque propositiones damnatas fuisse in sensu, quem in Scripto trium columnarum defenderant Augustiniani, seu in sensu secundae columnae: sed, cum propositiones illius columnae a genuino & proprio sensu deflexerit, non plane constat an alium, quam gratiae absolute necessitantis sensum damnatum esse contenderit. D. Deckerus Mechliniensis Ecclesiae Decanus in *secunda defensione Constitutionis* Vineam &c. nescio quos sensus a gratia efficaci & necessitante diversos damnatos esse commentus est.

Quidam recentiores existimant sensum damnatum esse dogma duplicis delectationis, gratiae nimirum & concupiscentiae, relative victricis: ex hoc enim dogmate sequi quinque errores ab Ecclesia proscriptos; ita D. *Tournely* in suo tractatu de gratia.

Alii dixerunt doctrinam gratiae per se efficacis, sive relative victrix, sive physice praedeterminans admittatur, eam ipsam esse, quam Apostolica Sedes confixit. Hanc opinionem triplex hominum genus amplexum est: 1.° Protestantes Calviniani ac Lutherani, ut Ecclesiam Romanam calumniandi locum haberent, clamitaverunt doctrinam S. Augustini de gratia per se efficaci, iam dudum Romanae Sedi invisam, tandem Pontificio diplomate fuisse proscriptam. Hos confutavit P. Quesnellus libro cui titulus: *Defensio Ecclesiae Romanae ... contra Melchiorem Leyddeckerum*. 2.° Nonnulli Iesuitae, non quidem odio Sedis Apostolicae, ut Protestantes, sed gratiae per se efficacis horrore, in eumdem scopulum impegerunt. Eorum unus sub nomine Liberii Gratiani *Dissertationem primam* Antuerpiae edidit anno 1707. *De mente S. Concilii Tridentini circa gratiam physice praedeterminantem*, in qua contendit doctrinam gratiae per se efficacis ad singulos pietatis actus necessariae a SS. Pontificibus in Iansenio damnatam esse. Refellitur haec audacia in *chimera Iansenismi* & in aliis libris. 3.° D. Paschal, aliique pauci catholici gratiae per se efficacis defensores, cum cernerent SS. Pontifices damnasse quinque propositiones in sensu Iansenii, persuasique forent sensum Iansenii non differre a doctrina gratiae efficacis catholice intellecta, aliquandiu arbitrati sunt Summos Pontifi-

ces contra suam intentionem, & facti errore deceptos, reipsa damnasse doctrinam gratiae per se efficacis, quam damnare nolebant. Hos confutavit Antonius Arnaldus brevi Scripto, *De intelligentia horum verborum: sensus Iansenii*. Proinde gravissime hallucinatus est auctor *historiae quinque propositionum*, cum ait D. Paschal segregasse se ab amicis suis quod improbaret illorum in Iansenio defendendo pertinaciam. Nedum enim a Theologis Portu-Regiensibus in hoc dissenserit, e contrario in hoc dissensit quod ipsarummet propositionum damnationi, quia in Iansenii sensu damnatae dicebantur, nollet acquiescere.

In tanta opinionum pugna, quid sentiendum sit, primum generatim aperiam, ad singulas propositiones postea descensurus.

I. Damnatus propositionum sensus non debet aestimari ex Iansenii sensu, sed ex ipsorum contextu sensuque obvio.

Multa suppetunt argumenta quae id invicte demonstrant.

1.° Sensus damnatus ex libri Ianseniani sensu aestimari non debet, si propositiones tantum in seipsis, & abstrahendo ab omni auctore fuerint examinatae; atqui ex dictis constat, constabitque amplius ex dicendis quaestione sexta, Consultores Romanos examinasse quinque propositiones in seipsis, abstrahendo a Iansenio & quolibet proferente. Ergo sensus damnatus ex Iansenii sensu aestimari non debet.

2.° Licet Alexander VII. definierit quinque propositiones damnatas fuisse in sensu Iansenii, tamen Innocentius X. nihil hac de re definire voluerat, ut paulo post ostendemus. Atqui hoc posito, clarum est sensum damnatum non ex libro Iansenii, sed ex ipsismet propositionum verbis accipiendum esse. Ergo &c.

3.° Galliae Episcopi & Summi Pontifices idem declararunt. Illi quidem in conventu anni 1654., in quo primum definitum est quinque propositiones damnatas fuisse in sensu Iansenii, Innocentium X. his verbis allocuti sunt. „ Perspectum fuit, illas quinque propositiones vere esse Iansenii & damnatas esse in vero ac proprio verborum sensu, & eo plane quo a Iansenio traduntur & explicantur “. His in verbis duo declarantur: primum quinque propositiones damnatas esse in vero ac proprio verborum sensu; alterum, hunc sensum a Iansenio traditum esse. Illud primum ab altero

tero non pendet, quod est merum factum nullatenus inferviens ad figendum errores damnatos, qui, docentibus Episcopis, ex ipsismet propositionum verbis proprio sensu intellectis accipi debet.

Non minus aperte, immo apertius, si fieri potest, hoc declaravit Innocentius XII., in Brevi seu Rescripto anni *1694.* ad Episcopos Belgii, ubi sic loquitur: „ ad praecavendas omnes dissi„ diorum caussas, quae christianam pacem dilacerant; nos . . . su„ per eiusdem Formularii interpretatione, sicut & praedictarum „ propositionum in alios sensus praeter eum quem verba ipsa per „ se exhibent, perpetuum silentium imposuimus ". Paulo ante dixerat eos „ qui ad subscribendum adigendi sunt, illud praestare de„ bere sincere . . . damnando eas propositiones ex libro Iansenii „ excerptas in sensu obvio quem ipsa propositionum verba prae se „ ferunt, prout sensum illum damnarunt Summi Pontifices ". Quid clarius desiderari potest? Porro hoc Breve, posteriori nedum revocatum, immo confirmatum esse, ostensum est supra.

Nec dicas Clementem XI. in Constitutione quae incipit *Vineam Domini Sabaoth* declarasse, sensum obvium propositionum, de quo agitur in Rescripto sui decessoris, esse ipsummet sensum quem in Iansenii libro habent. Nam haec verba tantum significant, sensum libri Iansenii non differre a sensu obvio quinque propositionum, sed nullatenus significant sensum propositionum e libro Iansenii expiscandum esse. Immo in hac ipsa Constitutione expresse dicitur „ damnatum in quinque propositionibus libri Ianseniani sen„ sum eum esse quem illarum verba prae se ferunt ". Ubi clarum est, sensum Iansenii non proponi tanquam medium ad cognoscendum sensum haereticum quinque propositionum, sed tantum hunc sensum haereticum, quem ipsamet propositionum verba prae se ferunt, libro Iansenii attribui.

4.° Sensus damnatus quinque propositionum per id figi non debet, quod non est quid fixum & certum. Atqui nihil minus fixum est quam sensus Iansenii; ut enim omittam textum Iansenii aliter a suis defensoribus, aliter a damnatoribus accipi, illi ipsi, a quibus damnatur, secum invicem non consentiunt; adeo ut septem ad minus systemata diversa circa Iprensis mentem in medium prolata sint. Harum contentionum quis finis? Quandonam ad verum certo pervenietur? Num ignorabit Ecclesia, quos errores damnet, donec de sensu Iansenii constiterit? Et certe ut concedamus

ſenſum quinque propoſitionum eſſe ambiguum & captu difficilem, ingens Ianſenii volumen intelligere multo difficilius eſt, iis praeſertim quibus non vacat varia illius loca ſecum mutuo conferre.

5.° Si propoſitionum ſenſus damnatus ita pendeat a ſenſu libri Ianſenii, ut ex illo aeſtimari debeat, ſequitur plurimos in Gallia Epiſcopos, qui librum Ianſenii numquam legerunt, & omnes exterarum regionum Epiſcopos, quibus, fatente P. Annato, Ianſenii nomen, niſi ex decretis quibus damnatur, cognitum non eſt, neſcire quis ſit error ab Eccleſia damnatus. Nam neque hoc norunt ex lectione libri Ianſenii, utpote quem non legerunt, neque ex publica & certa fama, cum Anti-Ianſeniani ſenſus inſigniter diverſos Ianſenio attribuant. Porro ſi neſciunt, non iudicant; nec iudicare poſſunt. Quis enim iudicet cauſſa ignota? Si non iudicant, ergo maior pars Epiſcoporum nihil decrevit circa doctrinam quinque propoſitionum. Videant adverſarii, quantum Apoſtolicas Conſtitutiones, dum extollere nituntur, reipſa deprimant & enervent.

In reſponſione ad quaedam quaeſita pag 38.

6.° Error quinque propoſitionum repeti non debet ex ſenſu Ianſenii, niſi Eccleſia praeciſe determinaverit quis ſit Ianſenii ſenſus, vel ſaltem ad eius lectionem remittat. Atqui SS. Pontifices non determinarunt quis ſit ſenſus libri Ianſenii, & eiuſdem lectionem fidelibus omnibus interdixerunt. Ergo &c.

Et ſane, cum SS. Pontifices non determinaverint ſenſum Ianſenianum, quis fidelium certo ſcire poterit, librum Ianſenii eodem modo a ſe intelligi, quo intellectus eſt a SS. Pontificibus? Hoc autem ignorato, quomodo SS. Pontificum iudicio acquieſci poteſt?

7.° Sequeretur ex opinione quam hic refellimus quinque propoſitiones abſolute damnatas non eſſe, ac poſſe defendi, modo non defendantur in ſenſu Ianſenii; atqui certum eſt quinque propoſitiones abſolute damnatas fuiſſe, defendique non poſſe ſub quolibet praetextu. Ergo &c.

8.° Eadem opinio plane evertit auctoritatem Conſtitutionum Apoſtolicarum. Supponamus etenim, quod fieri poſſe poſtea demonſtrabitur, SS. Pontifices male intellexiſſe librum Ianſenii, ſenſumque huius libri catholicum eſſe; hoc in caſu definitio aut nulla eſſet, vel, quod peius, haeretica. Igitur ſicut ad Honorii Epiſtolas, aut ad Scripta Theodoreti a Conciliis damnata recurrere non oportet ad cognoſcendos errores, ab eiſdem Conciliis anathemate percuſſos; ſic ad Ianſenii librum recurrere non oportet ad detegendum errorem quinque propoſitionum.

9.° Eamdem opinionem multa & maxima sequuntur incommoda, quorum praecipua sunt, quod quilibet Constitutiones eludere posset, in locum sensus reipsa damnati alium substituendo, quem Iansenii esse contenderet: vel eisdem abuti, sensum, qui reipsa catholicus est, Iansenio attribuendo, ideoque damnatum esse contendendo.

II.^{um} Argumentum suppeditat Clementina pax. In eo quippe sita est, ut demonstrabimus, quod Clemens IX. dubitare permiserit de sensu & facto Iansenii, modo ea de re religiosum silentium observaretur. Porro si sensus in quinque propositionibus damnatus a Ianseniano religatus penderet, non posset ambigi de sensu Ianseniano, quin consecutione necessaria ambigeretur de sensu damnato in quinque propositionibus; nec sinere potuisset Clemens IX. de illo dubitari, nisi hunc quoque in ancipiti relinquendo, quod dictu absurdissimum est. Censuit ergo Summus Pontifex sensum damnatum independentem esse a Ianseniano, neque ex illo aestimari debere; sed ex sensu haeretico quinque propositionum fixo & certo, dirimendam esse quaestionem facti Ianseniani.

Cur ergo, inquies, in Constitutione Alexandri VII. & in Formulario quinque propositiones dicuntur damnatae in sensu a Iansenio intento?

Respondeo Alexandrum VII. revera credidisse, multis id suggerentibus, errores quinque propositionum a Iansenio manifeste traditos esse, idque nonnisi mala fide, & intentione renovandi eosdem errores a Iansenii defensoribus controverti. Hoc autem posito mirum non est eum Iansenii sensum damnasse, ut cavillos omnes praecluderet. Sed inde male concluditur hanc Alexandro VII. mentem fuisse, ut interpretatio pravi sensus quinque propositionum penderet a sensu Iansenii.

Et sane hae voces, *sensus a Iansenio intentus*, in se spectatae, sunt indeterminatae, nihilque distinctum menti exhibent; fieri enim non potest, ut sensus Iansenii, praecise ut Iansenii est, abstrahendo ab hoc vel illo determinato sensu, haereticus sit. Proinde S. Pontifex sensum a Iansenio intentum damnare non potuit tanquam haereticum, nisi sensum aliquem determinatum in mente habuerit, v. g. gratiae necessitantis, quem haereticum esse pronunciaverit, & Iansenio attribuerit, ideoque appellaverit sensum a Iansenio intentum. Hinc duo iudicia necessario ferre debuit, unum iuris, scilicet de-

ctrinam quinque propositionibus enunciatam haereticam esse; alterum facti, nimirum hanc ipsam doctrinam tradi in libro Iansenii: Primum iudicium ex contextus propositionum inspectione, earumque cum traditionis doctrina comparatione efflorescit; alterum ex lectione ac examine libri Iansenii unice pendet. Ergo sensus damnatus quinque propositionum est omnino independens & solutus a sensu Iansenii.

II. Doctrina gratiae per se efficacis damnata non est in quinque propositionibus.

Non immorarer in re adeo manifesta, quae probatione non indigeret, nisi homines nihil non audentes contrarium asseruissent; ex innumeris momentis pauca seligo.

1.° Quinque propositiones damnatae non sunt in eo sensu quem catholicum esse omnes tunc confitebantur, & nemo impugnabat: atqui, quando damnatae sunt quinque propositiones, omnes doctrinam gratiae per se efficacis pro catholica agnoscebant. D. Hallier id semper prae se tulit, sive in Collatione cum Dominicanis, sive in omnibus Scriptis Summo Pontifici & Congregationi oblatis, se minime aggredi gratiam per se efficacem, nec controversiam *de auxiliis*. Ergo &c.

2.° Damnata non est gratia per se efficax, si intacta remansit quaestio *de auxiliis* sub Clemente VIII. & Paulo V. agitata. Porro Innocentius X. ante & post damnationem quinque propositionum expresse declaravit nolle se controversiam *de auxiliis* attingere; hoc respondit Doctoribus postulantibus, ut materia gratiae contradictorie discuteretur. Hinc noluit, ut Dominicani intervenirent in caussa quinque propositionum, ut retulit illorum Generalis. Hoc etiam declaravit solemni Decreto S. Officii 23. Aprilis 1654. Ex hac saepius iterata declaratione sic argumentabatur P. Annatus in *Cavillis Iansenianorum* pag. 27. „ Qui damnare vult quinque propositiones in „ sensu Ianseniano, & non vult definire controversiam de gratia „ per seipsam efficaci alias disceptatam, supponit esse differentes „ controversias: sed Innocentius X. vult damnare quinque propositiones in sensu Ianseniano, & non vult definire controversiam de „ gratia per seipsam efficaci alias disceptatam ". Ergo &c.

Journal de Saint Amour 6 Part. Ch. 14.

3.° Doctores Augustiniani in Scripto *trium columnarum* supra

relato, professi sunt se in defensione secundae columnae perpetuo perseveraturos, nisi illa expresse damnaretur, nec Summus Pontifex, aut quisquam alius eos reprehendit; adeo certum erat doctrinam gratiae per se efficacis in illa columna contentam esse firmam & inconcussam.

4.° Innocentius X. id expresse declaravit Doctoribus Augustinianis sibi valedicentibus, ut testatus est Clarissimus Regis Orator in Epistola ad Comitem *De Brienne*, cuius verba supra retulimus.

5.° Idem post aliquot annos declaravit D.° *Du Bosquet* tunc Lodevensi Episcopo, qui id scripto testatus est.

6. Iesuitis nova Constitutione abutentibus ad oppugnandam gratiae ab intrinseco efficacis ad singulos pietatis actus necessitatem, Innocentius X. per Card. Barberinum eorum Generali praecepit, ut huiusmodi Bullae suae interpretationem in Societate impediret, quemadmodum supra narravimus.

7.° Annatus aliique Iesuitae multis in libris post Constitutiones scriptis, ultro confessi sunt quaestionem de auxiliis & gratia vi sua efficaci integram remansisse; quod certe nunquam concessissent, nisi extra omnem dubitationis aleam id positum fuisset. En Annati verba in *Cavillis Iansenianorum:* „ Id in quo convenimus cum Thomistis, sancivit Pontifex; id in quo dissidemus, disputationi nostrae reliquit. Sed est, inquis, necessaria consequentia a positione illorum principiorum ad negationem gratiae praedeterminantis. Respondeo, hoc ipsum inter nos disputari, an scilicet necessaria sit illa consequentia; nobis videtur necessaria, illis non videtur. Utri melius sentiant, nondum definitum est. Vicerint illi, qui suam sententiam melius probaverint meliusque defenderint. Atque hoc est, Pontificem attingere noluisse controversiam inter nos & Thomistas disputatam de gratia per seipsam efficaci". Ita P. Annatus qui Romae quinque propositionum caussae interfuerat.

8. Ea doctrina in quinque propositionibus damnata dici non potest, quam post earum damnationem innumeri Theologi maximi nominis libere & aperte docuerunt, ipsique Summi Pontifices commendaverunt: atqui gratiae per se efficacis doctrina a Thomistarum celeberrima Schola, a praecipuis Religiosorum Ordinibus, ab innumeris Theologis, libere & palam, nemine contradicente, tam Romae

quae alibi defensa est & defenditur. Immo SS. Pontificum commendationem meruit, Alexandri VII., qui in Brevi ad Lovanienses, eam appellat *tutissima & inconcussa dogmata*; & Benedicti XIII. qui in Brevi ad Dominicanos & in Bulla ad eosdem quae incipit *Pretiosus*, dicit illam *ex SS. Doctoribus Augustino & Thoma haustam, ac verbo Dei Summorumque Pontificum & Conciliorum decretis & Patrum dictis consonam esse*.

Audiendi ergo non sunt, qui dicunt, doctrinam a Iansenio traditam, esse doctrinam gratiae per se efficacis: doctrinam vero Iansenii damnatam esse; nam, quidquid sit de sensu Iansenii, certum est, & a SS. Pontificibus saepissime declaratum, doctrinam gratiae per se efficacis damnatam dici non posse. Videte *chimeram Iansenismi* Cap. 7.

III. *Quinque propositiones damnatae sunt in sensu Calvinianae gratiae necessitantis.*

Eo in sensu damnatae sunt quinque propositiones, in quo eas damnari postularunt Galliae Praesules, & reipsa damnatas esse consenserunt SS. Pontifices, omnesque Theologi initio disputationum: atqui hic sensus est gratiae necessitantis in Calvino iam damnatae.

1.° Quidam Galliae Praesules hunc sensum damnari postularunt. Nam 85. Episcopi sic loquebantur in Epistola ad Innocentium XI. *Tales motus sedari oportebat tum Concilii Tridentini auctoritate, tum Bullae illius qua Urbanus VIII. adversus Iansenii dogmata pronunciavit &c.* Cur vero illos motus Concilii Tridentini auctoritate sedari oportebat, nisi quia error damnandus in quinque propositionibus, a Tridentinis Patribus damnatus iam fuerat? In quibus autem, nisi Luthero & Calvino? Et quo in sensu nisi quem illi tenebant, id est gratiae necessitantis? Data etiam Bulla, iidem Episcopi non aliam doctrinam damnatam intellexerunt, quam quae in Tridentina Synodo damnata fuerat, ut constat ex relatione deliberationum a D. *De Marca* adornata pag. 9. „ On n' eut point de „ peine a reconoitre que la decision du Pape confirmoit l' ancienne „ foi de l' Eglise, enseignée par les Conciles & par les Peres, & „ renouvellée dans le Concile de Trente ". Et in litteris ad Innocentium X. 28. Martii 1654.: „ Beatitudo Vestra, inquiunt, li„ quido explicuit atque confirmavit regulam fidei de gratia & libe-

„ ro arbitrio, quam superiore saeculo Tridentinum sollicite atque „ diligenter enucleatam definiverat ".

2.° Innocentius X. in sua Constitutione, primam e quinque propositionibus, ex qua fatentibus adversariis caeterae derivantur, damnavit, velut *iam anathemate damnatam*, in Concilio nimirum Tridentino. Proinde in sensu Calviniano.

Postea data Constitutione declaravit Doctoribus Augustinianis, ideo se damnasse quinque propositiones, quia ipsis annuentibus, sensum habebant Calvinianum; ut diserte referunt non solum praedicti Doctores in Epistola quam statim miserunt ad Episcopos quorum nomine agebant; sed etiam Orator Regis Christianissimi in Epistola ad Comitem *De Brienne* data 16. Iunii 1653. cuius autographum habuisse se testatur P. Amelotte in suo tractatu *De subscriptionibus*. „ Sancti Augustini & Sancti Thomae doctrinam, inquit, nec non efficacis gratiae dogma decreto suo minime damnari confirmavit (Sua Sanctitas); omnesque controversias eodem loco relictas dixit, quo sub Clemente VIII. & Paulo V. relictae fuerunt: sed cum ipsimet Doctores declarassent de propositionibus vel Calvinistice, vel Pelagiane, vel Catholice sentiri posse, erroneas ac temerarias ideo iudicari debuisse, cum certo sensu haereticae essent ". Manifestum est Summum Pontificem his verbis allusisse ad Scriptum *trium columnarum*, in quo Doctores Augustiniani circa singulas propositiones tres sensus distinxerant; unum Calvinianum, a quo abhorrebant; alterum Pelagianum, quem suis adversariis attribuebant; tertium Catholicum, quem semper propugnaturos se, nisi aliter definiretur, profitebantur. Ergo ipsomet teste Innocentio X. quinque propositiones damnatae sunt, quatenus, fatentibus Augustinianis, haereticae erant, adeoque in sensu Calviniano in prima columna contento.

Journal de Saint' Amour 6. Part. Ch. 27.
Le Bailly de Valencey.
Cap. 8. pag. 44.

3.° Initio disputationum una omnium hac de re sententia erat. Hallerius in omnibus Scriptis Congregationi oblatis, non alium, quam Calvini, errorem persequi se declaravit, ut patet ex primo Scripto, cuius verba postea referam; ex secundo, ubi sic loquebatur, *primam propositionem Iansenistae cum Calvino communem habent*; in 3.° quem memorat Sanct-Amorius, & in ultimo, quo Dominicanos in suas partes trahere nitebatur: „ Quo ad gratiam efficacem, inquit, hoc quaeritur, utrum necessitet absolute & antecedenter voluntatem; quod certe utrique (Thomistae & Iesuitae)

Journal de Saint' Amour 5. Part. Ch. 8.
Ibid. Ch. 5.
Ibid. Part. 6. Ch. 11.
Ibid. Ch. 15.

„ negant, & soli adstruunt Iansenistae. Non agitur etiam de modo conciliandi gratiam cum libertate, sed de libertate ipsa quae „ per necessitatem antecedentem destruitur “. Quis autem credat quinque propositiones alio in sensu fuisse damnatas, quam in quo velut haereticae delatae erant? P. Annatus, qui non mediocres hoc in negotio partes habuit, semper agnovit, gratiam tantum necessitantem & Calvinianam damnatam fuisse; ut videre est in *Cavillis Iansenianorum*, in *Iansenio a Thomistis damnato*, & in *Responsione ad litteras provinciales*, ubi duplicem modum distinguit, qua gratia per se efficax defendi potest, unum Calvinianum, iuxta quem sublata potentia agendi & non agendi, sola in homine remanet libertas a coactione; alterum catholicum, quo simul admittitur in homine potestas ad oppositum; dicitque solum priorem modum a SS. Pontificibus damnatum fuisse. In lib. *De incoacta libertate*, necessitatem agendi in Iansenio perinde ac Calvino damnatam, absolutam esse contendit his verbis: „ Quem invenient Ianseniani inter Thomistas, qui contendat ita necessarium assensum, quem voluntas „ praebet motioni gratiae quamdiu illa inhaeret, quomodo necessarius est amor beatificus, quamdiu durat visio . . . . Quem dabunt, qui distinctionem sensus compositi ac divisi sic interpretantur, ut sensus sit, voluntatem a Deo motam posse dissentire quando illa abierit, & advenerit alia “? Demum in *Informatione de quinque propositionibus*: „ Indifferentia, inquit, quam omnes requirunt ad liberum arbitrium, activa est ad agendum vel non „ agendum. Haec (quam Iansenio attribuit damnatamque contendit) passiva est ad recipienda haec vel illa vincula “. Porro hunc Calvini errorem esse nemo nescit. P. Fabri Iesuita sub nomine Bernardi Stubrockii in apologia doctrinae Moralis Societatis adversus Paulum Irenaeum Tom. I. Editionis Coloniae pag. 559. 560. 561. 563. Calvinianum dogma gratiamque antecedenter necessitantem Iansenio Iansenianisque affingit, & in eo reponit virus quinque propositionum. P. Theophilus Raynaldus Iesuita in libello *De immunitate Cyriacorum* Iansenium appellat *Calvinum personatum*, *Calvinum infulatum*; Et in αὐτοῖς ἴσα, exposita prima propositione ad Calvini sensum, addit: *aeque nigri & aversandi videri debent articuli reliqui, recens quidem in Iansenio improbati, sed pridem damnati in Calvino*. P. *Le Poré* Oratorii Presbyter in libro cui titulus: *Sensus Sancti Augustini circa Gratiam Iansenii sensibus*

Pag. 27. Pag. 413. edit. Leodiensis.

Pag. 226.

Pag. 42.

sensibus oppositi, 1. Part Cap. 53. „ Merito, inquit, D. de Saint- 2. Edit. p. 224.
„ Amour phantasticos Iansenistas eos appellat qui gratiam necessitantem reiiciunt, fatenturque voluntatem conservare activam potentiam resistendi gratiae sibi praesenti. Certissime enim nemo ita sentiens verus Iansenianus fuit ". In toto illo Cap. contendit, voluntatem, iuxta Iansenium, gratia motam a sola coactione immunem esse, subditamque non solum necessitati consequenti, sed etiam verae & absolutae, omnem agendi vel non agendi indifferentiam excludenti. P. *Daniel* Iesuita, in Tract. *De efficacia gratiae*, pas- Pag. 42. 44. 45. 49. 50 & 71.
sim dicit eam tantummodo gratiam, quae voluntatem necessitat, nec relinquit dissentiendi potentiam, damnatam fuisse in Iansenio, quem Calvino semper adiungit.

D. Dumas in historia quinque propositionum lib. 2. sic loqui- Pag. 134 al. 172.
tur: „ Nedum Anti-Ianseniani sensum Iansenii in dogmate Calviniano de necessitate agendi collocare distulissent, nullus adversus ipsum scripserat qui hoc principio non niteretur ". Idem auctor in elucidatione 1.ª ad calcem historiae docet *Gratiam necessitantem*, Pag. 39.
& literalem quinque propositionum sensum, esse unum quid & idem, erroremque illorum collocat *in dogmate Calviniano, quo omnes nostri actus subiiciuntur invincibili & absolutae necessitati, vel bene agendi praesente gratia efficaci, vel male agendi illa absente*. Idem repetit in elucidatione 4.ª additque Iansenium & Ianseniа- Pag. 90.
nos indifferentiam nisi passivam non admittere, & remota tantum Pag. 92.
necessitate naturali & immutabili subiicere voluntatem necessitati absolutae & invincibili sub gratiae & concupiscentiae imperio.

Hinc quicumque Iansenium illis temporibus defenderunt, hunc errorem tantummodo ipsi abiudicandum habuerunt, ut Paulus Irenaeus in *Disquisitionibus*, Dionysius Raymondus in *elucidatione cir-* D. Nicole. D. Girard.
ca factum Iansenii, & alii.

Alterum argumentum. Vel damnata est in quinque propositionibus doctrina gratiae necessitantis, vel doctrina gratiae per seipsam efficacis: nihil medium est. Nam omnis gratia per se efficax, sive dicatur praedeterminatio physica, sive delectatio absolute victrix, vel coniungitur cum absoluta necessitate agendi & impotentia physica non agendi, vel non: si primum, doctrina est Calvini haeretica & merito proscripta: si alterum, dogma catholicum est gratiae per se efficacis. Atqui negare non possunt adversarii, si bona fide agere velint, doctrinam gratiae per se efficacis dam-

natam non esse. Restat ergo ut sola doctrina gratiae necessitantis, iam in Calvino proscripta, iterum proscripta fuerit.

Tertium argumentum. Quinque propositiones damnatae sunt, ut diximus, in sensu obvio verborum; atqui sensus earum obvius Calvinianus est. 1.° In iustis indefinite conantibus & volentibus, admittit veram impossibilitatem observandi mandata: 2.° negat ullam esse gratiam cui resistatur: 3.° voluntatem hominis lapsi subiicit necessitati, solam coactionem excludenti: 4.° nullam dissentiendi potentiam in homine gratia praevento agnoscit: 5.° iuxta Constitutionis commentarium mortis Christi beneficium ad electos solos restringit. Quae sane dogmata sunt manifeste Calviniana. Ergo &c.

Opponunt 1.° Iansenius, in cuius sensu damnatae sunt quinque propositiones, horrendum Calvini dogma nusquam tradidit. 2.° Propositiones damnatae non sunt in eo sensu, qui a nemine defendebatur; alias frustranea & illusoria futura fuisset definitio. Porro sensum illum Calvinianum nemo catholicorum defendebat. Ergo &c.

Respondeo, quisquis reipsa fuerit sensus Iansenii, ipsius accusatores Summosque Pontifices ei attribuisse Calvini errorem, non illum quidem crassum, quo is omnia opera hominum, etiam iustorum, polluta & immunda esse censuit, sed eum quo absolutam bene aut male agendi necessitatem praesente vel absente gratia admisit.

Ad 2.^{um} respondeo, quamvis nemo tunc defenderet sensum Calvinianum contentum in quinque propositionibus, Summis tamen Pontificibus suggestum fuisse, multos esse in Gallia illius pravi sensus defensores, ut refertur in Diario Sanct-Amorii. Hinc cum Doctores Augustiniani doctrinam suam exposuissent, in Scripto trium columnarum, Card. Rappacioli illis dixit, doctrinam illorum catholicam esse, sed ipsorum caussae illos plurimum nocere qui in Gallia easdem propositiones damnato ab ipsis sensu tuebantur. Praeterea, ut Innocentius X. damnare potuerit quinque propositiones, non est necesse, ut certo crediderit eas reipsa teneri, sed sufficit quod ad ipsum ab 85. Episcopis delatae fuissent, quod ab aliquibus assertae dicerentur, quod ex omnium consensu in certo sensu haereticae essent. His enim positis, tutiorem partem eligendam censuit; hincque Doctoribus Augustinianis Roma abituris dixit, teste Regis Oratore in laudata Epistola ad Comitem *De Brienne*, propositiones „ erroneas ac temerarias iudicari debuisse, cum certo sensu hae-

Journal de Saint Amour 5. & 6. Parties.
Ibid. pag. 537.

„ reticae essent. Omnis enim propositio, aiebat, in qua latere po-
„ test venenum, populis instillari non debet ".

Opponunt 2.° nonnulli, necessitatem a Calvino admissam non esse necessitatem absolutam, sed tantum consequentem: adeoque, etiam si quinque propositiones damnatae fuissent in sensu Calvini, non idcirco damnatas esse in sensu gratiae & concupiscentiae absolute necessitantium.

Respondeo quidquid revera sit de Calvini mente quam alibi expendimus, omnes Theologos supposuisse, eum reipsa illo in luto haesisse, hocque solo nomine illum destructae libertatis insimulasse; quod ad figendum haereticum quinque propositionum sensum satis est. Videte supra.

IV. Doctrina delectationis relative victricis damnata non est in quinque propositionibus.

D. *Tournely* in tractatu de Gratia Tom. 1. fuse probare nititur doctrinam Iansenii damnatam in quinque propositionibus, eam esse, qua gratiae efficacia ponitur in delectatione relative victrici; ex hoc quippe principio errores quinque propositionum velut ex fonte rivulos fluere. Nimirum, ait, tribus modis doceri potest gratia per se efficax: 1.° more Thomistarum, qui dicunt eam esse motionem Dei physice praedeterminantem, vique sua omnipotente applicantem voluntatem ad agendum, admissa insuper alia gratia vere sufficiente, veramque completam, expeditam, & relativam potentiam conferente, actum tamen ipsum non dante. 2.° Sicut propugnatur ab aliquibus Theologis, qui efficaciam gratiae ponunt in delectatione absolute victrici, hoc est quae propria & interna virtute voluntatem quomodocumque dispositam, & qualibet tentatione aut concupiscentia pulsatam, determinet ad bene agendum; admissa pariter in homine illa carente, per gratiam sufficientem, vera, proxima, & relativa potentia, tametsi ab actu semper seiuncta, superandi cupiditatem vel tentationem oppositam. 3.° Sicut asseritur a Iansenio, qui admissa duplici delectatione, una caelesti, quae gratia est, ad bonum, altera terrena, quae cupiditas est, ad malum impellente, docet eam, quae gradibus superior est, alteram gradibus inferiorem suopte pondere superare, ideoque relative victricem appellat. „ Summa igitur, inquit, doctrinae Iansenii haec est. Pag. 474.
„ Voluntatem hominis infirmam, & per peccatum multum de-

„ pressam, nonnisi victrice quadam ac dominante indeliberata dele-
„ ctatione, seu caelesti seu terrena, ad bonum vel ad malum in-
„ flecti ac determinari posse. Delectationem hanc unicum esse pon-
„ dus, quo iam ad agendum necessario applicatur, iuxta istud quod
„ centies obtrudit S. Augustini effatum, *secundum id operemur ne-*
„ *cesse est quod amplius nos delectat:* ita ut impossibile sit maio-
„ rem delectationem vinci a minore. Quomodo si in bilance duo
„ fuerint pondera inaequalia, necesse omnino est eam bilancis par-
„ tem deprimi ac inclinari, in qua maius est pondus: nec unquam
„ fit, immo nec fieri potest, ut maius a minori trahatur, cum nul-
„ la sit inter illa duo proportio. Tota scilicet vis delectationis,
„ in mente Iansenii, relativa est, id est per comparationem ad op-
„ positas sibi vires. Si maior fuerit vis gratiae quam concupiscen-
„ tiae, necesse erit voluntatem bene operari; e contrario male, si vi-
„ ribus praevaluerit concupiscentia. Maior est enim resistentia con-
„ cupiscentiae, quam virtus gratiae parvae, ait unus ex praecipuis
„ Iansenii Patronis ".

Inter hanc Iansenii doctrinam, & doctrinam Thomistarum, vel Theologorum delectationem absolute victricem admittentium, hoc praecipue discrimen esse contendit, quod praemotio physica & delectatio absolute victrix pertineat tantum ad actum secundum id est ad actionem ipsam creaturae, non autem ad actum primum, hoc est ad potentiam agendi; contra vero delectatio relativa pertineat ad actum primum, agendique potentiam, prius infirmam, ad bene agendum expeditam faciat. Quo fit, ut etiam absente praemotione physica vel delectatione absolute victrici voluntas per gratiam Thomistice sufficientem libera sit & expedita ad bonum; satisque virium habeat, ut superare possit oppositam cupiditatem, quantumvis intensam, licet eam actu & de facto non superet. Contra vero absente delectatione gratiae relative victrici voluntas, tametsi per naturam vel per gratiam parvam habeat absolutam bene agendi potentiam, non tamen habeat expeditam & relativam, seu cui satis virium insit ad vincendam oppositam delectationem gradibus superiorem.

Hoc autem admisso, pergit D. Tournely, sponte sequitur error quinque propositionum, qui, si ei credamus, in eo consistit, quod in iustis, quando delectatione illa destituti peccant, vel ea praeventi bonum operantur, non agnoscatur potentia ad oppositum,

quae ſit expedita, relativa, & viribus proportionata: dogma vero huic errori oppoſitum & per Conſtitutiones Apoſtolicas definitum, in hoc poſitum eſt, ut in iuſtis, cum peccant vel bonum faciunt, agnoſcatur potentia expedita & relativa, hoc eſt viribus aequalibus inſtructa, non peccandi aut a bono abſtinendi.

Uno verbo voluntatis aequilibrium ab hoc Theologo ſtatuitur ut fidei catholicae dogma definitum a SS. Pontificibus; errorque ab eiſdem damnatus in hoc praeciſe ponitur, quod huiuſmodi aequilibrium non admittatur.

Atque in hoc ſecutus eſt veſtigia D. De Fenelon Archiepiſcopi Cameracenſis, quem etiam ſecuti ſunt Emin. Biſſius Meldenſis Epiſcopus, D. Languet Sueſſionenſis, & alii.

In hoc recenti ſyſtemate obſervanda eſt inprimis Anti-Ianſenianorum deſultoria ſibique repugnans agendi ratio. Superiore ſaeculo enixe poſtulatum eſt a SS. Pontificibus & a Conventibus Cleri Gallicani, ut remota omni ambiguitate aperte declararent, quis ſit ſenſus Ianſenii in Conſtitutionibus damnatus, nec obtineri umquam potuit. Nunc vero quod SS. Pontifices & Conventus Praeſules determinare aut noluerunt aut non potuerunt, privati Theologi determinare praeſumunt, damnantes hoc pacto illos, qui contrariam agendi rationem inierunt, & ab illis mutuo damnati ſunt. Nam ſi aſſignari poteſt ſenſus Ianſenii eiuſque defenſorum a Thomiſtico diſtinctus & haereticus, cur tot Conventuum Epiſcopi, illum non aſſignarunt, cum nulla facilior via ſuppeteret ad convincendum erroris patronos Ianſenii? Si non poteſt, cur nunc attentant privati, quod SS. Pontificibus & Epiſcopis coadunatis impoſſibile viſum eſt?

Praecipua iſtius ſyſtematis fundamenta evertam in decurſu huiuſce operis, demonſtrando libertatem hominis lapſi non eſſe in aequilibrio, nec viribus aequalibus ad utramque contradictionis partem inſtructam; efficaciam gratiae conſiſtere in delectatione relative victrici &c. Inpraeſentiarum demonſtrare ſatis eſt doctrinam delectationis relativae damnatam non eſſe in quinque propoſitionibus.

Porro multa hoc evincunt. 1.° Quinque propoſitiones damnatae ſunt in Calviniano ſenſu gratiae neceſſitantis. Atqui doctrina gratiae relative victricis toto caelo differt ab errore gratiae neceſſitantis. Siquidem gratia neceſſitans, ſi daretur, omnino tolleret potentiam ad oppoſitum: delectatio vero relative victrix non tollit. Nec dicas, potentiam ad oppoſitum quae remanet ſub delectatione

relative victrici, non esse relativam. Nam hac voce nova & inusitata vel intelligis potentiam realem resistendi delectationi dominanti & viribus superiori, vel potentiam aequilibrem, quae habeat vires aequales ad consentiendum vel resistendum delectationi: si primum, certe remanet cum delectatione vehementissima, quia nulla est adeo vehemens, cui voluntas non possit dissentire, quamvis nunquam actu dissentiat ei, quae superior supponitur: si secundum, equidem potentia aequilibrii non stat in doctrina delectationum relative victricium: at nedum illam admittere necesse sit, immo reiicienda sit tanquam error perniciosus & totius Molinismi ac Pelagianismi basis.

2.° Quinque propositiones damnatae sunt in seipsis, in sensu proprio & obvio verborum, ut paulo ante ostensum est. Atqui in seipsis acceptae nullo modo exhibent doctrinam delectationis relative victricis, cuius ne vestigium quidem in illis continetur. Quo iure igitur privati Theologi Apostolicas Constitutiones ad hunc sensum suopte arbitrio determinant, privatasque quorumdam opiniones, melius dicam, errores manifestos in fidei dogmata erigunt? Sane si doctrinam illam damnare SS. Pontifices voluerunt, cur, omissis sexcentis Iansenii textibus, in quibus illa disertissime traditur, alias propositiones anathemate perculerunt, quae cum illa nullam habent connexionem, aut certe adeo remotam & obscuram, ut omnes ante Illustrissimum De Fenelon effugerit?

3.° Certum est, & fatentur Theologi, quibuscum nunc rem habemus, gratiam praedeterminantem & delectationem absolute victricem damnatam non fuisse in quinque propositionibus. Ergo nec delectatio relative victrix. Quam enim ob caussam illis intactis haec proscripta esset? An quia absente delectatione relative victrici voluntas non haberet omnia ad agendum requisita? Verum in illis systematibus idem dicendum est; qui enim gratiam praedeterminantem aut delectationem absolute victricem non habet, caret auxilio absolute necessario, sine quo fieri non potest, ut bene agat. An quia delectatio relative victrix se tenet ex parte potentiae; gratia vero praedeterminans & delectatio absolute victrix ex parte ipsius actus? At praeterquam quod puerile est errorem damnatum ad Scholasticas quaestiones velle reducere, certe inter defensores delectationis relative victricis, nonnulli sentiunt eam se tenere tantum ex parte actus; inter Thomistas vero non pauci defenderunt gratiam praedeterminan-

tem se tenere ex parte potentiae eiusque complementum esse. Nam quod attinet delectationem absolute victricem, manifestum est idem de illa dici debere, ac de relativa: utraque ab actione distinguitur; utraque illam praecedit; utraque vires voluntati praebet; proinde aut utraque se tenet ex parte potentiae, aut neutra. Sed, inquies, in illis systematibus, agnoscitur gratia sufficiens, quae voluntati tribuat potentiam expeditam, relativam, & bono cuilibet operando vincendaeque cuilibet concupiscentiae proportionatam: in systemate vero delectationis relativae, non admittitur huiusmodi gratia sufficiens. Iterum perges Scholasticas opiniones vocesque nuper inventas pro fidei articulis obtrudere. De fide est definitumque in Synodo Tridentina, & in Constitutione Innocentii X., iustos qui conantur & volunt servare mandata, habere veram potentiam illa observandi. Pariter de fide est, eos qui mandata observant, habere veram potentiam ea non observandi.

Utrumque negavit Calvinus; utrumque omnes catholici profitentur. Utrum autem illa potentia dicenda sit proxima, expedita, completa, relativa, quaestio est mere Scholastica, nusquam definita; immo contentio nominum potius quam rerum. Plerique Augustiniani non recusarunt uti vocabulo gratiae sufficientis Thomistice intellecto, immo potentiam, quam illa gratia tribuit, appellare aliquo sensu proximam, expeditam & expeditissimam, completam & completissimam, forsan etiam non abnuerent eam appellare relativam, modo hac voce non intelligeretur potentia aequilibrii, certumque & immotum foret praeter gratiam sufficientem requiri ad bene agendum aliam gratiam quae operetur ipsum velle & perficere: vice versa plures Thomistae nolunt, potentiam quae datur per gratiam sufficientem, completam appellare, contenduntque sola gratia praedeterminante mandata fieri possibilia *possibilitate cum effectu* coniuncta, ut loquitur S. Augustinus lib. de natura & grat. Cap. 42. Sed de his plenius ubi de gratia efficaci & sufficiente sermo redibit.

Et certe non est potior ratio, cur ex delectatione relative victrici sequatur necessitas relativa quae sit vera & proprie dicta necessitas libertati contraria, quam ex delectatione absolute victrici & ex motione physice praedeterminante sequatur necessitas absoluta quae sit vera necessitas. Cum ergo D. *Tournely* fateatur gratia absolute victrici non gigni absolutam necessitatem quae libertati noceat: fateri quoque debet ex gratia relative victrici non fluere rela-

tivam necessitatem, quae libertatem perimat. Aliunde gratia sufficiens Thomistarum effectum suum numquam sortiri potest: contra vero in doctrina delectationis relativae gratia excitans ex sese idonea est effectum consequi, ac reipsa consequeretur, si maior concupiscentia non obstaret; quodque inefficax sit, non ab ipsiusmet debilitate, sed a cupiditatis vehementia oritur. Ergo haec doctrina non minus catholica est, quam doctrina Thomistarum.

Hinc celebriores Thomistae huius doctrinae defensores pro fratribus semper habuerunt habentque etiamnum. Ut alios omittam, P. *Casalas* ut opere cui titulus *Candor Lilii*, quod nomine totius Ordinis Sancti Dominici adversus Theophili Raynaldi libellum edidit anno *1665.* dicebat, nescire se, quid ille contra Iansenianos de-
Pag. 135. clamando sibi vellet. Vel enim ab eo designari defensores quinque propositionum, hosque imaginarios esse ac fictos: vel defensores gratiae ex se efficacis, hosque a se, ut Thomistas, orthodoxos & catholicos agnosci. Videte Contensonium & P. *Serry* in *Augustino cum D. Thoma conciliato* Cap. 15. n. 3.

4.° S. Augustini discipuli doctrinam hanc delectationis relative victricis in omnibus suis Scriptis, tam Romae quam in Gallia, palam & aperte docuerunt, nemine obsistente, immo plerisque approbantibus. Nam nec eo nomine ab Hallerio aliisve accusati sunt; nec a SS. Pontificibus aut Cardinalibus reprehensi. Quin etiam Card. Chigius, qui Romanam Sedem postea tenuit sub nomine Alexandri VII., interrogatus num Sanct-Amorius aliique Doctores compellendi forent ad subscribendum Constitutioni recens latae contra quinque propositiones, respondit, „ moris non esse ut quisquam „ ad subscribendum damnationi aliquarum propositionum compella- „ tur, nisi qui illas defenderit, illos autem Doctores non defen- „ disse nec tenuisse quinque propositiones ". Adeo certum erat doctrinam gratiae relative victricis quam desendebant, damnatam non esse.

Journal de Saint-Amour 6. part. Chap. 25.

Neque etiam in Gallia damnata fuit. Cum enim Iansenii defensores ultro agnoscerent gratiam in delectatione relative victrici ab eo positam esse, numquam idcirco pro haereticis habiti sunt. Immo Conventus anni 1661. in Epistola ad Alexandrum VII. disertis verbis agnovit, sensum quem Iansenio attribuebant, catholicum esse: *solertes sibi videri volunt*, inquiebant Praesules, *omnia verba Iansenii ad aliquem SENSUM CATHOLICUM FUTILITER DETORQUENTES*. Hinc

Hinc anno *1663*. in collatione cum P. Ferrier, nemo compulit Augustinianos ad deferendam hanc doctrinam, quam tamen plenis Bullis tuebantur. Non P. Ferrier qui in eorum articulis nihil fidei contrarium reprehendit; non P. Annatus, non ipsemet Alexander VII. qui lectis iisdem articulis gratulatus est, quod ad saniorem mentem inducti essent.

Et sane talis per annos 50. disputationum status fuit, ut de iure quidem nulla esset contentio, omnibus in errorum a Sede Apostolica proscriptorum damnationem conspirantibus; totaque dimicatio ferveret circa factum, hoc est circa attributionem horum errorum Iansenii libro factam, ut expressis verbis agnoscit Auctor historiae quinque propositionum Tom. I. pag. 102. Atqui plane contrarius fuisset disputationum status, si sensus damnatus esset sensus delectationis relative victricis. Tunc namque circa factum nulla fuisset disceptatio, omnibus scilicet fatentibus, quod luce clarius est, universam Iansenii doctrinam huic veluti fundamento inniti; totusque certaminis impetus spectasset quaestionem iuris, utrum scilicet doctrina delectationis relativae reipsa haereticus sit. Igitur manifestum est, errorem damnatum in quinque propositionibus reponi non debere in delectatione relative victrici.

5.° Ea doctrina damnata non fuit in quinque propositionibus, quam post illarum damnationem Theologi catholici maximi nominis, sive Romae, sive alibi absque ulla censurae nota defenderunt: porro doctrinam delectationis relative victricis innumeris in libris propugnarunt & propugnant absque ulla censurae nota Theologi spectatissimi, Card. Norisius in *vindiciis Augustinianis*, Card. *Laurea* in Opusculo 3. de gratia Cap. 14., P. *Massoulié* Dominicanus, cuius opus, inscriptum *Divus Thomas sui interpres*, Innocentio XII. nuncupatum est, & cum eiusdem licentia editum, P. *Serry* in *Schola Thomistica vindicata*, Illustr. Bossuetus Meldensis in tract. posthumo de libero arbitrio Cap. 10. Hinc sic argumentor: doctrina damnata in quinque propositionibus ea est, quam universa Ecclesia unanimi consensu reprobat: atqui doctrina delectationis relative victricis, nedum unanimi consensu ab universa Ecclesia reprobetur, palam & libere defenditur in Ecclesia, videntibus & scientibus SS. Pontificibus. Ergo reponit D. Tournely, doctrinam P. *Massoulié* circa gratiam sufficientem plane consentire cum Ianseniana. Esto, ita sit. At certe non consentit erroribus damnatis; alias SS. Pontifices hunc

librum sibi nuncupari non permisissent. Enimvero vel Iansenius delectationem relativam adstruendo voluntatem absolutae & reali necessitati agendi subiecit, vel veram & realem potentiam ad oppositum cum ea stare credidit. Si primum, ab eo dissensit P. *Massoulié* a labe Iansenismi purgandus: si alterum, doctrina Iansenii orthodoxa est, meroque errore facti SS. Pontifices illum errasse putaverunt. Reponit iterum D. Tournely, „ movere non debere, „ quod dictum opus Romae sub oculis Summi Pontificis typis „ mandatum fuerit. Nonne, ait, liber Cardinalis Sfondrati Romae „ pariter editus fuit, & cum Summi Pontificis commendatione & „ Cardinalium plurimorum applausu? Non tamen Religioni duxere „ nonnulli Archiepiscopi & Episcopi Gallicani dictum librum velut „ plures errores continentem denunciare Summo Pontifici Innocen„ tio, in solemni Epistola scripta 7. calendas Martii an. *1697*.".

Tom. I. pag. 697.

Dolendum quidem est, librum Sfondrati, quo religio a fundamentis subruitur, approbatores Romae invenisse; magis dolendum, Clementem XI. dum Cardinalis esset, inter praecipuos infausti libri approbatores extitisse. Sed quid hoc libro P. *Massoulié* praeiudicat? Sfondrati opus, quamvis Romae approbatum, statim Illustrissimos orbis Praesules in se commovit, omniumque indignationem excivit; quis vero insurrexit contra opus P. *Massoulié?* quis denunciavit? quis, nisi forsan mussitando, Iansenismi accusavit? Attamen Sfondratum censurae notam Romae effugisse, magnum indicium est Iesuitas libri fautores ibi plurimum posse. Porro quanto magis possunt, tanto minus censuram effugisset P. *Massoulié*, si haeresim Iansenianam reipsa tradidisset.

6.° Quod in delectationis relativae doctrina nonnullos tantopere offendit, hoc est, quod excludat potentiam relativam ad oppositum: potentiae autem relativae nomine, intelligunt potentiam aequilibrem, aequalibus viribus ad utrumque oppositorum instructam, & quantum ad malum, tantum valentem ad bonum, ac vice versa. „ Ut conferatur ", ait D. Tournely, „ potentia relative expedita „ ad bonum, debent saltem aequiparari vires voluntatis cum impe„ dimentis ex adverso retardantibus". Porro certissimum est huiusmodi potentiam relativam, nedum Constitutionibus Apostolicis definita fuerit, erroneam esse, Molinismi atque Pelagianismi fundamentum, multorumque & gravissimorum errorum radicem, ut solide demonstrarunt Episcopi Monspeliensis, Mirapicensis, Boloniensis &

Ibid. pag. 648

Senecensis in egregio Memoriali edito anno 1719. ad vindicandam appellationem ad oecumenicum Concilium a se interiectam occasione Constitutionis *Unigenitus*. Inter articulos Romam missos a Cardinali Noallio, quos Benedicto XIII. acceptissimos fuisse constat, tametsi eos nullo Decreto confirmarit, quartus sic concipitur: „ Ut „ in statu naturae lapsae liberum hominis arbitrium peccare aut „ mereri censeatur, non requiritur aequalis ad bonum & malum „ facilitas, aut aequalis utrimque propensio, nec aequales in volun„ tate vires requiruntur “. Hos articulos, cum Episcopi Santonensis & Massiliensis impugnassent, Clerus & Parochi Parisienses strenue defenderunt, mandatumque Santonensis, velut sanae doctrinae adversum, Card. Noallio denunciarunt. Eosdem fortiter tuiti sunt multi docti Galliae Praesules, inprimis Monspeliensis, Senecensis, Baiocensis, Castrensis, Apamiensis, Matisconensis, Altissiodorensis, antiquus Tornacensis, Trecensis, Blesensis, Ruthenensis, Engolismensis, Mont-Albanensis &c. Quam merito autem duodecim illos articulos, & quartum nominatim, tanquam certam Ecclesiae doctrinam defenderint, ex Scriptura, Conciliis, SS. Patribus, ratione & experientia invicte demonstrabitur postea. Sufficit inpraesentiarum ostendere, illam Constitutionibus adversus quinque propositiones latis damnatam non esse. Hoc autem modo allata abunde demonstrant.

De Saintes.
De Marseille.

De Montpellier.
De Senez.
De Bayeux.
De Castres.
De Pamiers.
De Macon.
D'Auxerre.
De Tournai.
De Troies.
De Blois
De Rhodes.
De Angoulesme
De Montauban.

Addo ad probationis cumulum, adversarios, contendendo doctrinam delectationis relativae esse doctrinam damnatam in quinque propositionibus, in multa sibi incommoda seipsos coniicere. Sequeretur enim 1.° omnes qui Iansenismum per 60. annos oppugnarunt, ut Hallerius, Annatus, Fabri, Theophilus Raynaldus, Le Pocq, Dumas, &c. ignorasse, quis sit error Iansenismi, siquidem illum in dogmate gratiae absolute necessitantis unanimi consensu collocarunt. 2.° Theologos Portu-Regienses inique & calumniose vexatos fuisse, tanquam voluntatem humanam absolutae necessitati bonum aut malum agendi subiicientes, quandoquidem ab hoc crimine eos liberat D. Tournely. 3.° Innocentium X. & Alexandrum VII., qui errorem Calvinianum Iansenio attribuerunt ex fide Hallerii & aliorum, errore facti fuisse deceptos. 4.° Eodem errore involutos fuisse plerosque Gallicanos Praesules, qui illud dogma in Iansenio persequi se professi sunt. 5.° Iniuste extortas fuisse subscriptiones formulae, sub illo praetextu, quod gratia necessitans Calviniana a Iansenio tradita esset, ostiumque innumeris periuriis apertum esse. 6.° Solos

Iansenii defensores germanum eius sensum pervidisse, quando illum a Calvini errore vindicarunt. 7.° Nullum aut certe levissimum & parum felix examen libri Iansenii habitum esse, siquidem illi errores ei attributi sunt, quos, adversariis nunc confitentibus, numquam docuit.

Quid adversus haec argumenta D. Tournely? Opponit erro- Ibid. pag. 176. rem Iansenii aut nullibi aut in hoc capite positum esse. „ In eo “, inquit, „ praecise positus est error Iansenii & Discipulorum eius, „ quod negent talem potentiam relativam; si vero in eo non consi- „ stat, rogo, assignent nobis delectationis superioris patroni, qui se „ a Iansenio tam alienos & remotos iactitant, in quo praecise po- „ situs ille sit “.

Proh! Virum liberalem ultro dantem, quod olim Iansenii defensores magni emissent. Cum enim prisci Anti-Ianseniani contenderent gratiam necessitantem, Calvini instar, a Iansenio traditam esse; gratiam cui resistatur nullam penitus agnitam; mortis Christi beneficium ad solos electos restrictum; hic novus athleta ultro fatetur illa errorum monstra, nedum Iansenio adscribi possint, ab illo potius confossa esse. Quid consequenter agere debuerat? res patet. Agnoscendum erat sensum Iansenii diversum esse ab eo, quem adversarii asseruerant, erroremque humanum circa illud factum SS. Pontificibus & Episcopis obrepsisse. Hoc aequitas, hoc religio, hoc sincerus veritatis amor postulabant. At (quae vis est anticipatarum opinionum) plane contrariam methodum secutus, sic processit. Ecclesia damnavit sensum Iansenii, fallique non potest, quando de librorum sensu iudicat: atqui Iansenius non docuit gratiam necessitantem; neque negavit iustos, dum peccant, habere potentiam absolutam non peccandi, aut, dum bonum agunt, habere potentiam absolutam peccandi & a bono abstinendi; sed negavit tantum, eos habere potentiam relativam seu aequilibrii; quocumque te vertas, nihil aliud in libro Iansenii invenies, in quo errorem ipsius reponas. Ergo error ab Ecclesia damnatus in hoc praecise consistit. Haec ille, non attendens quot incommoda ex hac praepostera ratiocinandi methodo nascantur. Nam si ita est, ergo plurimi docti & pii Theologi errores damnatos palam, Ecclesia tacente, immo approbante, docent. Ergo plures Episcopi, qui hanc aequilibrii potentiam velut errorem gravissimum execrantur, nedum ut fidei dogma venerentur, pro haereticis habendi sunt. Ergo quicumque

hactenus errorem quinque propositionum sensumque damnatum in Calviniano gratiae necessitantis dogmate unanimi consensu posuerunt, phantasma persecuti sunt. Ergo Ecclesia 60. annis ignoravit quid ipsamet in quinque popositionibus damnaverit. Ergo Summi Pontifices & Episcopi, qui ex relatione accusatorum arbitrati sunt Iansenium reipsa tenuisse ac docuisse errorem gratiae necessitantis, eius sensum minime assecuti sunt. Hoc circuitu eo demum redis, ut id evertas quod principii loco posueras. Idcirco enim errorem quinque propositionum collocas in doctrina delectationis relative victricis, quia in tua mente Ecclesia falli non potuit circa sensum Iansenii. Haec basis est, hoc fundamentum totius tui systematis. Quomodo non advertis, si sensus damnatus ille sit quem tibi fingis, SS. Pontifices Ecclesiamque reipsa errasse circa sensum Iansenii, cui certo certius gratiae necessitantis errorem attribuerunt? Rursus si Ecclesia falli non potest iudicando quis sit sensus librorum, sensus Iansenii non est quem dicis, siquidem alius, & quidem plane diversus per annos plusquam 50. quinque propositionibus attributus est. Sic in egregio illo ratiocinio principium conclusionem destruit, & conclusione principium subvertitur.

Quanto rectius hac methodo usus esset! Error quinque propositionum in eo positum non est, quod Summi Pontifices & Episcopi illarum damnatores non tantum libere propugnari permittunt, verum etiam ipsimet propugnant, sed in eo quod unanimi consensu velut haereticum reiicitur. Atqui multi Episcopi damnatores quinque propositionum, ipseque S. Pontifex Benedictus XIII., manifeste sentiunt voluntatem non habere vices relativas aut potentiam aequilibrem, hancque doctrinam palam defendi permittunt, contra vero dogma gratiae necessitantis omnium consensu tamquam haereticum reiicitur. Ergo haec doctrina, non illa, damnata est in quinque propositionibus.

Quid ergo, inquies, fiet de sensu Iansenii a SS. Pontificibus damnati; cum clarum sit a Iansenio gratiam absolute necessitantem reiectam esse? Respondeo, si ita sit, falsum ea de re suggestum esse SS. Pontificibus, atque in illa lite tandiu disceptata, vicisse, te iudice, Iprensis defensores, cecidisse accusatores.

Caeterum advertite, quaeso, quantum mutata sit rerum facies, inversusque pugnandi ordo. Per annos ferme 50. nulla circa ius disputatio fuit, omnibus videlicet consentientibus errorem gratiae ne-

cessitantis Calvinianae in quinque propositionibus proscriptum esse: tantum de facto disputabatur, utrum scilicet Iansenius hunc errorem tradidisset. Nunc vero cum novis adversariis de facto non disputatur, utrisque nimirum agnoscentibus potentiam tantum aequilibrii a Iansenio negatam fuisse; sed nova disputatio nascitur circa ius ipsum, utrum eiusmodi potentia aequilibrii ad fidem pertineat, an non; illi affirmant eam pertinere ad fidem, nos erroneam esse contendimus. In hoc desultorio certamine quis non videat qua ex parte victoria stet? Cum enim Iansenii defensores duo habeant probanda, unum contra veteres Anti-Iansenianos, nempe Iansenium non tenuisse errorem gratiae necessitantis Calvinianae; alterum contra novos Anti-Iansenianos, scilicet doctrinam gratiae per se efficacis in delectatione victrici positae catholicam esse, damnatamque dici non posse; primum, novis Anti-Iansenianis iudicibus, alterum, veteribus consentientibus, obtinent.

Advertite etiam, S. Augustini Discipulos in hoc diuturno conflictu semper sibi constitisse, quod germanum veritatis indicium est; illorum contra adversarios loco cedere novamque dimicandi rationem inire coactos esse, quae est certissima erroris nota. Sicut enim veritas pondere suo stat irruentesque impetus repellit semper immota, ita error levitate sua fluctuat, propriisque conatibus deficit & in adversa fertur invitus.

His generatim praemissis, nunc ad singulas propositiones veniendum est.

PRIMA PROPOSITIO.

Aliqua Dei praecepta hominibus iustis, volentibus, & conantibus secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia qua possibilia fiant.

AD detegendum errorem damnatum in hacce propositione, necessarium non est, ut diximus, ad Iansenii librum recurrere, sed in sensu obvio, quem verba prae se ferunt, sistendum & certis quibusdam indiciis explorandum quid damnet Ecclesia, quid non damnet.

Certum est 1.° hanc propositionem damnatam non fuisse in sensu a Thomistis asserto : quem Dominicani in collatione cum Hallerio expresserunt his verbis : „ Gratia de se efficax vere, realiter ac physice praemovens & praedeterminans immutabiliter, „ infallibiliter, insuperabiliter & indeclinabiliter, ita est necessaria „ ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & ad orationem, ut „ sine illa homo, etiam iustus, non possit adimplere Dei praecepta, „ etiamsi velit & conetur affectu & conatu imperfecto: quia deest „ illi gratia qua possit, sive qua fiant ipsi possibilia mandata, possi„ bilitate cum effectu, ut loquitur S. Augustinus lib. de natura & „ gratia Cap. 42. “.

Certum est 2.° ex iis, quae Augustinianis Doctoribus Roma digressuris dixit Innocentius X. damnatum non fuisse sensum quem illi in secunda columna velut catholicum defendebant. Sic vero habet illa columna : „ Aliqua Dei praecepta aliquibus iustis volenti„ bus, & conantibus invalide & imperfecte secundum praesentes „ quas habent vires, parvas scilicet & infirmas, seu auxilio efficaci „ ad plene volendum & operandum necessario destitutis impossibilia „ sunt proxime & complete, seu ab iis adimpleri proxime non „ possunt. Deest quoque illis gratia efficax, qua praecepta illis pro„ xime possibilia fiant, seu deest illis speciale illud auxilium, sine „ quo iustificatus, ut ait Concilium Tridentinum, in accepta iusti„ tia, id est in observatione mandatorum Dei perseverare non po„ test “. Haec propositio solis verbis differt a Thomistica modo exhibita, nec a quoquam Romae reprehensa est.

Certum est 3.° primam propositionem damnatam non fuisse in sensu primi e quinque articulis Augustinianorum, quorum doctrinam sanam esse ex SS. Pontificum, Episcoporum, & omnium Thomistarum consensu supra demonstratum est. Pag. 110. & seqq.

Certum est 4.° eam damnatam esse in sensu Calvini, idque manifestum est ex ipsismet verbis Constitutionis Innocentianae, quae declarat eam antea anathemate damnatam fuisse.

Porro Calvinus duo in regeneratis peccatorum genera distinguebat. Unum particulare, cum praeceptum aliquod particulare transgrediuntur; alterum generale, quo illos in omnibus suis operibus, alioqui bonis, propter concupiscentiae virus peccare asserebat. Hinc mandata Dei ipsismet iustis impossibilia esse dicebat duobus modis. 1.° Quia observatio cuiuslibet praecepti, quae peccato careat, cui-

libet iusto absolute impossibilis est, propter concupiscentiam, quae in renatis remanens omnes ipsorum actus contaminat: ita ut quantumcumque iusti conentur & velint, secundum praesentes huius vitae vires, in qua concupiscentia aliquatenus tantum fraenatur, numquam vero penitus extinguitur, omnia ipsorum opera sint de se peccata mortalia, desitque illis, quamdiu his in terris vivunt, gratia, quae, abolito peccati fomite, mandata, praesertim haec duo, *diliges Dominum ex toto corde tuo*, & *non concupisces*, ipsis possibilia reddat. 2.° Quia praecepta particularia, quae a iustis identidem praetermittuntur, sunt eis vere & proprie observatu impossibilia, licet conentur & velint secundum praesentes quas tunc habent vires, nimirum defectu gratiae, qua fiant absolute possibilia. Utraque haec impossibilitas mandatorum repugnat fidei catholicae, & in Tridentina Synodo merito damnata est. Haereticum est enim dicere iustos in omnibus suis operibus peccare; omnes eorum actus per concupiscentiam pollui & inquinari, tamque impossibile illis esse actum peccati expertem facere, quam concupiscentiam in seipsis penitus extirpare. Haereticum quoque est dicere, iustis, qui imperfecte conantur & volunt secundum praesentes vires quas habent, quando peccant contra aliqua praecepta particularia, illa mandata esse absolute seu proprie impossibilia, defectu gratiae efficacis, qua fiant absolute possibilia. Hoc, inquam, haereticum est duplicem ob caussam: 1.° quia quamvis iusti nondum perfecte conentur & velint, tamen si sincere conentur & petant, obtinent maiores vires, gratiamque efficacem qua mandata reipsa impleant: *omnis enim*, ait Christus, *qui petit*, *accipit*: nec subtrahitur iusto gratia actionis, nisi praecesserit socordia, vel superbia, aut propriarum virium praesumptio, aut orationis neglectus &c. 2.° quia etiam dum iusti ob conatuum debilitatem orationisque neglectum gratiâ bene agendi destituuntur, nihilominus habent veram, realem, & physicam potentiam non peccandi & mandata observandi, ut modo dicemus.

Cum igitur Calvini error in prima propositione damnatus fuerit, restat inquirendum, utrum ex ambobus illis Calvini erroribus SS. Pontifices proscripserint.

Si propositionis verba in rigore Theologico, sensuque obvio, quem iuxta logicae leges prae se ferunt, accipiamus, sicut Innocentius XII. ea accipi iussit in rescripto ad Episcopos Belgii anni *1694.*, clarum est illâ exprimi primum illum errorem Calvini de impossibilitate

bilitate absoluta mandatorum in hac vita. Cum enim in propositionibus dogmaticis voces indefinitae aequivaleant universalibus, sequitur in hac propositione quae tota dogmatica est, 1.° vocem indefinitam, *iustis*, intelligendam esse de omnibus iustis; 2.° has etiam voces, *conantibus & volentibus*, absolute prolatas, significare quosvis conatus & quaevis desideria, etiam intensissima; 3.° has voces, *secundum praesentes quas habent vires*, utpote ad certum tempus peculiaresque circumstantias non determinatas, significare illas vires quas iusti habent hac in vita; 4.° has demum voces, *praecepta sunt impossibilia*, & istas, *qua possibilia fiant*, veram & absolutam impossibilitatem significare.

Quamobrem ex toto contextu propositionis exsurgit hic sensus, qui est Calvini error primum relatus: *aliqua Dei praecepta iustis* omnibus quantumcumque *conantibus & volentibus secundum praesentes quas* in hac vita *habent vires*, *sunt* proprie & absolute *impossibilia: deest quoque illis*, quamdiu in terris vivunt, *gratia qua* proprie & absolute *possibilia fiant*. Hoc modo eam exposuerunt Doctores Augustiniani in Scripto trium columnarum, ab ipsis coram Summo Pontifice & universa Congregatione lecto & defenso. Non absimilis est sensus, quem eidem propositioni attribuit Theophilus Raynaldus Iesuita in libro cui titulus Αὐτὶς ἴεα: *Quid feralius*, inquit de Iansenio loquens, *quam Augustinum auctorem facere truculentae illius doctrinae*, *quod mandata Dei homini iusto quantumcumque conetur*, *& gratia quae ad manum est uti velit*, *sunt impossibilia*.

At, si praetermissis logicae regulis in recta ratione fundatis, verba primae propositionis restringere velis ad aliquos iustos in particularibus circumstantiis positos, in quibus praeceptum aliquod transgrediuntur, recurrit alter Calvini error de impossibilitate absoluta observandi aliqua mandata, quam iustos interdum pati affirmat. Qui sane error certissimis fidei principiis repugnat. Nam fide certum est, iustos gratia efficaci destitutos, nihilominus habere 1.° potentiam liberi arbitrii congenitam, ad bonum & malum flexibilem; 2.° potentiam maiorem, quam suppeditat fides; 3.° potentiam adhuc maiorem a gratia habituali subministratam; 4.° potentiam propinquiorem per gratiam actualem excitantem & Thomistico sensu sufficientem, quam quisquis pie vult & conatur, habere convincitur. Falsum est proinde & haereticum, huic iusto deesse gratiam, qua

mandata possibilia fiant; siquidem, quatenus iustus, habet gratiam habitualem, & quatenus conatur & vult, gratiam actualem excitantem, quibus mandata verissimo sensu fiunt possibilia.

Habetis iam quid in prima propositione damnatum fuerit; nam sive primum, sive alterum Calvini errorem sive utrumque simul proscribere voluerit S. Pontifex, certe damnare voluit errorem, quo mandata dicerentur impossibilia iustis volentibus & conantibus.

Igitur 1.° sensus damnatus non est, iustos per gratiam excitantem imperfecte volentes & conantes, non habere potentiam relative expeditam & aequilibrii (nam hae voces apud D. *Tournely* sunt unum & idem), ac deesse illis gratiam qua huiusmodi potentiam largiatur. Pariter dogma definitum non est iustos per gratiam sufficientem habere sufficientem potentiam dicto sensu relativam; seu quemadmodum loquitur idem Auctor pag. 521. & 524. „ Iustos „ illos ex gratia, non inferiores aut inaequales, sed pares vires ha- „ bere quibus possint vel mediate vel immediate suam actualem op- „ positam vincere concupiscentiam ac praeceptum adimplere". Iam quippe probavimus, doctrinam aequilibrii, in quo ille catholicum dogma reponit, non modo non pertinere ad fidem, sed etiam fidei, rationi, experientiae repugnare, damnarique a plurimis Episcopis Catholicis, ab omnibus Thomistis & doctissimis Theologis. 2.° Qui caret auxilio necessario, sine quo mandata servari non possunt, non habet vires omnes ad servanda mandata requisitas: atqui maxime catholicum est, doceturque ab omnibus Theologis, qui necessitatem gratiae per se efficacis tuentur, iustos etiam volentes & conantes, cum praeceptum aliquod transgrediuntur, carere auxilio absolute necessario, nimirum gratiae seipsa efficacis, sine quo nullum praeceptum impleri potest. Ergo valde catholicum est dicere, iustos huiusmodi non habere omnes vires requisitas ad servandum praeceptum. 3.° Qui catholico sensu dicuntur non posse, non habere possibilitatem cum effectu, nec potentiam completam, cui nihil desit; ii certe non habent vires aequales potentiamque aequilibrii: atqui iusti sola gratia Thomistice sufficienti instructi, catholico sensu dicuntur non posse, & carere aliqua possibilitate; ut loquuntur Dominicani: „ Sine gratia enim praedeterminante, inquiunt, homo etiam „ iustus non potest adimplere Dei praecepta, etiamsi velit & cone- „ tur affectu & conatu imperfecto; quia deest illi gratia qua possit,

„ sive qua fiant ipsi possibilia possibilitate cum effectu ". Catholice etiam dicuntur non habere potentiam completam, ut locuti sunt Augustiniani, sine cuiusquam reprehensione, in memorato Scripto trium columnarum. Demum catholico sensu „ & usitatissima Scripturis Patribusque locutione & Thomistis omnibus probata iusti dicuntur tentationi cui succubuerunt resistere non potuisse; quia nimirum huiusmodi potestatem non habuerunt, quae complecteretur omnia ad agendum necessaria " ut habetur in primo e quinque articulis ab omnibus, si gratiae versatilis defensores excipias, approbatis. Ergo valde catholicum est dicere iustos gratia efficaci destitutos, non habere vires aequales, potentiamque relativam & aequilibrii. 4.° Ex Constitutione, quae damnat tantum propositionem asserentem aliqua praecepta esse impossibilia iustis conantibus & volentibus, ac deesse illis gratiam, qua possibilia fiant, nihil prorsus definiendo circa gradum potentiae quae in iustis praeceptum aliquod non observantibus admitti debet; concludi, nisi temere, non potest, iustos, dum peccant, habere vires aequales ad implenda mandata, potentiamque in aequilibrio sitam. Atqui Innocentiana Constitutio damnat tantum propositionem asserentem iustis conantibus & volentibus mandata esse impossibilia, nec definit, quae & quanta potentia in illis admittenda sit, ut ex ipsiusmet verbis manifestum est. Ergo gratis ac de suo confingunt adversarii admittendas esse, ut fidei articulum, in iustis peccantibus, vi huius Constitutionis, vires aequales, potentiamque relativam & aequilibrii. Et sane quoties aliqua propositio damnatur ut haeretica, dogma definitum in illius contradictoria locari debet. Porro primae propositionis damnatae contradictoria haec est: „ Nulla Dei praecepta iustis volentibus & „ conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibi- „ lia, nec deest illis gratia qua possibilia fiant ". Ergo hoc tantummodo, non aliud quidpiam a SS. Pontificibus definitum est: utrum autem potentia, quae iustis peccantibus inest, sit absoluta, an relativa virium aequalium, an inaequalium, SS. Pontifices non definierunt, quia controversiam *de auxiliis*, ex qua ista necessario nexu religata pendet, intactam relinquere voluerunt. 5.° Prima propositio damnata non est in eo sensu, quem nemo accusabat erroris; atqui sensum illum, quem damnatum esse sibi fingit D. Tournely, nemo accusabat erroris: siquidem Hallerius, quo potissimum urgente propositiones damnatae sunt, solum Calvini errorem de absoluta

impossibilitate mandatorum Romae persecutus, ut constat ex Scripto quod Congregationi obtulit & in quo sic loquitur: „ Intenditur „ hac propositione, hominem in eo statu collocare, in quo si pec„ cat necessario peccet, quia defectu gratiae non peccare non po„ test; si vero bene agit, necessario bene agit, quia gratia illum „ ad agendum necessitat. Hoc etiam Calvinus dixit “. Ergo penitus extraneum fuit a Summi Pontificis mente damnare illum sensum, quem supponit D. Tournely.

Journal de Saint'Amour Ch. 9 a pag. 383.

2.° S. Pontifex noluit etiam definire, omnibus hominibus, aut saltem omnibus iustis, quoties aliquod praeceptum urget, gratiam actualem dari. Hoc evidens est ex contextu propositionis, in qua non agitur de omnibus hominibus, nec de omnibus iustis; sed tantum de iustis qui conantur & volunt: porro non omnes iusti conantur & volunt, quoties occurrit aliqua tentatio superanda aut praeceptum implendum, ut probatur ex peccatis ignorantiae vel incogitantiae.

Demum definitum non est dari gratiam sufficientem; nam ea vox varie accipitur a Molinianis & Thomistis: apud illos significat gratiam praeter quam nulla alia necessaria sit ad agendum; apud hos, gratiam quae potentiam agendi sic tribuit, ut alia, nimirum praedeterminans, requiratur ad reipsá agendum. Porro certum est SS. Pontifices non definivisse, dari gratiam Moliniano sensu sufficientem. Quod attinet ad Thomisticam, duo in ea secernenda sunt, nimirum gratia ipsa quae dicitur sufficiens, & nomen sufficientis. Dari gratiam illam, quae sufficiens appellatur a Thomistis, definiri videtur, cum dicitur iustis volentibus & conantibus non deesse gratiam qua mandata possibilia fiant: at nomen sufficientis, quod hîc gratiae a Scholasticis attributum est, neque Innocentii X. Constitutione, nec quavis alia sancitum est.

SECUNDA PROPOSITIO.

Interiori gratiae in ſtatu naturae lapſae numquam reſiſtitur .

SEnſus obvius huiuſce propoſitionis, quem ſolum damnatum eſſe declaravit Innocentius XII., in eo poſitus eſt, quod in ſtatu naturae lapſae nullam gratiam agnoſcat, cui reſiſtatur. Hoc autem haereticum eſt, 1.° quia ſaepe reſiſtitur gratiae habituali, quae tamen interior eſt; 2.° quia gratiae interius illuſtranti & excitantis reſiſtitur ratione effectus ultimi, ad quem ex natura ſua tendit & excitat voluntatem; 3.° quia certo quodam ſenſu reſiſtitur ipſimet gratiae efficaci, nimirum a concupiſcentia quae remanet in iuſtis, & ſpiritui rebellatur, quamquam haec reſiſtentia non hominis ſit, ſed carnis tantummodo.

Veritas catholica quae ex damnatione huius propoſitionis efflorefcit, haec eſt: *Interiori gratiae in ſtatu naturae lapſae aliquando reſiſtitur*, id eſt, praeter gratiam efficacem quae operatur velle & perficere, & a nullo duro corde reſpuitur eumque effectum ſemper producit ad quem voluntatem movet, agnoſcenda eſt alia gratia, quae effectum ad quem tendit, propter voluntatis reſiſtentiam non conſequatur. Nihil aliud aſſignari poteſt, quod vel damnatum a SS. Pontificibus, vel definitum dici queat.

Illum praeciſe ſenſum, quem dixi, damnari poſtulavit Hallerius in Scripto quod Congregationi obtulit. „ Senſus eſt, inquiebat, in ſtatu naturae lapſae nullam eſſe gratiam Chriſti actualem „ internam in voluntate reſidentem, cui voluntas humana de facto „ diſſentiat. Nota, pergebat ille, hîc non attingi doctrinam Sancti „ Auguſtini de gratia efficaci a ſe. Aliud eſt enim aſſerere S. Auguſtinum admiſiſſe aliquod genus gratiae quae infallibiliter effectum ſuum conſequitur, & a nullo duro corde reſpuitur, aliud „ aſſerere S. Auguſtinum nullam gratiam praeter efficacem admiſiſſe „ quae ſufficiens ſit. Primum catholicum eſt; ſecundo nonniſi a „ Calvino eiuſque ſequacibus fuit aſſertum... Non igitur hîc agitur „ de gratia ſufficiente verſatili ſtatuenda, quae modo effectum ſuum

„ habeat, modo non habeat: sed tantum in genere quaeritur, utrum „ verum sit, in statu naturae lapsae nullam dari gratiam quae ve- „ re sufficiens sit ". Ita Hallerius, ex cuius verbis patet eum hac in propositione nonnisi Calvini errorem persecutum fuisse; hocque definiri tantummodo voluisse, praeter gratiam seipsa efficacem aliam esse, cui voluntas de facto resistit. Quod vero gratiam hanc, cui resistitur, sufficientem appellat, Thomistice accipiendum esse monet, cum eam distinguit a versatili. Ceterum S. Pontifex non definivit gratiam, cui resistitur, sufficientem esse vel dici debere, sed tantum gratiam aliquam esse, cui resistitur.

Eumdem praecise errorem damnatum esse pronunciarunt 40. Praesules Parisiis congregati anno 1714. in Institutione Pastorali pro acceptatione Constitutionis, quae incipit *Unigenitus;* quamvis haec Institutio Molinismum passim redoleat. Sic nempe loquuntur: „ Apres vous avoir instruit qu'il est de foi qu'on peut resister a la „ grace interieure, il est necessaire de vous dire encore qu'il est „ egalement de foi qu'on y resiste quelque fois, c'est a dire qu'il y „ a des graces interieures avec les quelles on ne fait pas tout ce „ dont elles donnent le vrai pouvoir, & qu'elles n'ont pas tout „ l'effet pour le quel elles sont donneés ". Notate hanc vocem, *tout*, bis repetitam, qua innuitur has ipsas gratias semper producere aliquem effectum. Certe in hac Praesulum expositione nihil est quod non expresse contineatur in secundo e quinque articulis Augustinianorum.

Igitur 1.° sensus damnatus non est, gratiam aliquam esse, cui voluntas nunquam resistat. Certum quippe est apud Thomistas, ceterosque gratiae ex se efficacis patronos voluntatem creatam nunquam resistere gratiae efficaci. Hinc Dominicani in Collatione cum Hallerio, & Doctores Augustiniani in Scripto trium columnarum, hanc propositionem, intellectam de gratia efficaci, catholicam esse affirmarunt: quod etiam his verbis exprimitur in 2.° articulo Augustinianorum. „ Huic (efficaci gratiae) „ resisti quidem semper „ potest, ut Thomistae docent; at numquam ita resistitur, ut effe- „ ctu illa privetur, ad quem impellit voluntatem. Quod aliis ver- „ bis sic exprimunt, ut resisti posse dicant in sensu diviso, non „ autem in sensu composito ".

2.° Sensus damnatus non est, omnem gratiam interiorem actualem semper producere aliquem effectum. Nam haec doctrina

eſt omnium Thomiſtarum, qui dicunt gratiam ſufficientem ſpectari poſſe penes duplicem effectum, unum proximum, ad quem immediate tendit, & quem Deus voluntate abſoluta, ſeu conſequente intendit; alterum ulteriorem, ad quem ex ſeipſa refertur ac voluntatem excitat, & quem Deus voluntate, quam vocant antecedentem, intendit. Exempli cauſſa, effectus proximus & immediatus gratiae ad converſionem excitantis, ſunt pia deſideria converſionis: effectus ulterior & remotus eſt ipſamet converſio. Docent ergo Thomiſtae, gratiam ſufficientem non aſſequi quidem effectum remotum & perfectum, ad quem voluntatem excitat, & refertur ex ſeipſa & voluntate Dei antecedente, eique hoc ſenſu vere ac proprie reſiſti: „ Si „ tamen ſpectetur, ut cum abſoluta Dei voluntate coniuncta, merito hoc ſenſu efficacem dici poſſe; quia ſemper id in corde hominis operatur quod Deus abſoluta voluntate intendit. Certum „ eſt enim apud Thomiſtas, ut aiunt Auguſtiniani in ſecundo „ e quinque articulis, auxilium ſufficiens reſpectu unius actus, ſemper eſſe efficax reſpectu alterius, ad quem efficiendum decreto abſoluto divinae voluntatis deſtinatur; adeoque apud illos omnis „ gratia eſt efficax alicuius effectus, eius nimirum, ad quem proxime ordinatur, & quem Deus abſoluta voluntate intendit ". Superfluum eſt Thomiſtarum teſtimonia hic attexere; cum conſtet hos articulos a Thomiſtis approbatos ſemper fuiſſe.

3.° Senſus damnatus non eſt, ut contendit D. *Tournely*, „ Gratiam Chriſti eum omnem effectum ſemper conſequi, cuius eſt „ capax relative ad oppoſitam cupiditatem ", ſeu cui reipſa producendo vires omnes neceſſarias & proportionatas ſuppeditat. „ Ad „ removendum erroneum Ianſenii ſenſum, ait, non ſatis eſt, ſi tantum dixeris vel interiori gratiae aliquando reſiſti, vel gratiam „ ulteriori ſuo effectu ad quem natura ſua & voluntate Dei antecedente ordinatur aliquando fruſtrari, nec cum ipſo ſemper reciprocari, vel inefficacem interdum eſſe. Iſtos enim loquendi modos, quorum unus & idem ſenſus eſt, ultro ad mentem ſuam intellectos Ianſeniani amplectuntur; Arnaldus, D. Nicole in ſuo „ ſyſtemate, auctor Epiſtolae ad Epiſcopum anni *1661*. Paulus „ Irenaeus, Sambovius, auctor Scripti *In nomine Domini &c.* Iiſdem „ & ipſemet Ianſenius non infrequenter uſus eſt Lib. 2. de Gratia „ Chriſti Cap. 27. & Lib. 8. Cap. 2. Nihil etenim aliud his terminis ſignificatum volunt, niſi quod gratiae in ſeipſa vel abſolu-

Tract. de grat. Tom. I. p. 540.

Ibid. pag. 546.

„ te ſpectatae, facta circumſtantiarum ſubiecti praeciſione, reſiſtatur, quod ea victrix ſemper non ſit, nec eum aſſequatur effectum, ad quem ex natura ſua & antecedente Dei voluntate tendit, ordinatur, ac diſponit. Verum illud apud ipſos ratum ſemper ac firmum ſtat, gratiam relative ad oppoſitam cupiditatem, eum ſemper effectum a voluntate expromere, cuius eſt capax, habita ratione actualis oppoſitae cupiditatis: adeoque ei proprie ſub eo reſpectu, de quo uno quaeſtio movetur, non reſiſti; cum proprie & accurate loquendo non reſiſtatur gratiae ratione huius effectus, quem his in circumſtantiis habere non poteſt. Ut igitur, pergit praedictus auctor, nulla plane ſuperſit ſuſpicio erroris ſecundae propoſitionis, ſententia doctrinae Ianſenii plane contradictoria clare ac nitide ſtatuenda eſt, nempe quamlibet gratiam actualem interiorem voluntatis, non eum omnem ſemper effectum ſortiri, quem intendit Deus, ſpectatis ſubiecti circumſtantiis; & quem voluntati permittit operari gradus concurrentis actu delectationis terrenae “. Sic ille mera petitione principii nixus, ſcilicet id damnatum cenſeri debere, quod ab Auguſtinianis traditum fuerit, quaſi vero Theologorum catholicorum doctrinam calumniari, hoc ſit Conſtitutiones Pontificias exponere.

Errat certe toto caelo, ſenſuſque damnatus non ille eſt quem ſibi ad arbitrium fingit. Praeter momenta ſuperius allata, haec paucis accipite.

1.um Eſt, quod ſenſus ab illo confictus, non eſt ſenſus obvius ſecundae propoſitionis, neque in eius contextu fundatus.

2.° Senſus quem D. Tournely damnatum contendit, aperte con-
Ibid. pag. 541. tinetur, ipſo teſte, in Scripto trium columnarum, columna ſecunda, his verbis: „ Gratiae Chriſti ad ſingulos pietatis actus neceſſariae „ numquam reſiſtitur: Hoc eſt, numquam illa fruſtratur eo effectu „ ad quem a Deo proxime datur “. Atqui certo certius eſt ſenſum expreſſum in hac ſecunda columna damnatum non fuiſſe a S. Pontifice, quamvis Auguſtiniani palam declaraſſent ſe in eâdem ſententia ſemper perſeveraturos, niſi expreſſis verbis damnaretur. Ergo &c.

3.° Doctrina a Thomiſtis approbata & cum ipſorum principiis intime connexa, dici non poteſt damnata in ſecunda propoſitione. Atqui per gratiam excitantem ſive ſufficientem non dari potentiam relativam vireſque proportionatas tentationi ſuperandae, doctrina

eſt a Thomiſtis approbata, maxime ab illis qui docent gratiam efficacem ſe tenere ex parte actus primi ſeu potentiae, eſſe complementum potentiae, dare poſſibilitatem cum effectu: aliunde haec doctrina cum principiis Thomiſtarum intime connexa eſt. Nam apud omnes illos conſtat gratiam ſeipſa efficacem in hoc praeſenti naturae ſtatu neceſſariam eſſe, non ſolum titulo dependentiae ut in ſtatu innocentiae, ſed etiam titulo infirmitatis. Proinde antequam haec gratia detur, voluntas adhuc infirma eſt, & nondum habet vires proportionatas cupiditati ſuperandae, adeoque nec potentiam relativam.

Et ſane D. Tournely fatetur, potentiam illam relativam clare reiici in ſecundo articulo Auguſtinianorum; atqui hos articulos, tanquam orthodoxos & veriſſimos, omnes Thomiſtae approbant ac tuentur. Ergo doctrina quam ille damnatam aſſerit, ipſa eſt doctrina Thomiſtarum. Ibid pag. 41?. & 491.

4.° Error ſecundae propoſitionis, teſte Hallerio *ſupra* citato, eſt error Calvinianus: „ Secundum, inquit, nonniſi a Calvino „ eiuſque ſequacibus fuit aſſertum ". Atqui error Calvini in eo conſiſtit, quod impotentiam abſolutam, abſolutamque peccandi neceſſitatem admiſerit in homine deſtituto gratia ex ſe efficaci. Ergo in hoc poni debet error ſecundae propoſitionis, non autem in eo quod negetur, vires aequales, potentiamque relativam & aequilibrii, per gratiam ſufficientem conferri.

Opponit D. *Tournely*, omnes Ianſenianos, Arnaldum, Sambovium, Nicole &c. ipſummet Ianſenium agnoviſſe, gratiae interiori aliquando reſiſti, proinde aliud amplius confitendum eſſe ad removendam a ſe haereſis ſuſpicionem.

Reſpondeo portentum eſſe, Doctorem Sorbonicum tam abſurda ratiocinandi methodo candidatis illuſiſſe. Quid enim, non dicam audacius, ſed ſtultius concipi poteſt, quam principii loco ſupponere, non modo Ianſenium, ſed etiam Theologos toto orbe conſpicuos Arnaldum, Sambovium, Nicole &c. haereticos fuiſſe, immo haereſim ipſam, ita ut quidquid ſenſerint, hoc ipſo haereticum dici debeat, hoc eſt, non propter doctrinam haereticam homines, ſed propter homines, quos oderis, doctrinam catholicam perſequi? Ecquis umquam catholicus in tuto erit, ſi huiuſmodi calumniis locus detur. Illi auctores, inquis, fatentur per gratiam ſufficientem dari veram potentiam, ſed relativam & aequilibrem dari negant. Hoc fateor: ſed quandonam idcirco ab Eccleſia damnati ſunt? Quo

in tribunali haec doctrina proscripta est. Quis Summus Pontifex, quis Episcoporum coetus eam haereticam pronunciavit? Quo iure homo privatus damnare praesumit quod nullo authentico monumento damnatum ostendere potest?

Opponit 2. Gratiae interiori non resistitur nisi ratione effectus, quem habere potest in circumstantiis, in quibus datur: atqui gratia non potest habere effectum, ad quem non tribuit voluntati potentiam relativam & proportionatam. Ergo &c.

Distinguo Min. Non resistitur gratiae nisi ratione effectus quem habere potest vel in sensu composito vel in sensu diviso, concedo; in sensu composito, nego. Ut gratiae alicui resistatur, necesse non est, ut complectatur omnia necessaria ad producendum effectum; alioqui non resisteretur gratiae sufficienti Thomistarum, quae ex omnium consensu non continet omnia requisita ad agendum: sed sufficit, quod obsistente cupiditate seu mala voluntate illum effectum non assequatur, ad quem excitat voluntatem, & ad quem potentiam veram tribuit, quamvis nondum completam. Porro in systemate delectationis relativae, gratia parva non habet effectum ad quem excitat, sed potest eum habere, quatenus confert aliquem gradum potentiae, & haberet reipsa, nisi maior cupiditas obsisteret.

Instat. Pondus minus non potest trahere maius pondus: Ergo a pari gratia parva non potest vincere maiorem cupiditatem.

Dist. consequens; non potest vincere, hoc est fieri non potest, ut reipsa vincat, concedo: hoc est nullam potentiam tribuit, nego. Notandum est huiusmodi comparationes e corporibus petitas semper vitiosas esse, quando assumuntur ad exponendam libertatem arbitrii. Nam corpora, si quid agunt, caeca & naturali necessitate agunt: voluntas vero agit libere, ex amore & electione, & cum potentia non agendi. Equidem minor delectatio caelestis minores vires tribuit voluntati ad bonum, quam maior delectatio terrena ad malum, ideoque in concursu semper superatur; sed ita superatur, ut veram agendi potentiam retineat. Quae quidem potentia quamvis non habeat vires aequales oppositae delectationi dominanti, vires tamen suas adversus illam totam exserit. Nam vel illas exserit adversus totam delectationem oppositam, vel tantum adversus eius partem sibi adaequatam: atqui non eas exserit adversus partem delectationis, siquidem delectatio, utpote quid mere spirituale, non habet partes physicas a se mutuo distinctas, & qui in ea distinguun-

tur gradus, per ſolam mentis operationem diſtinguuntur. Ergo minor delectatio caeleſtis vires ſuas exſerit adverſus totam delectationem maiorem ſibi oppoſitam, quamvis, ſtante hypotheſi, ſatis virium non habeat ad eam de facto ſuperandam.

TERTIA PROPOSITIO.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturae lapſae non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.

Libertas duplex diſtinguitur, a coactione, quae ſpontaneitas etiam dicitur, & a neceſſitate. Illa eſt immunitas a violentia externa, qua quis reluctans, invitus, ac nolens ad agendum vel patiendum applicatur & cogitur: haec definitur potentia agendi vel non agendi, agendi hoc aut illud; opponiturque determinationi naturali, qua quis ita vult aliquid, ut non velle non poſſit, qualis eſt in nobis determinatio ad amandum bonum in communi, in Deo amor ſui ipſius, in Chriſto, Angelis, & Beatis amor Dei fruitive cogniti & poſſeſſi.

Hoc poſito, manifeſtum eſt quid in tertia propoſitione damnatum ſit, quid e contrario definitum. Error damnatus hic eſt, ad meritum aut demeritum in praeſenti naturae ſtatu non requiri, ut homo agendo poſſit non agere; ſed ſufficere ut exterius non cogatur ad agendum. Dogma vero definitum hoc eſt, non ſufficere hoc in ſtatu ad meritum vel demeritum, ut homo exterius non cogatur ad bene aut male agendum, ſed requiri, ut ſit expers intrinſecae neceſſitatis, poſſitque agere & non agere.

Utrumque conſtat 1.° ex ipſomet propoſitionis contextu, qui nihil aliud enunciat, ſi in ſe ſpectari debet. 2.° Quia, ut ſupra probatum eſt, propoſitiones damnatae ſunt in ſenſu Calvini; Calvinus autem cenſuit, hominem, qui peccat vel bonum agit, non habere potentiam ad oppoſitum; ipſoſmet indeliberatos e concupiſcentia motus, quos impedire in hominis poteſtate non eſt, vera eſſe & proprie dicta peccata, aeterna damnatione digna, mandata eſſe abſolute impoſſibilia; voluntatemque hominis a Deo motam & exci-

tatam non posse dissentire, sed vera necessitate ferri ad id ad quod movetur. 3.° Quia hunc dumtaxat errorem in tertia propositione persecutus est Hallerius in Scripto Congregationi oblato: „ Sensus „ hic est, inquiebat: ut actio quae meritoria vel demeritoria est, „ libera censeatur, non requiritur, ut fiat cum indifferentia, sed „ sufficit modo ut voluntarie & sine coactione fiat. Haec autem sen- „ tentia eadem est ac Calvini, qui numquam eo sensu negavit libe- „ rum arbitrium, quasi actiones nostrae voluntatis non essent vo- „ luntariae, sed eo sensu, quod negaret nobis inesse indifferentiam „ ad utrumlibet ".

Dices: Calvinus non agnovit meritum bonorum operum: ergo propositio damnata non est in sensu Calvini.

Nego consequentiam: voces enim meriti & demeriti sunt quid accidentale propositioni; neque in his positus est error, sed in eo quod, iuxta Calvini commentum, sola libertas a coactione naturae lapsae attribuatur.

Hinc sequitur 1.° sensum damnatum non esse, libertatem in genere prout Deo, Christo, Angelis, Beatis, viatoribus hominibus convenit, non differre a voluntario, nec excludere necessariam determinationem ad unum. Siquidem de illa sola specie libertatis agitur in propositione, quae in praesenti naturae lapsae statu ad merendum vel demerendum requiritur.

Sequitur 2.° sensum damnatum non esse, libertatem necessariam ad merendum vel demerendum non consistere in Moliniana indifferentia, quae necessitatem gratiae ex se efficacis ac praedeterminantis excludat; nec definitum esse, admitti debere in libertate huiusmodi indifferentiam. Nam SS. Pontifices saepe declararunt damnatione quinque propositionum neque doctrinam Molinae sancitam, neque doctrinam gratiae seipsae efficacis laesam fuisse.

Sequitur 3.° turpiter hallucinatum esse D. Tournely, cum contendit hanc tertiam propositionem damnatam esse in sensu Augustinianorum sive gratiae relative victricis. En ipsius verba pag. 566. „ Non alium in hac tertia propositione sensum Iansenius ex- „ pressit quam istum: omnem scilicet deliberatum voluntatis actum, „ tametsi necessarium, eo ipso liberum esse libertate ad merendum „ vel demerendum sufficiente, quod fiat per delectationem relative „ victricem seu caelestem seu terrenam, qua voluntas non invita „ quidem nec coacta, sed sponte ac consentiendo necessitate simplici

„ ad unum applicatur & determinatur ". Et pag. 600. „ Ut igi-
„ tur penitus excludatur error tertiae propositionis, & a viris suf-
„ pectae fidei omnis legitima Iansenismi suspicio amoveatur, non
„ satis est, si dixerint libertatem huius status necessariam ad meren-
„ dum vel demerendum excludere necessitatem, aut liberum idem
„ non esse ac voluntarium. Ista enim ore tenus fateri non recusant
„ vel apertissimi Iansenii defensores, qui confidenter affirmant ne-
„ cessitatis nomine omnem plane excludi potentiam ad oppositum,
„ totamque necessitatem cadere non posse in eas actiones, quae in
„ praesenti statu fiunt ex delectatione cui voluntas sponte obsequi-
„ tur ". Et pag. 602. „ Denique satis non est asserere voluntatem
„ sub motione superioris delectationis, non tantum in sensu diviso,
„ id est absente, sed etiam in sensu composito, id est praesente
„ illa motione, retinere potentiam proximam & expeditam ad op-
„ positum; dolus quippe est ac consueta fallacia: potentiam quippe
„ illam proximam & expeditam, non aliam volunt esse quam ab-
„ solutam & abstractam; non autem relativam & comparatam ad
„ praesentes Subiecti circumstantias seu dispositiones, sicut dictum
„ est saepius. Ad omnem igitur fraudem & aequivocationem fu-
„ giendam, necesse est nitide sensu contradictorio affirmare ad me-
„ rendum vel demerendum in statu naturae lapsae necessariam esse
„ libertatem, quae excludat illam voluntatis ad unum determinatio-
„ nem (quocumque tandem nomine eam appellaverint) quae a
„ delectationis relative superioris, ineluctabiliter praevenientis, & in-
„ vincibiliter flectentis virtute proficiscitur ". Hactenus ille Theo-
logus, semper supponens, quidquid dicant Augustiniani, illud esse
haereticum. Quod attinet necessitatem simplicem, quam ex syste-
mate duplicis delectationis relative victricis sequi contendit, eam
Iansenii defensores semper reiecerunt, solam effectus infallibilitatem,
verae necessitatis expertem ex delectatione superiore consequi affir-
mantes. Et certe, voce necessitatis simplicis, vel intelligitur ne-
cessitas absoluta & antecedens, veram & physicam potentiam ad op-
positum excludens, vel hypothetica & consequentiae tantummodo.
Primam Augustiniani, consentiente D. Tournely, semper abnega-
runt; alteram omnes Thomistae cum Augustinianis admittunt,
quamvis utrique potentiam dissentiendi gratiae efficaci aequilibrem
esse negent.

Dixi, hunc Theologum turpiter hallucinatum esse: hoc ve-

ro, praeter momenta ſuperius allata, conſtat, 1.° quia ſenſus obvius tertiae propoſitionis eſt, libertatem a neceſſitate in ſtatu naturae lapſae ad merendum vel demerendum non requiri, ſed tantum libertatem a coactione ſeu violentia. Proinde nihil aliud definitum eſt, niſi libertatem a coactione in praeſenti naturae ſtatu non ſufficere ad merendum aut demerendum, ſed requiri libertatem a neceſſitate, hoc eſt potentiam ad oppoſitum. Qualis vero vel quanta ſit illa potentia, Moliniana an Thomiſtica, abſoluta an relativa, proxima an remota, nullo verbulo definitum eſt. 2.° Hallerius non alium hac in propoſitione quam Calvini ſenſum damnari poſtulavit, ut oſtendimus. Atqui Calvinus non relativam tantummodo, ſed quamlibet veram & realem ad oppoſitum potentiam reſpuit. Ergo hic tantum ſenſus conſtitutione damnatus eſt. 3.° Conſtat, fateturque D. Tournely, doctrinam Thomiſtarum hac in propoſitione damnatam non fuiſſe. Atqui immota Thomiſtarum doctrina eſt, ad merendum non requiri libertatem a quacumque neceſſitate, etiam conſequentiae, ſed tantum a neceſſitate naturali. Sic enim illam in collatione habita cum Hallerio expreſſerunt: „ Ad merendum & „ demerendum in ſtatu naturae lapſae non requiritur libertas ab „ omni neceſſitate, ſed ſufficit libertas ab omni coactione, hoc eſt „ a violentia & a naturali neceſſitate ". Ergo non quaevis neceſſitas per damnationem tertiae propoſitionis a libertate remota eſt, ſed tantum naturalis & abſoluta. 4.° Auguſtiniani in Scripto trium columnarum coram S. Pontifice & Romana Congregatione lecto, Pelagianiſmi notarunt eam ſententiam quae docet: „ ad merendum „ & demerendum in ſtatu naturae lapſae requiri in homine libertatem a neceſſitate infallibilitatis, ſeu neceſſariam eſſe indifferentiam „ proximam agendi & non agendi ". Profeſſique ſunt ſe in expoſitis ſemper perſtituros, niſi contrarium aperte & diſtincte definiretur: nec propterea vel a S. Pontifice vel a Cardinalibus reprehenſi ſunt. Ergo Summus Pontifex damnando tertiam propoſitionem nequaquam definivit, ad merendum vel demerendum requiri potentiam proximam & relativam, ſive aequilibrii, ad oppoſitum. 5. Non alium quoque ſenſum, quam Calvini ſupra expoſitum, damnarunt Auguſtiniani in ſuis quinque articulis, qui & a Thomiſtarum ſchola propugnantur, & Reſcripto Apoſtolico *ſanioris doctrinae* titulo commendati ſunt. 6.° Tertia propoſitio damnata non eſt in ſenſu delectationis relative victricis, ſi hic ſenſus non magis neceſſitatem vo-

luntatis inferat quam sensus Thomistarum: porro res ita est. Nam quemadmodum iuxta Thomistas cum gratia praedeterminante remanet vera potentia ad oppositum, ita iuxta Augustinianos cum victrici delectatione remanet: quemadmodum iuxta Augustinianos, haec potentia ad oppositum non reducitur in actum, quamdiu delectatio superior est, ita iuxta illos, quamdiu adest gratia praedeterminans: quemadmodum secundum hos, peccator terrenae delectationis superioris pondere pressus, non habet omnes vires ad eam superandam necessarias; ita secundum illos, qui gratiam praedeterminantem non habet, caret viribus per eam subministrandis: uno verbo in utroque systemate, potentia, quae remanet ad oppositum, & vera est, & non complectitur omnia ad operandum requisita. Ergo vel utrumque systema damnatum est, quod absurdum, vel neutrum. 7. Certum est definitum non esse per Constitutionem Innocentii X. gratiam omnibus hominibus, etiam obduratis & excaecatis dari, ut ipsimet adversarii consentiunt. Porro qui gratia sufficiente carent, non habent vires relativas & aequales ad bonum & malum, ad merendum & demerendum. Hoc rursus concedunt adversarii, quandoquidem eas vires per gratiam sufficientem suppeditari docent: Ergo vel dicendum est, eos qui gratia sufficiente carere supponuntur, non habere libertatem ad merendum aut demerendum requisita, adeoque non peccare, quod impium est & erroneum, vel negandum est, SS. Pontifices definivisse, libertatem ad merendum & demerendum requisitam complecti vires relativas & aequales ad bonum & ad malum.

Opponunt. Ea gratia necessitat voluntates, quae invincibiliter & insuperabiliter determinat: atqui delectatio superior invincibiliter & insuperabiliter determinat: Ergo &c.

Resp. 1.' negando Maiorem. Nam hae voces *insuperabiliter* & *invincibiliter* sunt ipsiusmet S. Augustini in libro *de correptione & gratia*, ubi loquens de gratia huiusce status: „ Subventum est, „ ait, infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia insuperabi- „ liter & invincibiliter ageretur ". Thomistis etiam usitatissimae sunt ad exprimendam gratiae praedeterminantis robur & efficaciam. Sic v. g. loquebantur in prima propositione, quam Hallerio subscribendam obtulerunt. „ Gratia de se efficax, vere, realiter, & phy- „ sice praemovens & praedeterminans immutabiliter, infallibiliter, „ insuperabiliter, & indeclinabiliter, ita est necessaria ad singulos

„ actus, . . . ut sine illa homo etiam iustus non possit adimplere „ Dei praecepta &c. “.

Resp. 2. Dist. Mai. Ea gratia voluntates necessitat, quae invincibiliter determinat in sensu diviso, concedo; in sensu composito, nego. Porro Augustiniani, post S. Augustinum & Thomistas, hoc sensu dicunt, delectationem superiorem invincibiliter determinare voluntatem, quod fieri nequeat, ut ea delectatio, quae superior supponitur, a minore vincatur, sicut apud Thomistas fieri non potest, ut gratiae praedeterminanti dissentiatur; atque in hoc consistit sensus compositus: non vero hoc sensu quod delectatio superior tollat veram dissentiendi potentiam, in qua consistit sensus divisus.

QUARTA PROPOSITIO.

Semipelagiani admittebant interioris gratiae praevenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant haeretici quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

HAc in propositione duae sunt partes, una historica quae merum factum enunciat, scilicet *Semipelagianos admisisse praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei;* altera dogmatica, quae docet haereticum esse talem gratiam admittere, cui voluntas humana resistere possit vel obtemperare. Illa, quae non est primarum damnationis obiectum, falsa est, si de omnibus Semipelagianis intelligatur, vel si eorum aliqui creduntur admisisse, etiam ad initium fidei, gratiam interiorem qualis admittenda est: vera, si de aliquibus tantum Semipelagianis & de gratia versatili intelligatur, ut probatum est alibi. Haec merito damnata est, quia contendit gratiam necessitare, talemque esse, cui resisti non possit, oppositamque doctrinam, quae catholica est, haereticam & Semipelagianam appellat.

Quod autem error hac in propositione damnatus, sit error gratiae necessitantis, manifestum est, 1. ex ipsomet textu, nam gratia

gratia cui resisti vel obtemperari non potest, certe necessitat: 2.° ex confessione Hallerii, qui in Scripto iam saepius laudato de hac propositione sic loquitur: „ neque attingitur quaestio hic de gratia essi-
„ caci a se aut a consensu, quia utriusque opinionis assertores fa-
„ tentur quod gratiam Dei possumus obiicere iuxta Concilium Tri-
„ dentinum Sess. *6.* Cap. 5. sed tantum quaeritur, utrum gratia in
„ statu naturae corruptae talis sit, ut necessitatem inferat voluntati,
„ adeo ut non possit ei dissentire, quod nullus catholicus unquam
„ admisit "; 3.° quia Innocentius X. Augustinianis Doctoribus declaravit, se ideo quinque propositiones damnasse, quia ipsis fatentibus sensum habebant haereticum. Porro sensum hunc haereticum his verbis expresserant coram S. Pontifice in Scripto trium columnarum: „ Gratia Christi praeveniens talis est, ut liberum arbi-
„ trium hominis ab ea motum & excitatum non posset dissentire,
„ si vellet: aliter dicere Semipelagianum est ".

Constat igitur 1.° hanc propositionem damnatam non fuisse in sensu gratiae per se efficacis; quippe quam omnes Thomistae non tantum absque reprehensione, sed etiam multa cum laude defendunt.

Constat 2.° eam non fuisse damnatam in sensu delectationis relative victricis, „ nec doctrinam catholicam esse ", ut contendit D. *Tournely* pag. *612*. „ Supposita gratia quantumvis efficaci, quam
„ Semipelagiani reiiciebant, humanam voluntatem, etiam relative
„ ad hanc gratiam ", hoc est potentiam aequilibrii viresque omnes ad agendum & non agendum necessarias complectente, „ posse huic
„ resistere vel obtemperare ". Nam modo ostendimus solum gratiae necessitantis errorem hac in propositione fuisse damnatum. Aliunde omnes Thomistae potentiam illam aequilibrem reiiciunt, maxime illi qui sentiunt gratiam praedeterminantem pertinere ad actum primum sive ad potentiam, eiusque complementum esse. Alvarez disp. *91.* n. 14. ad *6.um* „ Respondetur, inquit, hoc auxilium efficax
„ esse necessarium per modum principii, seu ultimi complementi
„ actus primi ". Franciscus Cumel Tom. 3. disp. 5. Sect. 1. concl. 4. „ Auxilium, ait, dicitur sufficiens Theologice, quia dat homi-
„ ni ut possit agere, tribuitque ei vim ad agendum, sed non com-
„ plete omnino, quia est necessaria gratia efficax intrinseca & de-
„ terminans voluntatem per modum actus primi, & tunc homo est
„ complete potens ". Et in appendice de scientia media: „ volun-
„ tas non habet integram, adaequatam, seu proximam, expeditam

„ & immediatam poteſtatem ad pium opus ſupernaturale, repulſa „ gratia efficaci divinae motionis “.

Nec opponat tritam ſuam cantilenam Ianſenium & Ianſenianos negaſſe tantum relativam potentiam reſiſtendi gratiae efficaci. Nam ſaepe iam monui, errorem quinque propoſitionum ab illorum doctrina nequaquam pendere, ſed in earumdem ſenſu obvio conſiſtere.

D. Deckerus Mechlinienſis Eccleſiae Decanus, in libro cui titulus: *Secunda defenſio Conſtitutionis VINEAM DOMINI SABAOTH &c.* contendit quartam propoſitionem nec in gratiae neceſſitantis, nec in gratiae efficacis ſenſu praeciſe damnatam eſſe; ſed quia illos Semipelagianis accenſet, qui gratiam ſeipſa efficacem eſſe negant. At certiſſime errat vir clariſſimus: Nam 1.° Propoſitio damnata eſt ut haeretica. Porro ſi damnata eſſet tantum ob acerbitatem cenſurae qua doctrinam Molinianam percellit, non haereſeos, ſed ſolum temeritatis, aut ſcandali, aut ſeditionis notam retuliſſet. 2. Thomiſtae, ſive in Congregationibus de auxiliis, ſive in ſuis Scriptis, ac nominatim in eo Scripto, quo mentem ſuam circa quinque propoſitiones Hallerio expoſuerunt, ſemper aſſeruerunt, Semipelagianos propterea velut haereticos damnatos eſſe, quia gratiae per ſe efficacis ad fidei initium neceſſitatem negabant. 3.° Oſtendam alibi ex profeſſo, doctrinam gratiae ab intrinſeco efficacis ad fidem Eccleſiae pertinere, Maſſilienſeſque propterea haereſis damnatos, quod ab illa defecerant, quantum ad initium fidei & perſeverantiam in fide.

QUINTA PROPOSITIO.

Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe.

HAec propoſitio damnata eſt his verbis: „ Quintam declaramus „ falſam, temerariam, ſcandaloſam: & intellectam eo ſenſu ut „ Chriſtus pro ſalute dumtaxat praedeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinae pietati derogantem, „ & haereticam declaramus, & uti talem damnamus “. Ut autem

magis elucescat, quo sensu haeretica sit, nonnulla observabo, in operis decursu plenius exponenda.

Constat apud Theologos, Christum multiplici sensu pro salute omnium mortuum dici posse 1.° quia naturam omnibus communem suscepit, & per illam pro communi omnium caussa mortem pertulit: 2.° quia pretium sanguinis Christi ad redimendum omnes & singulos abunde sufficit: 3.° quia Christus voluntate carnis, & voluntate naturae, rationis consensum praeveniente, optavit omnium salutem, eo nimirum modo, quo mori naturaliter refugit: 4.° quia mortuus est pro generibus singulorum, id est pro hominibus cuiusvis aetatis, sexus, conditionis, & nationis ad salutem reipsa perducendis: 5.° quia nemini non permittitur postulare, ut mortis Christi beneficium sibi applicetur, & quicumque pie & perseveranter postulaverint, salutem consequuntur. Constat etiam apud omnes catholicos, beneficium mortis Christi applicari non solum omnibus praedestinatis, qui omnes & soli salutem aeternam per ipsius merita consequantur, sed etiam iustis ac fidelibus, in accepta iustitia non perseverantibus; hisque gratias etiam efficaces concedi illo tempore, quo fideles & iusti sunt.

Sed controvertitur inter Theologos, 1.° an omnibus hominibus, etiam infidelibus, Iudaeis, haereticis, obduratis &c. applicentur merita mortis Christi, concedanturque auxilia gratiae sive Molinistice sive Thomistice sufficientia; nedum enim de fide sit Christum hoc sensu pro omnibus & singulis sanguinem fudisse, haec opinio a maiori & saniori Theologorum parte ut falsa & erronea reiicitur: 2.° an Christus dici debeat mortuus pro salute iustorum non perseverantium ideoque ad salutem non pervenientium. Nam etsi de fide sit Christum sanguinem suum pro illis efficaciter fudisse, quippe quibus multa gratiae auxilia in tempore concedantur, tamen nullatenus de fide est, immo negatur a plurimis Theologis Christum pro illorum salute sempiterna mortis suae pretium Deo Patri obtulisse.

His observatis dico, 1.° quintam propositionem prout iacet damnatam fuisse, quia opinionem multiplici sensu veram inter errores numerat. Quamvis enim Semipelagianum sit dicere Christum pro omnibus omnino hominibus aequaliter mortuum esse mortisque suae pretium obtulisse; adeo ut quod hi potius quam illi serventur, non ex morte Christi, sed ex propria ipsorum voluntate & bono

usu gratiae proveniat: nullus tamen est error, si Christus in sensibus paulo ante expositis pro omnibus omnino mortem subiisse dicatur. Hoc quintae propositionis vitium reprehendebat Hallerius in Scripto iudicibus Romanis oblato. „ Duo, inquiebat, queruntur „ circa hanc propositionem. 1.° Quid de ea sentiendum quatenus „ notam haeresis affingit communi catholicorum Theologorum sen„ tentiae, quae asserit Christum pro omnibus omnino mortuum „ esse". Hac igitur ex parte quinta propositio iure damnata est ut *falsa*, quia Semipelagianam vocat opinionem & loquendi rationem multiplici sensu ab omni errore immunem: iure ut *temeraria;* quid enim temerarius & audacius, quam propositionem, ab aliquibus SS. Patribus ac plerisque Theologis approbatam, haeresim appellare? Iure etiam *ut scandalosa*, quia fideles commovet adversus doctrinam & loquendi modum ab omni reprehensione alienum.

Dico 2.° quintam hanc propositionem damnatam fuisse in eo sensu, quo mors Christi ad solam electorum salutem ita restringeretur, ut pro nullis reprobis etiam temporaliter iustis mortuus diceretur. Hoc multa probant; 1.° ipsiusmet Constitutionis verba, „ Intellectam eo sensu", ait Innocentius X., „ ut Christus pro „ salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphe„ mam &c.". 2.° Eumdem sensum Iansenio attributum damnari postulavit Hallerius in Scripto iam laudato: „ quatenus, inquit, „ ex mente Iansenii Christus non pro omnibus, sed pro praedesti„ natorum salute tantum mortuus est; ita ut omnibus reprobis ne„ gata sint auxilia sufficientia quibus possint salvari. Hoc sensu, „ pergit, intactae relinquuntur difficultates quae occurrunt circa in„ fantes sine baptismo decedentes, aut infideles, aut obduratos. „ Nam qui dicit Christum non pro solis praedestinatis esse mor„ tuum, non dicit consequenter pro quolibet reprobo in particulari „ mortuum esse, sed sufficit quod pro aliquibus saltem mortuus „ sit". Quibus verbis non postulat, ut definiretur, Christum pro omnibus reprobis, aut pro aliquorum reproborum salute mortuum esse; sed tantum ut declararetur Christum, non pro sola salute praedestinatorum, sed etiam pro aliquibus reprobis mortuum esse. Quis autem credat S. Pontificem plus dedisse, quam postulabant accusatores? 3.° Doctores Augustiniani in Scripto trium columnarum coram S. Pontifice & Cardinalibus lecto & exposito, sensum haereticum huius propositionis designaruut his verbis: „ Christus mor-

„ tuus est tantummodo pro praedestinatis, ita ut ii soli per meritum „ mortis Christi veram fidem ac iustitiam accipiant “. Porro Innocentium X. ad hunc Calvinianum sensum respexisse inde liquet, quod paulo post publicatam Bullam eisdem Doctoribus declaraverit coram Regis Christianissimi oratore, se idcirco quinque propositiones damnasse, quod, ipsis fatentibus, Calviniano sensu accipi poterant. 4.° In quinto articulo Augustinianorum Romae multoties approbato, idem praecise sensus haereticus indicatur. Sic namque habet: „ Falsum est & haereticum dicere Christum pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuum esse; cum multis reprobis, omnibusque adeo iustificatis, gratias tradita a Thomistis notione „ sufficientes meruerit, quibus ad salutem pervenire possent “.

Ex his colligite definitum non esse, 1.° Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse. Et certe quamvis hoc multiplici sensu admitti possit, non tamen ad fidem pertinet, cum S. Augustinus, Ecclesia Lugdunensis, celebresque Theologi mortem Christi ad eos restringant, quibus illius fructus applicatur, ut ostendam alibi. Hallerius supra fatetur, damnata quinta propositione, *intactas relinqui difficultates quae occurrunt circa infantes sine baptismo decedentes, aut infideles, aut obduratos*. Revera si Innocentio X. propositum fuisset definire Christum pro omnibus omnino mortuum esse, satis non erat propositionem damnare ut falsam, temerariam, scandalosam; sed erroneam & haereticam pronunciare debuerat. Hinc P. Macedo Ex-Iesuita Franciscanus in libro cui titulus: *Mens divinitus inspirata SS. P. D. N. Innocentii Papae X. super quinque propositiones Cornelii Iansenii Art. 6.* „ Non manet, „ inquit, simpliciter definitum ex vi Bullae praesentis, Christum „ pro omnibus mortuum esse, sed tantum esse liberum ab omni „ nota “. Edit. anni 1653. pag. 9.

2.° Consequenter definitum non est, omnibus per gratias Thomistice vel Molinistice sufficientes applicari fructum mortis Christi; siquidem id a maiori Thomistarum parte negatur. Unde in Scripto, quod Hallerio obtulerunt, mentem suam circa quintam propositionem conceperunt hoc modo: „ Error est Semipelagianorum, dicere „ Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse; quia videlicet Christus est quidem mortuus pro „ omnibus quo ad sufficientiam pretii sufficienter, non tamen efficaciter, quia non omnes participant beneficium mortis eius “.

Synodus quoque Tridentina expresse declarat. „ Etsi pro omnibus „ mortuus est Christus, non omnes tamen mortis eius beneficium „ recipere, sed eos tantum, quibus meritum passionis eius com- „ municatur ".

3.° D. *Tournely* iisdem semper oberrans vestigiis, contendit quintam propositionem damnatam fuisse in sensu delectationis relati- Tom. I. pag. 619. ve victricis, erroremque proscriptum hoc describit modo: „ Semi- „ pelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus „ mortuum esse, omnibusque gratias vere sufficientes, quibus salva- „ ri possint, praeparasse; quia praeter delectationem superiorem ac „ victricem gratiae caelestis, non dantur gratiae vere sufficientes: „ ac Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus est, „ ita ut omnibus reprobis negata sint auxilia sufficientia, quibus sal- Pag. 624. „ vari possint ". Et postea. „ Ut igitur perfecte ac presse remo- „ veatur error quintae propositionis Iansenii, non satis est dicere „ vel Christum pro salute tantum praedestinatorum mortuum non „ fuisse, vel pretium sanguinis eius sufficientissimum fuisse omnibus „ redimendis; vel aliquam pro salute omnium velleitatem eum ha- „ bere; immo voluntatem antecedentem quamdam, vi cuius prae- „ paret auxilia vel gratias conferat, quae ex sese propriaque natu- „ rà absolute ac praecisis subiecti praesentibus dispositionibus possint „ ad salutem perducere: sed necesse est aperte profiteri, praeter de- „ lectationem superiorem seu victricem gratiam electis concessam, „ alias a Deo, vi voluntatis antecedentis, aut praeparari aut dari „ vere sufficientes, quibus saltem quidam reprobi, etiam relative ad „ quamlibet suam actualem concupiscentiam, possunt saltem media- „ te, sensu superius exposito, & mandatum urgens observare, & sa- „ lutem assequi; & hoc sensu Christum pro salute dumtaxat prae- „ destinatorum mortuum non fuisse ".

Ex his verbis patet, in hoc praecise, iuxta hunc auctorem positum esse errorem quintae propositionis, quod neget, per gratias vere sufficientes, aliquibus saltem reprobis datas, conferri potentiam relativam & aequilibrii, qua saltem mediate possiut salutem consequi.

Verum fallit aut fallitur. Nam alium planeque diversum sensum damnatum esse certissimis indiciis modo demonstratum est. 2.° Quinque propositiones, teste Innocentio XII., damnatae sunt *in sensu obvio quem verba prae se ferunt*. Porro non huiusmodi est sen-

ſus ab hoc Theologo confictus, ſed longe accerſitus, & in verbis damnatae propoſitionis nullo modo contentus. 3.° Innocentius X. declaravit, teſte clariſſimo Regis oratore in Epiſt. ad Comitem *de Brienne*, ſe propoſitiones damnaſſe in eo ſenſu, in quo utrâque parte conſentiente haereticae erant. Atqui certo certius eſt Auguſtinianos numquam conſenſiſſe, propoſitiones, in ſenſu delectationis relative victricis acceptas, haereticas eſſe. 4.° Undenam ſumpſit D. Tournely, definitum eſſe ab Eccleſia, praeter gratiam ex ſe efficacem, dari gratias vere ſufficientes, ſeu gratias inefficaces dici debere, & eſſe vere ſufficientes? Quonam Eccleſiae decreto conſecratum eſt nomen gratiae ſufficientis. Non abnuo equidem, nec abnuerunt Auguſtiniani, gratiam quae effectu ſuo ultimo fruſtratur, pacis cauſſa ſufficientem appellare, modo haec vox ad Thomiſtarum ſenſum determinetur: ſed vocem ambiguam, novam, fraudi accommodatam in fidei dogma erigere, temeritas eſt in privato Doctore non ferenda. Le Bailly de Valency.

Et certe ſi definitum eſt dari gratias vere ſufficientes, quae non ſint ſimul efficaces, vel ſenſu Moliniano, vel Thomiſtico, vel abſtrahente ab utroque; heſternam Molinae opinionem ab Eccleſia tantum non damnatam, in fidei dogma erigi quis ferat? Quod attinet ad ſenſum Thomiſtarum de fide eſt, dari gratias parvas, quae fruſtrantur ultimo ſuo effectu amplioremque bene agendi potentiam voluntati tribuunt, ſed de fide non eſt, fatentibus ipſis Thomiſtis, huiuſmodi gratias dici debere aut eſſe vere ſufficientes. Demum gratia ſufficiens, quae praeſcindat a ſenſu Moliniano & a Thomiſtico, purum eſt ens rationis, nec fidei obiectum eſſe poteſt.

5.° Multo minus Eccleſia exigit, ut credamus per gratiam ſufficientem conferri potentiam relativam & aequilibrii. Iam enim probatum eſt hanc doctrinam novam eſſe, erroneam & ab Eccleſia eliminandam. Sed de his iterum redibit ſermo, ubi de libertate arbitrii, & de gratia ſufficiente ex profeſſo agemus.

4.° Deckerus in *ſecunda defenſione Conſtitutionis VINEAM DOMINI &c.* contendit quintam hanc propoſitionem damnatam fuiſſe, prout negat Chriſtum pro aliorum, quam praedeſtinatorum, ſalute mortuum eſſe. Idem aſſeritur in documento Paſtorali XL. Praeſulum conventus anni 1714. pro acceptatione Conſtitutionis *Unigenitus*.

Verum quamquam non inficior Chriſtum aliquo ſenſu dici poſſe mortuum pro ſalute reproborum, maxime illorum, qui ad

tempus iusti sunt, nihil tamen hac de re definitum fuisse multa demonstrant.

Inprimis ipsamet Constitutionis verba: „ Et intellectam eo „ sensu, inquit, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum „ mortuus sit &c. “. Cum enim iuxta latinae linguae genium particula, *dumtaxat*, vocem praecedentem potius quam subsequentem afficere nata sit, ut probat auctor *defensionis Arnaldinae* pag. 15. concludendum est Summum Pontificem hoc unum definire voluisse, Christum non tantum pro salute praedestinatorum, sed etiam pro reproborum aliquorum iustificatione mortuum esse & orasse; non vero, Christum mortuum esse vel orasse pro aeterna salute aliquorum reproborum. Sed non haereamus in apicibus. Supponamus verba Constitutionis ambigua esse, verumque illius sensum aliunde depromamus. Hallerius, quo urgente quinque propositiones damnatae sunt, hanc non eo nomine reprehendit, quod negaret Christum pro salute aliquorum reproborum mortuum esse, sed quia pro nullis reprobis Christum mortuum esse insinuaret. E tredecim Consultoribus, quatuor eam catholicam censuerunt; quinque vero propterea damnaverunt, quod Iansenius negasset Christum pro temporaliter iustis mortuum esse. Quis autem sibi persuadeat Summum Pontificem, omisso errore, qui ab accusatoribus deferebatur & a Consultoribus damnabatur, alium sensum plane diversum damnasse, quem nemo denunciaverat, aut damnandum censuerat?

Quoties Innocentii X. Constitutio in gallicam linguam translata Cleri Gallicani iussu & impensis edita est, toties verba de quibus agitur sic reddita sunt. „ *Et etant entendüe en ce sens que „ Iesus Christ soit mort pour le salut seulement des predestinés* “. Hoc modo redditam illam legimus primum anno 1653., deinde anno 1656. cum denuo prodiit Alexandri VII. Bullae inserta, demum anno 1705. cum tertio edita fuit in Bulla quae incipit, *Vineam Domini*.

Eumdem sensum apertissime indicarunt 40. Praesules Gallicani in Conventu anni 1656. Exponentes enim quid circa quinque propositiones credi oporteat, sic loquuntur in epistola ad Reginam data 1. Septembris: „ Vestra Maiestas credat .... blasphemiam, „ impietatem, & haeresim esse, dicere, Christum sanguinem non „ fudisse nisi pro salute praedestinatorum; cum certum sit illius „ sanguinem fusum esse etiam pro reprobis qui gratiae resistunt “.

E con-

E contrario cum in Conventu anni 1654. sex Commissarii in suo prospectu censuissent „ haereticos habendos esse, si qui negent „ Christum pro iustorum non perseverantium aeterna salute mor„ tuum fuisse aut sanguinem fudisse “, hunc commentarium ceteri Episcopi repudiarunt.

Demum certissimum est doctrinam SS. Augustini & Thomae a SS. Pontificibus damnatam non esse. Atqui SS. Augustini & Thomae doctrina est, Christum mortuum non esse pro salute pereuntium. Fatetur namque Petavius *dogmatum Theologicorum* Tom. I. Lib. 10. Cap. 5. n. 1. ex doctrina S. Augustini de gratuita praedestinatione necessario consequi Deum non velle salutem reproborum, & Christum pro illa nec passum esse nec orasse. Quae sane confessio eo plus roboris habet, quod Petavius eo in libro doctrinam B. Augustini, libro praecedente plurimum commendatam, transfuga deseruerit. Manifesta sunt etiam hac de re Angelici Doctoris verba 3. Part. quaest. 21. Art. 4. „ Dominus, inquit, non oravit „ pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus qui erant „ credituri in eum, sed pro his solum qui erant praedestinati, ut „ per ipsum vitam consequerentur aeternam “.

QUAESTIO SECUNDA.

An & quomodo universa Ecclesia in quinque propositionum condemnationem consentiat.

SI quinque propositionum sensus damnatus is foret, quem asserunt nonnulli recentiores modo recensiti, manifestum esset universam Ecclesiam earum damnationi non consentire. Namque ad dogmaticam Ecclesiae definitionem requiritur non aliquorum tantum, nec plurium, sed omnium Ecclesiae Pastorum unanimis tum in verbis, tum in verborum sensu consensio, ut erudite & invicte probat Senecensis Episcopus in egregia *Institutione Pastorali* data initio Augusti 1727. Porro constat omnes Ecclesiae Pastores unanimi consensu non damnare sensus, quos illi recentiores damnatos fuisse contendunt: constat hos sensus non tantum a multis Theologis catholicis, sed

etiam a pluribus Epiſcopis, immo a SS. Pontificibus defendi; neminemque initio diſputationum eos pro damnatis habuiſſe, paucoſque etiamnum eſſe qui aliter ſentiant.

Fruſtra opponerent, quinque propoſitiones damnatas eſſe in ſenſu proprio: ſenſum autem proprium eſſe quem contendunt. Nam praeterquam quod oſtendimus eos errare circa ſenſum proprium quinque propoſitionum, multo potiori iure reponimus retorquendo argumentum hoc pacto. Quinque propoſitionum ſenſus proprius ab univerſa Eccleſia damnatur: atqui ſenſus, quos propoſitionibus affingitis, non damnantur ab univerſa Eccleſia. Ergo ſenſus proprius quinque propoſitionum non eſt quem contenditis.

Igitur poſthabitis illis interpretationibus ad arbitrium excogitatis, dico totam Eccleſiam unanimi conſenſu in damnationem quinque propoſitionum conſpirare nec longa probatione opus in re manifeſta. Namque auctor hiſtoriae quinque propoſitionum Tom. I. pag. 102. fatetur, data Innocentii X. Conſtitutione, neminem prorſus, ſi Calvinianos excipias, quinque propoſitiones defendiſſe; ſed eos, qui prius illas (aliquo in ſenſu) defenderant, condemnationi ultro annuiſſe, negantes tantum eas in libro Ianſenii contineri; ſicque de mero facto controverſiam fuiſſe. Revera ex hiſtoria compertum eſt, illos ipſos qui Ianſeniani appellabantur, Conſtitutioni Innocentii X. ſine ulla mora acquieviſſe, nihilque aliud Praeſulum Conventibus propoſitum fuiſſe, quam ut eos fateri compellerent, errorem in quinque propoſitionibus damnatum a Ianſenio traditum eſſe.

Quantum ad exteras nationes, apud quas SS. Pontificum Conſtitutiones ſolemni iudicio receptae non ſunt, non minus certum eſt eas damnatos in quinque propoſitionibus errores unanimi conſenſu damnare. Id, inquam, certum eſt, non quidem authenticis inſtrumentis quibus declarent Conſtitutiones a ſe receptas fuiſſe (nam ſuppoſitis etiam huiuſmodi declarationibus, merito ambigeretur utrum anticipatis de SS. Pontificum infallibili auctoritate opinionibus, an iuridico examine & firma veritatis perſuaſione impulſi acquieviſſent), ſed ex communi & publica illarum praedicatione & doctrina. Nemo quippe eſt apud exteras nationes qui concupiſcentiae & gratiae neceſſitantis errorem non deteſtetur: nemo qui non aperte profiteatur ſub gratia efficaciſſima vel tentatione vehementiſſima ſtare ſemper in homine lapſo activam diſſentiendi potentiam. Atque hic eſt germanus character definitionis ab univerſa Eccleſia receptae & ap-

probatae, ut obſervat doctiſſimus Boſſuetus Meldenſis Epiſcopus in *defenſione declarationis Cleri Gallicani* Lib. 14. Cap. 1. „ Conſenſus publicus, inquit, non eo conſtat quod aliquod de illo extet „ commune & publicum inſtrumentum; quin illud eſt perſaepe multo validiſſimum, ut in omnibus imperiis, ita in nupero Chriſti, quod nullo peculiari inſtrumento conſignatum, ſed omnium „ inſcriptum mentibus, omnium ſermone uſuque celebratum ": hoc modo recepta ſunt in Gallia Decreta Concilii Tridentini circa fidem: non enim ſolemni monumento apud nos ſancita ſunt, ſed communi omnium praedicatione, fide, conſenſione roborantur ac confirmantur.

QUAESTIO TERTIA.

De facto Ianſenii; in qua referuntur argumenta contra Ianſenii librum & pro eodem utrimque prolata.

ABſit ut huius famoſae controverſiae ſummam exponendo, quidquam de obſequio Conſtitutionibus Apoſtolicis debito detractam velim. Exponam tantum breviter & ſincere, quae argumenta e libro Ianſenii vel ad eum erroris convincendum vel ad eum defendendum deprompta ſint, non rixandi vel aliquid definiendi cupiditate, ſed ſuſcepti operis partes implendi ſtudio ductus. Hoc autem ut exequar, exigit inprimis huius controverſiae cum hactenus dictis vel dicendis arctiſſima connexio, exigit deinde neceſſitas eos defendendi, qui cum de Ianſenii facto dubitare ſe profitentur, haeretici audiunt; quaſi hoc factum adeo evidens ſit, ut niſi mala fide erroreſque damnatos in corde retinendi ſtudio controverti poſſet. Exigit demum quorumdam recentiorum temeritas, alios nunc errores Ianſenio attribuentium, quam qui olim attribuebantur atque deſultoria methodo doctrinae S. Auguſtini tanto perniciosius, quanto occultius inſidiantium. Ad reprimendam horum audaciam, veterum controverſiarum ſpecimen delineare, & quid ab una parte Ianſenio imputatum, quid ab altera repulſum fuerit, ob oculos ponere neceſſe eſt.

Ianſenii obtrectatores non unius generis ſunt; alii quippe veluti

belli duces totiusque certaminis moderatores extiterunt : alii incomparabiliter plures, Iprensis libro non lecto nec examinato, damnantibus iunguntur, non intelligentes, nec forsitan curae habentes, in quo demum eius error positus sit.

Primorum, qui soli attendendi sunt, non una criminatio est, sed plane dissimilis. Plerique, cum persuasum habeant SS. Pontifices ipsummet Calvinianum gratiae necessitantis errorem in quinque propositionibus damnare voluisse, hunc errorem in Iansenii libro contineri affirmant. Sic sentiebant quicumque initio disputationum contra Iansenium scripserunt, sic etiamnum Thomistae, ceterique gratiae efficacis defensores autumant. Alii, quibus manifestum est ex lectione libri Iansenii eum a Calvini errore de gratia necessitante alienum extitisse, quidquid a Iansenio traditum fuerit, hoc ab Ecclesia damnatum contendunt. Hinc nonnulli perditae frontis gratiae seipsa efficacis doctrinam proscriptam asseruerunt, ut P. Meyer Iesuita, in libello quem anno 1707. edidit de mente Concilii Tridentini circa gratiam praedeterminantem. Aliqui, duce Illustr. *De Fenelon* Cameracensi Archiepiscopo, doctrinam delectationis relative victricis in quinque propositionibus anathemate perculsam asserunt, erroremque Iansenii in eo praecise collocant, quod non agnoverit in voluntate potentiam relativam & aequilibrii, seu aequalitatem virium ad bonum & malum. Praecipui huius sententiae patroni sunt Eminent. Bissius, D. Languet Suessionensis, & D. Delzunse Massiliensis Episcopus, nec non D. Tournely in tractatu de Gratia. Demum alii nescio quos alios sensus, quos Iansenio attribuunt, damnatos arbitrantur.

Opinionum adeo insigniter diversarum unum tamen atque idem principium est, nimirum sensum quinque propositionum & sensum Iansenii eumdem esse. Hoc enim posito, illi quidem, quoniam Calvini errorem in quinque propositionibus damnatum esse SS. Pontifices declararunt, hunc errorem Iansenio attribuere coacti sunt: hi vero quia doctrinam gratiae seipsa efficacis delectationisque relative victricis unice a Iansenio traditam esse persuasi sunt, hanc ipsam a SS. Pontificibus proscriptam fuisse contenderunt. Neutri recte: cum enim SS. Pontifices, immo Concilia falli possint circa librorum auctorumve sensus, ut postea, Deo dante, demonstrabitur, quinque propositiones seorsim, & librum Iansenii seorsim expendere oportebat: sed recentiores multo periculosius. Nam veteres errorem

gratiae necessitantis Iansenio attribuendo, tantum in erroris facti discrimen veniebant, hi autem ex libri, qui catholicus esse posset, sensu aestimantes quid haereticum sit, de ipsa fide periclitantur. Horum methodum refellimus supra, ostendendo sensum damnatum quinque propositionum, non e Iansenii sensu, sed ex verborum contextu petendum esse. Illorum fundamentum subvertemus postea, probando Ecclesiam in facti quaestionibus falli posse: si enim SS. Pontifices circa Iansenii sensum falli potuerunt, certe ille sensus independenter ab ipsorum definitione explorandus est, sicut facta Honorii, Theodoreti & aliorum in Conciliis generalibus damnatorum quotidie a Theologis examinantur.

Anti-Iansenіani, dum a se mutuo diffident, Iansenii defensores absolvunt. Nam quod hi semper asseruerunt, Iansenium a gratiae necessitantis Calviniano dogmate alienum fuisse, nunc ultro concedunt D. Tournely aliique recentiores Anti-Iansenіani. Quod vero contendunt, illum gratiae necessitantis errorem in quinque propositionibus damnatum, veteres Anti-Iansenіani confessi sunt.

Hinc manifestum est diversos illos Iansenii accusatores secum invicem magis, quam cum eius defensoribus pugnare. Nam veteres Iansenii accusatores, de mero facto cum eiusdem defensoribus disputabant, circa ius ipsum consentientes; D. Tournely aliique recentiores cum iisdem de sensu Iansenii conveniunt, de ipso iure, doctrina scilicet damnata disputantes. E contrario recentiores cum veteribus in nullo consentiunt; non de iure seu erroribus damnatis, quos alii gratiam necessitantem, alii seipsa efficacem esse affirmant, non etiam circa sensum Iansenii, quem alii aliter assignant.

His praenotatis ad quaestionem ipsam veniamus.

Quinque propositiones spectari possunt, vel quoad verba, vel quoad sensum verbis expressum.

Eas quoad ipsa verba in libro Iansenii contineri, ab aliquibus initio disputationum assertum est, inprimis a P. Annato in *Cavillis Iansenianorum*. „ Propositiones damnatae, inquit, constant ver- Pag. 39.
„ bis & significatione: si verba spectemus, sunt propositiones indi-
„ viduae & singulares totidem verbis apud Iansenium contentae:
„ ac proinde si qua est ex hoc capite ambiguitas, Iansenium accu-
„ sent, & eorum innocentiam fateantur qui quod apud illum in-
„ venere, hoc ipsum fideliter obtulere Pontifici “. Tam confidenter loquenti quis non crederet? Idem supponere visus est Alexander

VII. cum declaravit quinque propositiones non solum *in sensu a Iansenio intento damnatas*, sed etiam ex eius *libro excerptas*. Nam iuxta communem loquendi usum hoc tantum e libro excerpi dicitur, quod in eo totidem verbis extat. Hinc suspicio est non mediocris, quinque propositiones aliena manu libro insertas, S. Pontifici ostensas fuisse, ut oculorum testimonio convictus factum definire non dubitaret; hancque suspicionem non parum augent Annati verba, quae vix alium sensum pati possunt. Sed cum evidens sit illas propositiones, si primam excipias, ad verbum in Iansenio non extare, id demum fateri coacti sunt eius criminatores, eoque pervenerunt, ut saltem penes sensum ibidem contineri affirmarent. Quibus vero argumentis id probare conati sunt, quibus e contrario confutati, iam exponendum est.

PRIMA PROPOSITIO.

Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus & conantibus secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia qua possibilia fiant.

ASsignavimus supra duplicem Calvini errorem de mandatorum impossibilitate hac in propositione damnatum. Quaesitum est, an uterque ille error, aut alteruter a Iansenio traditus sit.

Primum quidem omnes consentiunt hanc propositionem extare totidem verbis apud Iansenium lib. 3. de gratia Christi Salvatoris Cap. 13. ubi allatis pluribus S. Augustini textibus sic concluditur: „ Haec igitur omnia plenissime planissimeque demonstrans nihil esse „ in S. Augustini doctrina certius ac fundatius, quam esse praecepta quaedam quae hominibus non tantum infidelibus, obcaecatis, „ obduratis, sed fidelibus quoque & iustis volentibus, conantibus „ secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia: deesse „ quoque gratiam qua possibilia fiant “. Igitur de sensu tantum auctoris difficultas restat. Haec porro verba allegabant Annatus, Theophilus Raynaldus, Moraïnes seu P. Martinonus in Anti-Iansenio, ut probarent errorem Calvini de absoluta mandatorum (absente gratia) impossibilitate a Iansenio renovatum esse.

Pag. 138 Col. 2.

Respondebant Iansenii defensores, ad cognoscendam cuiusvis auctoris mentem, sistendum non esse in rigore aliquorum verborum, sed attendi inprimis debere illius scopum, simulque antecedentia & consequentia. „ Non aspiciamus ", inquiebant post Facundum Lib. 9. Cap. 3. „ in furtivas sententiarum particulas, quas ideo praeci- „ dunt ut in eis non appareat dicentis intentio ". Porro, si horum omnium ratio habeatur, primam propositionem, quae extra Iansenii librum haeretica est, quia significat iustis, tametsi conantibus & volentibus, aliqua mandata esse absolute impossibilia defectu gratiae qua possibilia fiant, in libro sensum catholicum habere, nimirum iustos, qui ex gratia parva imperfecte conantur & volunt, aliqua mandata implere, non habere omnem gratiam quae requiritur ad ea reipsa implendum; adeoque non habere potentiam completam & complectentem omnia necessaria ad agendum. Revera Iansenium non solum in iustis, sed etiam in omnibus hominibus agnovisse potentiam veram & multiplicem observandi mandata, ut apparet ex Cap. 15. eiusdem libri ubi sic loquitur. „ Observan- Pag. 143 Col. 1.
„ dum est inprimis . . . . multipliciter hominem dici posse ali-
„ quid. 1.° Remotissime per solam liberi arbitrii flexibilem facul-
„ tatem ad bonum & ad malum . . . 2.° Paulo propinquius dici- Col. 2.
„ mur posse bene vivere, omnibus tentationibus resistere, & pec-
„ cata cavere per fidem, quamvis dilectione Dei & actuali Dei
„ adiutorio, internisque viribus voluntatis, de quibus ante multa
„ diximus, careamus . . . . 3.° Dicimur multo plenius potentius- Ibid.
„ que posse per charitatem per quam homo iustificatur . . . . 4.° Pag 144. Col. 1.
„ Complectissime dicimur posse quando S. Spiritus inspiratione sic
„ voluntas praeparatur ut non nude possit, sed etiam velit " . . . .
Et postea: „ Respondemus praecepta Dei esse homini possibilia, Pag 145 Col. 1.
„ seu posse ab homine fieri, & consequenter hominem ea posse fa-
„ cere. Etenim si iam iustificatus est, habet caritatem seu bonam
„ voluntatem, per quam Deum diligere & consequenter totam le-
„ gem implere potest . . . . Si autem fidelis quidem, sed nondum
„ iustificatus est, habet aliquid bonae voluntatis, quatenus credit
„ . . . per hanc autem potest mundari, potest uberius auxilium
„ invocare, & consequenter recte pieque vivere. Quod si etiam
„ fide Christi caret, habet liberum voluntatis arbitrium, per quod
„ uti carni titillanti, ita & Spiritui illuminanti consentire; uti
„ peccare, ita & recte vivere potest. Quocumque vero possibilita-

„ tis modo ex illis tribus quos iam diximus, homo possit praecepta Dei facere, etsi alio modo proxime non possit, satis est ut,
Pag 146. Col. 1 „ si non fecerit, sit inexcusabilis". Et rursus: „ Constat peccata „ a non habentibus gratiam sufficientem posse vitari, non quidem „ illa proxima potestate quae dat simul velle quod possumus & „ posse quod volumus; nec illa quae potestatem voluntatis velut „ in aequilibrio ad utrumque ponit . . . Sed illa remotiore pote- „ state, qua possunt ea vitare si voluerint". Ex his, aiebant, manifestissimum est, Iansenium non agnovisse in iustis, immo nec in peccatoribus ipsisque infidelibus veram & physicam impossibilitatem observandi mandata, sed docuisse tantummodo, illos, quando praeceptum aliquod transgrediuntur, non habere potentiam completam illud praeceptum observandi, hoc est potentiam quae omnia ad illud de facto observandum necessarie complectatur.

Addebant, adeo certum esse, Iansenium a Calvinianis circa mandatorum possibilitatem dissensisse, ut ipsimet Protestantes id
Thesi 6 47. confessi fuerint, praesertim Leyddeckerus in Thesibus *de Iansenismo*, ubi, quamvis alioqui se Iansenio consentire affirmet, illum tamen eiusque defensores reprehendit, quod tum in caeteris hominibus, tum maxime in iustis veram servandi mandata potentiam admittant.

Hanc Iansenii defensorum responsionem confirmant D. Decker
Pag. 39. Mechliniensis Decanus & D. Tournely. Ille siquidem in *secunda defensione Constitutionis VINEAM DOMINI SABAOTH*, fatetur
Tom. 1. pag. 504 & seqq. Iansenium a Calvini errore alienum fuisse: hic vero in suo *de gratia* tractatu, ex professo & fuse demonstrat solam potentiam relativam, hoc est vires tentationi aequales continentem, ab Iprensi Episcopo negatam fuisse, admissa alioqui potentia multiplici.

Instabant Anti-Iansenlani: Iansenius Lib. 2. de gratia Christi
Pag. 34. Col. 1. Salvatoris Cap. 1. dicit: „ Nisi medicinali gratia & adiutorio vi- „ res pristinae restaurentur, tam esse impossibile voluntati ut bene „ velit & bene operetur, quam homini caeco ut videat, vel surdo „ ut audiat, vel libris fracto ut recte gradiatur": Atqui huiusmodi comparationes omnem penitus bene agendi potentiam, absente gratia, videntur excludere. Ergo &c.

Respondebant Iansenii Patroni has comparationes catholico sensu ab eo allatas fuisse. Scilicet „ in omni comparatione", aiebat Paulus Irenaeus, „ non omnia similia sunt; sufficit ut illa inter se

„ conve-

„ conveniant quae inter se comparantur. Iam vero caecus cum iu-
„ sto gratia efficaci destituto dupliciter potest comparari: 1.° si spe-
„ ctentur potentiae in actu primo; sic nulla inter utrosque simili-
„ tudo, sed potius magna dissimilitudo. Caecus enim caret interna
„ videndi virtute; iustus pollet interiori facultate bene agendi,
„ etiam actuali, si vult & conatur. At si spectentur istae poten-
„ tiae in actu secundo, tunc in eo plane conveniunt, quod sicut caecus
„ videre actu & effective non potest, ita iustus bene agere sine
„ gratia efficaci actu & effective non potest. Igitur si Iansenius iu-
„ stum cum caeco comparavit spectando potentiam in actu primo,
„ inepte prorsus locutus est, & si velis, haeretice; sin autem spe-
„ ctavit potentiam in actu secundo, recte, catholice, Thomistice
„ locutus est". Porro hoc sensu comparationes illas a Iansenio adhibitas fuisse inde probabat, quod iuxta ipsum gratia efficax non sit adiutorium *actus primi*, sed *actus secundi*. Sic revera loquitur Iprensis Praesul Lib. 5. de haeresi Pelagiana Cap. 11. cui titulus: *Quid sit adiutorium possibilitatis* (a Pelagianis admissum) *& adiutorium voluntatis & actionis* (a S. Augustino assertum); *& quatuor utriusque differentiae*. „ Prima differentia est, inquit, quod Pag. 112. Col. 1.
„ adiutorium possibilitatis, sit adiutorium actus primi; adiutorium
„ voluntatis & actionis, sit adiutorium actus secundi. Illud enim
„ facit ut potentia in actu primo potens fiat, & ad volendum
„ agendumque habilis & praeparata: hoc vero ut in actu secundo
„ velit atque agat": nihil profecto desiderari potest Thomistarum menti magis consentaneum. Non minus diserte loquitur lib. 3. de gratia Christi Salvatoris Cap. 15. „ Duplex est, inquit, praecepti Pag. 145. Col. 2.
„ faciendi impotentia. Una est ex defectu alicuius, quod non po-
„ test, quantumlibet magna voluntate, hoc est quantumlibet forti-
„ ter volendo, suppleri. Talis est impotentia illius qui caret Bre-
„ viario ad horas quas ignorat recitandas" (Haec impotentia eiusdem generis est ac impotentia caeci ad videndum, vel surdi ad audiendum)... „ De tali impotentia verissimum est quod Deus non
„ iubet impossibilia ... Altera impotentia est, quae ex defectu
„ ipsius voluntatis seu volitionis oritur, quae si adesset quanta
„ adesse debet, praeceptum facillime adimpleretur ... Haec impo-
„ tentia non faciendi nullo modo excusat eum qui non implet
„ quod praecipitur; posset enim implere si vellet". Igitur, concludebant, ex his comparationibus e Iansenio allatis non sequitur

eum non agnovisse in iustis peccantibus potentiam observandi mandata, sed tantum, credidisse iustos mandata actu observare non posse sine gratia efficaci. Eodem modo respondebat Dionysius Raymondus in Elucidatione facti Iansenii Part. 1. Cap. 1. Art. 6. Verum non minus aperte Iansenium ab hoc crimine purgat D. Tournely pag. 654. „ Non ita profecto stupidus fuit Iansenius, inquit, „ ut excluderet omnem omnino bene agendi facultatem, absente „ gratia relative victrici. Nonne in prima propositione supponit „ iustos, qui conantur & volunt? Ergo agnoscit in illis, etiam ab„ sente gratia efficaci, aliquam bene agendi ex gratia parva poten„ tiam: sicut lib. 8. Cap. 20. sub motione delectationis caelestis „ victricis agnoscit peccandi potestatem perfectissimam ".

Urgebant Anti-Ianseniani: Equidem Iansenius dicit, impotentiam bene agendi, quam in iustis peccantibus admittit, voluntariam esse: verum in eius systemate iusti illi, absente gratia efficaci, velle non possunt.

Respondebatur, iustos absente gratia efficaci, posse velle in doctrina Iansenii, si vere possunt mandata servare; siquidem mandata servare nihil aliud est quam plene velle. Porro ex allatis textibus clarum esse, Iansenium veram & multiplicem potentiam observandi mandata in iustis peccantibus agnovisse.

Urgebant: Iansenius negavit iustos, urgente praecepto semper habere gratiam sufficientem.

Respondebatur, quidquid sit de caeteris iustis non volentibus nec conantibus, de quibus non agitur in prima propositione, Iansenium in iustis qui conantur & volunt, gratiam Thomistarum sensu sufficientem reipsa agnovisse. Hanc responsionem disertis verbis approbat, confirmat D. Tournely iam laudatus. „ Profitetur „ Iansenius, inquit Cap. 1. lib. 3. de grat. Christi, se solam „ Molinianam, ut vocant, seu versatilem ac libero voluntatis ar„ bitrio permissam reiicere gratiam sufficientem: nolle vero se im„ pugnare gratiam Thomistico sensu sufficientem, qualem Alvares, „ Cumel, Navarreta &c. admittunt; eam scilicet praeter quam aliud „ ex parte Dei auxilium per modum principii necessarium est ut „ homo velit & operetur: Immo addit ibidem quod Augustinus " *fortasse talem gratiam non difficulter admitteret*. Et Cap. 3. „ Cum ait gratiam " *quae ab initio lapsus humani generis usque ad iudicii diem nullum in humana voluntate effectum habuit aut*

Tom. 1. pag. 656.

habitura est, *monstro similem esse*, „ Molinianam solum aut in-„ congruam Suaresianam directe & expresse explodit; neque diffi-„ tendum est in textu Iansenii, qui obiicitur ex Cap. 3. Lib. 3. de „ gratia Christi, eum solam Molinisticam oppugnare gratiam ". Non poterat hic Theologus, Iansenio infensissimus criminationem a veteribus Anti-Iansenianis centies decantatam apertioribus verbis conterere. Addit quidem in systemate gratiae relative victricis a Iansenio asserto, per gratiam sufficientem non conferri potentiam relativam, adeoque illam non esse vere sufficientem; sed certum est, Thomistas gratiam, qualem vult, sufficientem nunquam admissuros. Enimvero audiamus, quid, iuxta ipsum, gratiae sufficienti a Iansenianis admissae desit, ut sufficiens dici possit. „ Nomine tenus " inquit pag. 658. „ Sufficientem gratiam Iansenistae admittunt, re-„ ipsa negant ". Quid ita? „ Quantum enim ad usum & exerci-„ tium boni operis, perinde omnino est ac si nullam agnoscerent; „ quod quidem nostris locum dedit certe legitimum accusandi Ian-„ senianos omnis prorsus denegatae gratiae sufficientis ". Ideo igitur gratia parva seu excitans Iansenii huic videtur insufficiens, quod eam effectus bonique operis exercitium nunquam sequatur: atqui pariter gratia sufficiens Thomistica effectum nunquam sortitur: ergo Iansenius hanc ob rem haereticus audire non potest, quin Thomistae quoque haeretici audiant. Dicetne gratiam Thomistice sufficientem effectum sortiri, quando praedeterminans accedit? Pariter gratia excitans Iansenii effectum consequitur, ubi victrix delectatio supervenit. At „ quid est, inquit, Iansenianis gratia sufficiens? nisi „ delectatio inferior ac debilior, quae non satis habet virium, ut „ oppositam concupiscentiam superare possit, seu quae necessitatem „ peccandi non tollit, sed minuit tantum ". Hoc Iesuitae Thomistis centies obiecerunt, & contra Augustinianos nihilo plus roboris habet quam contra Thomistas, quorum gratia sufficiens, utpote non complectens omnia ad agendum necessaria, completas bene agendi vires non suppeditat.

SECUNDA PROPOSITIO.

Gratiae interiori in statu naturae lapsae nunquam resistitur.

DAmnatus huiusce propositionis sensus est, ut probavimus, omnem Christi gratiam interiorem totum semper habere effectum, ad quem tendit, adeoque nullam esse, quae suo frustretur effectu. Hunc errorem in Iansenii libro contineri (nam verba nullibi extant) probare conati sunt eius adversarii multis argumentis. E contrario eiusdem defensores contenderunt, nihil non catholicum circa hoc caput ab eo traditum fuisse, scilicet 1.° in praesenti naturae statu nullam dari gratiam versatilem, id est quae voluntatis arbitrio ita dimittatur, ut a solo homine pendeat eam efficacem vel inefficacem reddere. 2.° Gratiam ad bene agendum necessariam, vi propria efficacem esse, positamque in inspiratione sanctae dilectionis superioris. 3.° Praeter gratiam seipsa efficacem delectationemque superiorem, quae totum effectum suum infallibiliter operatur, aliam esse parvam & Thomistico sensu sufficientem, quae effectum ad quem tendit, & cuius desiderium inspirat, voluntate resistente non consequitur. 4.° Hanc minorem gratiam, tametsi effectu ad quem ultimo tendit, hominis culpa semper frustretur, producere aliquem effectum, ad quem producendum voluntate Dei consequente & absoluta proxime ordinatur, nimirum pios conatus, bonique imperfecta desideria.

Tertium caput, in quo solo difficultas est, multis ex Iansenio depromptis locis ostendebant inprimis ex Cap. 27. Lib. 2. de grat. Pag. 56. Christi Salvat. „ Nec vero moveat quemquam, ait Iprensis, quod „ constet multos divinitus mente collustrari, immo vero & in ipsa „ voluntate motibus divinae gratiae percelli, qui tamen ab eius „ interna suasione & inclinatione dissentiunt, ut propterea falsum „ putet gratiam in eo, cui datur, semper operari effectum, ob quem „ datur. Considerandum est enim multiplices esse divinae gratiae „ effectus, quemadmodum & voluntatis. Est enim velle perfectum, „ quod Augustinus posse vocat; est & imperfectum, quod velleita-

„ tem appellare ſolent: Et hoc ipſum diverſos habet gradus, do-
„ nec ad ipſam primam tenuiſſimamque boni complacentiam venia-
„ tur. Haec ergo primus eſt illius caeleſtis roris effectus, quem ut
„ minimum in omnibus operatur, quibus eum infundit Deus ....
„ haec igitur gratia quamvis nullo modo ſufficiat, ut homo Dei
„ mandatum operetur, ut Deum ſuper omnia diligat, ut ſperet,
„ ut oret, ut credat; ad hoc tamen facit aliquid, ut iſtarum vel
„ alterius cuiuſquam caeleſtis rei liberas quaſdam, non voluntates,
„ ſed velleitates vel complacentias excitet". Et poſtea: „ ſic enim
„ videmus plurimos, qui necdum ab immunditiis carnis ſe contine-
„ re poſſunt, vehementer tamen optare continentiam, cuiuſmodi
„ vota divinae gratiae ſunt munera, & maioris gratiae provocati-
„ va". Idem probabant ex Lib. 3. Cap. 13. ubi dicit „ Concu-
„ piſcentiae reniſu fieri, ut homo non plene velit, non integre ve-
„ lit, non tota voluntate velit": Ex Lib. 4. Cap. 4. ubi lucta
delectationis terrenae & caeleſtis deſcribitur: Ex Cap. 10. eiuſdem
Lib. ubi ait: „ Niſi iſta gratiae ſuavitas tanta fuerit, ut ei dele- Pag. 84. Col. 2.
„ ctationes rerum creatarum ceſſerint; vel peccabitur, vel alternan-
„ te delectationum fluctu in medio remanebitur": Ex. Capp. 16.
17. & 18. eiuſdem libri ubi diviſio gratiae in excitantem & adiu-
vantem traditur: Ex his verbis Lib. 8. Cap. 2. „ Tunc eſt vi- Pag. 359 Col. 2.
„ ctrix delectatio, quando alteram ſuperat. Quod ſi contingat al-
„ teram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis remanebit
„ animus, nec efficaciter unquam volet quod volendum eſt &c.".

Ianſenium ab eodem errore vindicat Leydekkerus e Calvinianorum grege Theologus Ultraiectinus. Licet enim illius de gratia doctrinam in multis approbet, ei tamen crimini vertit, Theſi octava *de Ianſeniſmo*, quod praeter gratiam abſolute efficacem alias admiſerit, quae plenum & integrum effectum non conſequantur.

Ex altera parte ut probarent adverſarii Ianſenii, nullam, cui reſiſtatur, gratiam ab eo agnitam, opponebant diſcrimen gratiae in utroque ſtatu naturae in hoc ab eo eſſe poſitum, quod in praeſenti ſtatu omnis gratia effectum ſuum ſemper conſequatur, laudabantque haec verba Lib. de grat. Chriſti Salvat. Cap. 4. „ Gratia ſanae vo-
„ luntatis in eius libero relinquebatur arbitrio, ut eam ſi vellet de-
„ ſereret, aut ſi vellet uteretur. Gratia vero laeſae aegrotaeque
„ voluntatis nullo modo in eius relinquitur arbitrio, ut eam deſe-
„ rat aut arripiat, ſi voluerit, ſed ipſa ſit potius illa ſuprema gra-

„ tia, quae invictissime facit ut velit, & a voluntate non deferatur “: Et postea: „ Alterum adiutorii genus est, quo simul ac datum „ fuerit, fit effectus, & si non datur, nunquam fit. Nempe quia „ tantae necessitatis est, ut sine illo non possit effectus fieri; tan- „ taeque efficaciae, ut hoc ipso quo datur, continuo fiat. Dat „ enim simul & posse & operari “.

Respondebant Paulus Irenaeus *Disquisitionibus* 2.ª & 6.ª & Dionysius Raymondus in *Elucidatione sensus Iansenii*, 1.° illa verba desumpta esse ex S. Augustini lib. de Correptione & Gratia Cap. 11.: 2.° Iansenium a praesenti statu excludere tantum gratiam versatilem ac Molinianam, non vero sufficientem Thomisticam, idque ex ipsomet textu allato patere.

Instabant Iansenii impugnatores. Iansenius expresse docet gratiam effectu nunquam carere, ac tollere omnem resistentiam: „ Simul ac pulsat fores “ inquit Lib. 2. Cap. 24. „ rumpit ostia, „ repugnantemque domat voluntatem, tollit omnem eius resisten- „ tiam, rapit eam secum, & ex invita volentem ac se determi- „ nantem ineffabili suavitate ac potestate facit “. Et Cap. 25. „ Gratia & bonum opus apud Augustinum ita reciprocantur, ut „ quemadmodum ex gratia data mox effectum operis consecutum „ inferre solet, ita vice versa ex defectu operis gratiam non esse „ datam . . . quod est perinde ac si apertissime diceret: nunquam „ illa effectu suo caret “.

Respondebant iidem 1.° S. Augustinum multis in locis a Iansenio ibidem allatis similiter locutum esse v. g. Lib. 1. ad Simplicianum Cap. 2. Lib. de gratia Christi Cap. 13. de Corrept. & Gratia Cap. 14. de praedestinatione Sanctorum Cap. 8. Immo S. Augustinum interdum fortius locutum esse quam Iansenium. Porro neminem haereticum censeri debere, qui S. Augustini phrases adsciverit, nisi aliunde constet illum haeretico sensu eas accepisse. 2.° Distinguebant propositionem: Iansenius docet gratiam per se efficacem nunquam carere effectu; concedebant: gratiam omnem, iterum distinguebant; nunquam carere effectu proximo ad quem ex voluntate Dei consequente & absoluta datur, Concedebant; nunquam carere effectu remoto ad quem per se tendit & voluntate Dei antecedente ordinatur, Negabant. Pariter, Iansenius docet Gratiam victricem tollere omnem resistentiam, Concedebant; Gratiam omnem, Distinguebant rursus; tollere omnem resistentiam respectu effectus proximi, Con-

cedebant; remoti, Negabant. Igitur, inquiebant, Iansenius, more S. Augustini, cum de gratia huiusce status loquitur, potissimum attendit ad gratiam victricem quae praecipua est, & sine qua nihil boni fit; totusque in eo versatur, ut illos refellat, qui gratiam versatilem, cuius usus a creata voluntate pendeat, invexerunt. Hinc crebro inculcat gratiam Christi, ad bene agendum necessariam, statim ac datur, effectum producere, tollere omnem voluntatis renisum, facere ex nolente volentem, ex repugnante consentientem: Eoque confidentius hunc loquendi modum assumpsit, quod etiam gratia parva, quae fortiore cupiditate superatur, nonnullum debiliorem effectum propria virtute producat.

His plane consentit D. Tournely Tom. 1. pag. 655. „ Potest „ Iansenius, inquit, sine ulla pugna dicere quod voluntas resistat „ & non resistat gratiae, respective ad varium eius effectum. Non „ resistit quantum ad effectum proximum & imperfectum, quem gra„ tia etiam parva illorum sensu semper exprimit: resistit autem quan„ tum ad effectum eiusdem remotum ac perfectum, ad quem ex na„ tura sua & voluntate Dei antecedente tendit & ordinatur, sed quem „ non habet, immo nec habere unquam potest (in sensu composito) „ quando opposita concupiscentiae delectatio superior est ". Et pag. *668*. „ Non de quacumque gratia id scripsit Iansenius (eam cum effectu semper reciprocari), sed de illa duntaxat, quam antono„ mastice victricem appellat. Aliam enim esse inefficacem, seu non „ victricem diserte agnoscit Lib. 4. de grat. Christi Cap. 10. in „ fine, ubi ait esse quamdam gratiam " *ita inefficacem, ut ex illa operatio ne quidem possit sequi nisi eius inefficacia per aliam suppleatur* . . . „ Et Lib. 2. Cap. 27. Lib. 3. Cap. 13. gratias illas „ inefficaces veras dicit esse Christi gratias ".

Urgebant Anti-Ianseniani. Iansenius non tantum ait non resisti gratiae, sed ne quidem posse resisti; nam Cap. 24. Lib. 2. de gratia Christi Salvatoris „ Gratiam Dei, inquit, ita victricem Au„ gustinus statuit supra voluntatis arbitrium, ut non raro dicat ho„ minem operanti Deo per gratiam non posse resistere ".

Respondebatur 1.° Iansenium non suis, sed Augustini verbis ibi locutum, multaque S. Doctoris loca retulisse, quae id demonstrant. 2.° Non dici in illo textu, non posse resisti gratiae, sed resisti non posse Deo per gratiam operanti; quod valde diversum est. Siquidem, ut scite observat Alvares Disput. 93. n. 3. „ Ver-

„ bum *reſiſtere*, in ſua formali ſignificatione importat quamdam „ renitentiam, quae reſpectu Dei non poteſt competere alicui propter rationes Diſputat. 31. & 32. aſſignatas ".

Urgebant iterum: Ianſenius gratiam ſufficientem etiam Thomiſtico ſenſu reiecit Lib. 3. de grat. Chriſti Cap. 1. Lib. 4. Cap. 10. in fine.

Vidimus quo pacto ab hac criminatione Ianſenium vindicaverit D. Tournely, oſtenderitque ſolam eum gratiam verſatilem repudiaſſe. Idem praeciſe reſpondebant olim eius defenſores, dicebantque Ipreſſis mentem dubiam eſſe non poſſe, ſi attendantur haec verba Libri tertii de gratia Chriſti Salvatoris Cap. 1. ubi quid nomine gratiae ſufficientis intellexerit, diſtincte explicat „ Vocamus, „ inquit, illam ſufficientem gratiam, ſeu ſufficiens adiutorium, „ praeter quod nihil aliud ex parte Dei per modum principii neceſſarium eſt, ut homo velit aut operetur. Sic enim a multis „ recentioribus & vulgo fere ſolet accipi. Quod ſi vero ſic accipiatur, ut ſufficiens dicatur, ſicut a quibuſdam dicitur, quod ſatis eſt ut homo dicatur poſſe operari, quamvis aliud adhuc neceſſarium ſit, ut de facto operetur, de huiuſmodi ſufficienti gratia „ non eſt hic noſtra controverſia. Talem enim ſufficientem fortaſſe „ non difficulter S. Auguſtinus admitteret, quamvis eſſe veram illam Chriſti gratiam, de qua quaeſtio eſt, pernegaret. Nullum „ igitur iam dari hominibus lapſis adiutorium ſufficiens iuxta primum ſenſum; quin ſimul ſit efficax, in Auguſtini principiis exploratum eſt ". Hinc apparet, inquiebant, Ianſenium quoad rem Thomiſtis conſenſiſſe, ſolaque loquendi ratione diſſenſiſſe; quemadmodum ultro agnoverunt doctiſſimi Theologi e familia Dominicanorum ex Italia, Gallia, Hiſpania Romam aciti, quo tempore negotium quinque propoſitionum ventilabatur. Nam in ſecundo Scripto, quod appararunt, ſic loquebantur: „ Vel quaeſtio eſt de re „ ipſa, vel de nomine: ſi de re, certum eſt Ianſenium admiſiſſe „ quantum ad rem totum illud in quo recentiores Thomiſtae conſtituunt gratiam ſufficientem; ſi de nomine, certum eſt ipſum „ noluiſſe illud admittere ". Idem in ſexto Scripto dixerant. Immo Pallavicinus in tract. de Gratia dictato anno 1645. in Collegio Romano, Art. 4. Diſp. 4. agnoſcit *idem reipſa* ac Thomiſtas *ſentire Ianſenium*. Cum enim, ait, *inficiaretur dari gratiam aliquam ſufficientem, ſubdit eam concedi poſſe, ſi admittatur in eo ſenſu, in quo eam admittit Alvares &c.*

V. la defenſe de la Conſtitution d'Innocent X contre le P. Annat. par M. De Lalane, Chap. 4.

Premebant: Ianſenius ibidem, ait S. Auguſtinum non difficulter quidem admiſſurum fuiſſe gratiam Thomiſtice ſufficientem, ſed negaturum eam eſſe veram Chriſti gratiam.

Reſpondebatur, duplicem in gratia ſufficiente Thomiſtarum reſpectum diſtingui oportere, unum ad effectum quem producit, & cuius ratione efficax eſt, alterum ad effectum cuius producendi potentiam aliquam confert, & ratione cuius mere ſufficiens eſt. Porro Ianſenium fateri multiſque teſtimoniis demonſtrare gratiam ſufficientem ſub primo reſpectu conſideratam, a S. Auguſtino reipſa admiſſam fuiſſe, tanquam veram gratiam Chriſti. Quod vero dicit gratiam ſufficientem, quatenus mere ſufficiens eſt, Auguſtino non eſſe veram gratiam Chriſti, concedi a Thomiſtis, quorum non poſtremus Alvarez docet Diſput. *99. de Auxiliis* num. 2. „ Gratiam „ quae eſt propria Chriſti eſſe gratiam adiuvantem qua Deus facit „ ut velimus “. Hinc patet quam futiliter D. Decker in *ſecunda Defenſione Conſtitutionis VINEAM DOMINI &c.* Ianſenii errorem in eo collocet, quod gratiam ſufficientem, quatenus inefficax eſt, veram Chriſti gratiam eſſe negaverit. Quid abſurdius, quam talia fidei dogmata obtrudere? Pag. 68. & 69.

Urget Deckerus, contenditque iuxta Ianſenium nunquam reſiſti gratiae interiori quoad effectum propter quem datur: quia non ordinatur ad alium effectum, quam quem reipſa producit.

Reſpondet auctor *Chimerae Ianſeniſmi* diſtinguendo propoſitionem. Iuxta Ianſenium non reſiſtitur gratiae interiori quoad effectum ob quem datur voluntate Dei conſequente & abſoluta, Concedit; ob quem datur voluntate antecedente, Negat. Porro voluntatem antecedentem, qua Deus dicitur aliquo ſenſu velle omnes ſalvos fieri & gratiae conſentire, a Ianſenio admiſſam probat ex Lib. 3. de gratia Chriſti Cap. 20. ubi, allata vulgari diviſione divinae voluntatis in antecedentem & conſequentem, addit: „ Haec „ vero doctrina recta & ſana eſt, quam & S. Thomas probat & „ ſequitur “. Utrum autem voluntas antecedens *formaliter* in Deo ſit, an *eminenter* aut alio quovis modo, diſputant inter ſe Thomiſtae, nihilque hac de re definitum eſt. Pag. 197.

Rurſus inſtabant Anti-Ianſeniani: Iprenſis non tantum docet, quod docent Thomiſtae, omnem gratiam producere aliquem effectum, ſed etiam omnem gratiam ſemper producere liberam boni complacentiam, quod Thomiſtae non dicunt. Lib. 4. de grat. Chriſti Cap. 27.

Pag. 669. Audiamus D. Tournely huic obiectioni satisfacientem. „ Respondet, inquit, Dionysius Raymondus 1. Part. Cap. 2. de secunda propositione Articulo 4. tam parvi referre ad systema Iansenii, an aliquem actum liberum deliberatumve, an tantum indeliberatum semper producere dicatur delectatio inferior caelestis Iansenii, ut nunquam illud primum pro dogmate habuerit Iprensis, sed semel tantum, & ipsi quasi aliud agenti, seu per transennam exciderit. Immo verba Iansenii, pergit idem auctor, de plerisque, non de singulis exponi possent gratiis, quasi id vulgo non semper contingat: unde nunquam hanc, quae Iansenio excidit, propositionem, tanquam dogma ipsius propugnavere Iansenii discipuli ac defensores. Quosdam consului, addit citatus auctor, nullusque hactenus occurrit qui ad hanc subtiliorem, ut vocant, quaestionem attenderit. Dionysio Raymondo concinit auctor recens libri inscripti *Chimere du Iansenisme* pag. 192. . . . Et certe ad dogma Iansenii non multum interest utrum liber vel indeliberatus tantum actus ex gratia pure sufficiente, ut vocant, producatur, modo eum omnem semper sortiri dicatur effectum quem ipsi sortiri permittit delectatio actualis opposita ". Sane absurdum foret errorem secundae propositionis ad subtilem hanc quaestionem reducere, quacum nullam aut valde remotam counexionem habet.

Instant demum, ac dicunt delectationem gratiae inferiorem in doctrina Iansenii non tendere ex natura sua ad effectum quem non producit, Deumque nullatenus intendere ut illum producat.

Verum hoc merito explodit D. Tournely, Iansenii defensorum
Pag. 670. solutiones iterum adoptans: „ Respondeo, inquit, Iansenium non potuisse admittere gratias illas leves, quae ad effectum ulteriorem provocant, & a quarum interna suasione multos dissentire constare ait Cap. 27. Lib. 2. quin simul sentiat ipsas saltem ex natura sua ordinari ad illum sortiendum effectum, & aliqua potentia posse hunc sortiri, Deumque quadam voluntate velle ut illum sortiantur, quem tamen nunquam obtinebunt. Iniquum enim est, immo impossibile, gratiam excitare, aut potius eius beneficio Deum ad opus quodpiam provocare, ad quod nec ex natura sua ordinetur, quod nec possit habere, nec Deus aliqua voluntate velit ut unquam habeat . . . . Neque mirari satis possum P. Massoulié, qui Tom. 2. Differt. 4. quaest. 3. Art. 4. pag. 363.

„ & alibi afferit conftanter Ianfenium negare talem fuae gratiae le-
„ vis ordinationem ad ulteriorem effectum ".

Adverfariorum agmen claudit D. Tournely, caeterifque hoftibus repulfis, Ianfenium hinc aggreditur, quod per gratiam parvam five fufficientem vires adverfae delectationi proportionatas dari negaverit. „ Non enim quaevis gratia ", ait Ianfenius Lib. 2. de gratia Chrifti Salvatoris Cap. 27. „ ad quofvis effectus inferendos fufficit; fed poteftates operationum difficultati attemperandae funt ". Idem obiicit Cardinalis Biffius in documento Paftorali anno 1722. Part. 1. pag. 335. ubi Ianfenium ab aliis erroribus dudum ei attributis vindicat.

Refpondeo hos novos adverfarios, ficut antiquiores omnes repulerunt, fic ipfos viciffim ab antiquioribus dudum repulfos effe, utpote qui pro catholico femper agnoverint, quod hi haereticum effe contendunt. Sane peculiare non eft Ianfenio negare gratiam parvam ad integrum effectum producendum fufficere. Idem fentiunt Thomiftae, atque inter caeteros Sylvius in 1. 2. 9. 109. Art. 4. „ Ut homo, inquit, divina mandata fervet, gratia illa non fufficit; fed oportet quod etiam adfit gratia efficax ".

TERTIA PROPOSITIO.

Ad merendum & demerendum in ftatu naturae lapfae, non requiritur in homine libertas a neceffitate, fed fufficit libertas a coactione.

Huius propofitionis error cuivis legenti obvius eft, atque in eo confiftit, ut probatum eft quaeft. 1. quod fublata in homine lapfo potentia ad oppofita, voluntas ad bonum & malum, fubdatque libertatem, fubdatur abfolutae neceffitati agendi bonum vel malum coactionis tantum feu violentiae expertem.

Ianfenii circa libertatem doctrinam ad quatuor capita revocant illius apologiftae: 1.° eft, libertatem in genere, prout Deo, Chrifto, Angelis, Beatis, & hominibus viatoribus convenit, effentialiter confiftere in immunitate a coactione, feu in voluntario; adeo-

que generatim loquendo, quidquid eſt voluntarium, liberum quoque eſſe: 2.° ad merendum vel demerendum generatim, abſtrahendo a merito & demerito praeſentis ſtatus, non requiri immunitatem a neceſſitate naturali & intrinſeca, ſed tantum a violentia externa & cum tali libertate Chriſtum meruiſſe: 3.° ad meritum & demeritum in praeſenti ſtatu, non requiri indifferentiam Molinianam, quae poſitis omnibus ad agendum requiſitis ex aequo in alterutram partem ſeſe flectere poſſit: 4.° ad meritum vel demeritum, in natura lapſa, requiri immunitatem a neceſſitate abſoluta & indifferentiam activam, qualem Thomiſtae admittunt, agendi vel non agendi, bonum vel malum agendi.

Quartum hoc caput, quod totius controverſiae cardo eſt, multis e Ianſenio deſumptis teſtimoniis demonſtrari contenderunt, inprimis ex Lib. *6.* de gratia Chriſti Salvat. Cap. 34., in quo Ianſenius totus eſt, ut probet eſſe in homine lapſo indifferentiam actiPag. 304. Col. 2. vam ad bonum & malum. „ Aliter Deus, inquit, aliter Angeli „ viatores & primus homo, aliter beati, aliter damnati, aliter „ homines reparandi, aliter Chriſtus Dominus in via conſtitutus „ liber fuit . . . hominum enim viatorum non ſolum coactionis „ expertem eſſe libertatem, ſed etiam neceſſitatis immutabilis vo„ luntariae, hoc eſt eam ad utrumque indifferentem eſſe, cum Scri„ pturis, Auguſtino, & Patribus & catholica fide fatemur perliben„ ter: ſed in illa indifferentia ſitam eſſe generaliter humani arbi-
Pag. 305. Col. 1. „ trii libertatem iidem Patres pernegarent " . . . Et poſtea. „ In „ Angelis & primo homine viatore indifferentiſſimum fuit " (liberum arbitrium) „ ad bonum & ad malum; in hominibus lapſis „ viatoribus itidem indifferens, ſed longe minus: utpote qui vident „ aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuae ".
Pag. 394. Col. 2. Laudabant etiam haec verba eiuſdem lib. Cap. 20. „ Neque quiſquam ex eo conſectaneum eſſe putet, inquir, nullam ſupereſſe li„ bero arbitrio indifferentiam, in Deo quidem beatiſque creaturis „ ad opera bona, in damnatis ad mala, in viatoribus ad bonum „ & malum. Abſit ut hoc vel Auguſtinus, vel quiſquam illorum „ Scriptorum quos protulimus ſuſpicatus fuerit: cuius contrarium „ ex Auguſtini Scriptis infra adverſus haereticos noſtri temporis „ probaturi ſumus. Nam ſecundum diverſitatem ſtatuum, creaturae „ ſive naturae rationalis indifferentia quoque in operando diverſa „ eſt, ſive ad bonum tantum, ſive ad malum tantum, ſive ſimul

„ ad bonum & malum. Sed hoc tantum asserimus, non in istis „ indifferentiis esse sitam iuxta Scriptores illos essentialem arbitrii „ libertatem". Et Cap. 4. Lib. 8. ubi libertatem a necessitate Pag. 350. Col. 1. cum gratia efficacissima stare ostendit iuxta Thomistarum principia: „ Quidquid physicae praedeterminationis defensores pro sua sententia protulerunt, inquit, ut liberum arbitrium sub ea salvum esse „ persuadeant; quidquid etiam ad dissolvenda oppugnantium argumenta, totaque repercutienda moliti sunt, pro hac sententia dictum puta . . . Nam fere quidquid ab adversariis obiici potest, „ unica illa distinctione sensus compositi & sensus divisi, quam isti „ praedeterminationis physicae defensores adhibent, solvi ac dissipari „ potest. Non enim necesse est, aiunt, ut cum omnibus illis ad „ agendum requisitis, inter quae etiam caelestis delectatio est, stet „ simul ut non agat voluntas; sed solum ut posset non agere. In „ libero enim arbitrio quantumcumque ad agendum praeparato, immo determinato & actu operante, reperitur, ut ipsi docent, „ simultas potentiae ad operandum & non operandum; non potentia simultatis, ut videlicet simul agat & non agat. Hoc est, ut „ clarius dicatur, in libero arbitrio est potestas ad opposita, non „ tamen potestas ad opposita simul in se habenda". Et paulo post. Col. 2. „ Eodem modo locus Concilii Tridentini, quo dicit *quod liberum* „ *arbitrium a Deo motum & excitatum possit dissentire si velit*, „ itemque quod *inspirationem recipiens illam & abiicere potest*, „ non difficulter ab eis & nobis solvi potest. Concilium enim in „ sensu diviso, ut aiunt, loquitur, quo significatur hominem ita „ recipere Dei inspirationem & motionem, & excitationem istius „ delectationis aut praedeterminationis (addo, si libet, etiam actualem ipsius voluntatis consensionem & motum) ut non auferat „ eius voluntati potestatem dissentiendi si velit, quamvis actualis „ dissensus cum illis praesuppositis componi nequeat. Potestas enim „ dissentiendi non repugnat isti excitationi, aut delectationi, aut „ praedeterminationi, aut ipsi etiam consensui actuali voluntatis, „ sed tantum dissensus actualis". Idem docet eiusdem Lib. 8. Cap. 17. pag. 369. Col. 1.

Laudabant demum Caput vigesimum eiusdem libri, ubi catholicum de libertate naturae lapsae dogma disertissime exponit. „ Quandiu hic vivimus, inquit, sive in infidelitate ante gratiam, Pag. 372. Col. 1. „ sive iam sub gratia, indifferentia ad contraria, hoc est, ad vo-

„ lendum faciendumque bonum & malum, semper inest libero ar-
„ bitrio; sed non eo modo quo isti scholastici putant " (hoc est, quae sit versatilis supremaque suorum actuum domina). „ Alio
„ igitur sensu liberum arbitrium ante gratiam, quemadmodum etiam
„ alio sensu sub gratia, indifferentiam contrarietatis & contradictio-
„ nis habet; ita videlicet ut quibuscumque positis, quae ad agen-
„ dum bonum & malum requisita sunt, possit liberum arbitrium
„ in hac vita facere bonum & malum, facere alterutrum & non
Col. 1. „ facere ". Et deinceps: „ Dicimus igitur liberum arbitrium quan-
„ tumcumque vehementi & efficaci gratiae delectatione praeventum
„ & determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen posse bonum
„ non tantum non facere, sed etiam malum. Verum est enim
„ istud, non quidem in sensu composito, ut vulgo dici solet, sed
„ in sensu diviso. Nimirum quia eodem tempore quo voluntatis
„ arbitrium sub gratiae delectatione efficaciter eam movente posi-
„ tum est, immo quo etiam actum voluntatis bonum facit, est in
„ eadem voluntate potestas illud non faciendi, immo peccandi . . .
„ Nam quamvis duo actus contrarii sint oppositi, & in eadem vo-
„ luntate simul esse non possint, potestates tamen ad opposita non
„ sunt oppositae, nec sibi invicem, nec actibus oppositis, & in
„ eodem simul subiecto, sive agente sive quiescente commorantur.
„ Sic ergo voluntas, quantumcumque gratiae suavitate rapiatur, po-
„ test non agere id quo rapitur; quia veram non agendi potestatem
„ etiam sub gratia rapiente retinet, quamvis fieri nequeat ut ipsa
„ non actio cum gratiae operatione in eadem simul voluntate co-
„ puletur ". Et postea: „ Quemadmodum qui sub gratia ad opus
„ bonum determinante operatur, simul etiam peccare potest, ita
„ quoque e contrario qui gratia ista destituitur, sive fidelis, sive
„ infidelis, & peccandi tentationibus quatitur, potest bene facere;...
„ quia quantumcumque ad peccandum peccati voluptate, hoc est
„ voluntatis infirmitate trahatur, manet in arbitrio non solum fides
„ & habitus boni in fidelibus, sed in infidelibus etiam illa saltem
„ naturalis flexibilitas seu capacitas qua liberum arbitrium credere,
„ sperare, ac Deum diligere potest ". Et Cap. sequenti, cum sibi obiecisset concordiam libertatis & gratiae a se traditam a damnato Calvini errore non satis videri recedere, respondet multa in Calvino damnata esse. „ Primum est, inquit, quod Calvinus negat esse
„ in homine boni & mali electionem . . . . quod ex diametro cum

„ S. Augustini sensu pugnat, qui docet hominem libere eligere non „ solum malum, sed etiam bonum . . . . 2.um Est quod Calvinus „ doceat gratiam ita movere hominem, ut non sit ei liberum re- „ sistere: sic enim loquitur: *voluntatem Deus movet non qualiter „ multis saeculis creditum est & traditum, ut nostrae postea sit „ electionis motioni vel obtemperare vel refragari*. Augustino vero „ Dominus ita movet voluntatem, ut quamvis infallibiliter conver- „ tatur & operetur, possit tamen motioni Dei refragari aut obtem- „ perare, seu, ut Concilium Tridentinum loquitur, *illi dissentire „ si velit;* potentia quippe dissentiendi non repugnat actuali gratiae „ motioni & consensui, quamvis fieri nequeat ut actualis dissensus „ cum actuali Dei motione iungatur. 3.um Est quod nolit homi- „ nem gratiae moventi pedissequa voluntate consentire . . . . hoc „ autem a modo quo S. Augustinus gratiam cum libera voluntate „ conciliat, prorsus alienum est . . . 4.um Et principium omnium „ istorum praecedentium est, quod exerte docet virtutem & vitium, „ bene agere & male, non esse in nostra potestate . . . . quo quid „ ad liberum arbitrium radicitus extirpandum capitalius excogitari „ potest? . . . 5.um Denique quod fronte retecto tandem docet, non „ esse in homine liberum arbitrium, ipsumque nomen inane & ex- „ terminandum esse “.

Ex his testimoniis aliisque plurimis Iansenii Apologistae concludebant manifestum esse, Iansenium in statu naturae lapsae agnovisse veram libertatem, non solum coactionis, sed etiam necessitatis intrinsecae expertem, palamque confessum esse, sub motione gratiae efficacissimae, & sub delectatione peccandi vehementissima remanere activam indifferentiam, veramque potentiam non tantum contradictionis, sed etiam contrarietatis.

Talem reipsa Iansenii doctrinam fuisse consentiunt hodierni eius adversarii, Deckerus in *secunda defensione Constitutionis*, *VINEAM DOMINI &c.*, D. Tournely in suo tractatu de Gratia, nec non Eminentissimus Bissius Meldensis Episcopus in documento Pastorali anni 1722. pag. 337., ubi sic loquitur: „ Iansenius nun- „ quam negavit hominem habere potentiam remotam per liberum „ arbitrium, per concupiscentiam, quae semper hac in vita rema- „ net, & per actuales tentationes, resistendi gratiae vehementiori: „ sed contendit per haec omnia non conferri potentiam completam, „ sufficientem & proportionatam viribus gratiae, ad denegandum

„ illi consensum. Nunquam etiam negavit hominem habere potentiam remotam per liberum arbitrium, per fidem, per gratiam sanctificantem, consentiendi gratiis interioribus & praevenientibus, quae parvae & debiles sunt: sed semper contendit varios illos gradus potentiae non facere potentiam plenam, sufficientem, proximam, & proportionatam viribus diversarum tentationum dandi consensum gratiis illis parvis ".

Verum reclamant reliqui Anti-Iansenianі, atque ut probent Iansenium nullam in praesenti statu indifferentiam ad bonum vel ad malum admisisse, multa ex eius libro opponunt, quorum praecipua haec sunt Lib. de gratia Christi Cap. *6.* „ Aperte consectaneum est, inquit, omnem omnino voluntatem, quantumcumque ad unum determinatam, nulla tali necessitate, qua dicitur, necesse est ut velit, desinere esse liberam; quia non desinit esse voluntas, quae non esset si nollemus ". Ibidem Cap. 24. „ Docet S. Thomas opus esse laude vel vituperio dignum ex hoc quod est voluntarium, non coactum, tametsi sit determinatum ad unum ". Et Cap. 38. „ Unanimiter constantissimeque docent (sanctissimi & eruditissimi viri) voluntatem, hoc ipso quo rationalis voluntas est, esse liberam, sua non posse privari libertate, nec voluntatem, id est volitionem futuram, nisi esset libera & in potestate; nullam immutabilitatis, inevitabilitatis, vel quocumque voces nomine, sed solam coactionis necessitatem ei repugnare ".

Responderunt Paulus Irenaeus & Dionysius Raymundus. 1.° Idem a Sanctis Doctoribus & Theologis expressis verbis dictum fuisse, a S. Augustino Lib. 5. de Civit. Dei Cap. 10. & alibi, a S. Bernardo Lib. de grat. & libero arb., a S. Ioanne Damasceno Lib. 3. orthodoxae fidei Cap. 14., a S. Thoma quaest. 10. de potentia Art. 2. ad 5.um & Part. 1. *9.* 88. ad 1. Et in 3.um Dist. 23. Art. 4. &c., ab Hugone Victorino tract. 2. Cap. 4., a Magistro Sententiarum, a Guillelmo Parisiensi, ab Alexandro Halensi, a Richardo de Media-Villa in 2.um Dist. 25. Art. 3., a Scoto quodlib. *16.*, a Thoma de Argentina in 3.um Dist. 12., a Marsilio ab Inghen, a Gabriele Biel, a Petro Capulcio &c. Ecquis autem, inquiebant, haeresis aut temeritatis iure arguatur, tot illustrium Doctorum vestigia secutus?

Responderunt 2.° Iansenium haec dixisse de libertate in genere de qua toto Lib. *6.* disseruit, non vero de libertatis specie quae huic

huic naturae ſtatui propria eſt, idque confirmatunt his verbis quae initio Libri 7. leguntur: „ Hactenus declaravimus generalem liber- „ tatis rationem . . . . in eo ſitam eſſe quod immunis ſit a ne- „ ceſſitate coactionis ". Porro, ait Paulus Irenaeus diſquiſit. 6. Art. 4. „ Nemo libenter non agnoſcit Summum Pontificem neuti- „ quam ſua Conſtitutione generalem illam attigiſſe quaeſtionem, „ utrum libertas, quatenus Deo competit, Chriſto, Beatis, Ho- „ minibus & Daemonibus, poſtulet indifferentiam. Nam & Philo- „ ſophica potius quam Theologica eſt, & nominis plus fortaſſe „ quam rei ". Et ſane tertia propoſitio non agit de libertate in genere, nec generatim de libertate neceſſaria ad merendum aut de- merendum, ſed tantum de libertate in ſtatu naturae lapſae ad me- ritum & demeritum requiſita.

Inſtabant: non tantum libertatem in genere Ianſenius collocat in voluntario, ſed etiam libertatem praeſentis ſtatus. Nam Lib. 4. de ſtatu naturae lapſae Cap. 24. ſic loquitur: „ Sic ergo & hic Pag. 280. Col. 1. „ (in praeſenti vita), etiamſi ille perverſus amor ſui in quem „ ex Dei dilectione rationalis creatura lapſa eſt, & in quo ex „ iuſtiſſima Dei voluntate perſeverat . . . firmiſſime adhaereat vo- „ luntati, immo etiamſi non ſolum ſpecificatione ut nunc eſt, ſed „ etiam exercitio, quemadmodum amor beatificus eſſet neceſſarius, „ non tamen ex Auguſtini mente desineret eſſe liber ". Lib. 6. de grat. Chriſti Cap. 34. ait: „ Neque enim quiſquam, ſpero, ita „ deſipuerit, ut hominem etiam viatorem libertatem amiſſurum „ putaret, ſi liberrima & liberatrice charitate ita humanum libera- „ retur & firmaretur arbitrium, ut quod Beatis iam in praemium „ retributum eſt, in hac vita conſtitutus amplius iam peccare non „ poſſet ". Et Lib. 8. Cap. 17. „ Si etiam in hac vita, inquit, „ Dei inſpiratio tam ſtabiliter ac delectabiliter Deo operante inhae- „ reret voluntati, ut eam non poſſet abiicere, feliciſſimum, fortiſ- „ ſimum, liberrimumque merito diceretur atque eſſet arbitrium ".

Reſpondebant Ianſenii defenſores. Eum his in locis loqui hy- pothetice, agnoſcendo longe alium eſſe nunc ſtatum libertatis, quam ſupponit. Nimirum libertas hominis lapſi ſpectari poteſt vel praeciſe ut libertas, vel ut libertas hominis lapſi. Porro, inquiebant, Ian- ſenius ſenſit quidem hominem lapſum, ſi bonum vel malum natu- rali, ſed voluntaria neceſſitate ageret, non ideo liberum futurum non eſſe; ſed addit talem non eſſe praeſentem libertatis ſtatum.

„ Genus “, ait Paulus Irenaeus disquisit. *6.* Art. 4. „ praescindit „ quidem a speciebus, sed tamen in speciebus est. Gradus sentien- „ tis rationem non involvit, & tamen sentiens in homine est qui „ rationem habet, non quatenus sentiens, sed quatenus homo. Si- „ militer generica illa libertas, quam tractat & evolvit Iansenius, „ ut in Deo & in Beatis, sic etiam in homine lapso est, nec in- „ volvit etiam in homine lapso indifferentiam quatenus libertas est, „ sed illam aliunde individuo nexu habet adiunctam, quatenus li- „ bertas est hominis lapsi & viatoris; sicut sentiens, cum non in- „ volvat in se rationem, eam tamen, quatenus in homine est, in- „ divulso nexu habet annexam “.

Miror quod D. Tournely eadem testimonia congesserit, ut probaret errorem tertiae propositionis a Iansenio traditum esse. Nam necessitas de qua in illis agitur absoluta est, qualis est beatorum respectu amoris beatifici: atqui D. Tournely fatetur hanc necessitatis speciem a Iansenio in praesenti statu admissam non fuisse, sed tantum necessitatem, quam vocat relativam, quae veram & absolutam ad oppositum potentiam non excludat. Assignans enim in quo positus sit tertiae propositionis ac Iansenii error sic loquitur pag. 568. „ Sensus tertiae propositionis non est necessitatem natu- „ ralem, qualem habemus ad amandam beatitudinem in communi; „ aut involuntariam, qualem etiam experimur in motibus primo „ primis & indeliberatis; vel necessitatem antecedentem, ... vel „ necessitatem immutabilem . . . vel necessitatem absolutam, quae „ ex se semper & ubique, ac praecisis subiecti circumstantiis, ad „ unum quid invincibiliter & insuperabiliter determinat . . . sensus „ inquam non est eiusmodi necessitatis species non nocere merito „ hominis lapsi, & in quibusdam huius status meritoriis actionibus „ reperiri: certum etenim est eas omnes a Iansenio disertis verbis „ excludi tanquam alienas a libertate ut nunc est. Verum sensus „ est necessitatem simplicem, deliberatam, voluntariam, mutabilem, „ relativam, specificationis, quae absolutam quidem, sed non rela- „ tivam ad praesentes subiecti dispositiones potentiam relinquit „ (quas necessitatis species Iansenius admittit) cohaerere cum li- „ bertate huius status “. Quid, quaeso, hoc est nisi secum ipso pugnare? Nam si Iansenius in locis modo allatis praesentem libertatis statum describit, ergo voluntatem hominis lapsi absolutae agendi necessitati subdit, falliturque D. Tournely ab hoc eum er-

rore purgant: si vero Iansenius a libertate nostri status absolutam agendi necessitatem exclusit, ergo loca a D. Tournely allata, in quibus de absoluta agendi necessitate manifeste agitur, non sunt ad rem, sed alium libertatis statum describunt.

Instat D. Tournely pag. 559. „ Quis facile crediderit Iansenium unice de libertate generatim & abstracte sumpta, quae parum vel nihil ad institutum suum conducebat, egisse; non vero de libertate ad merendum vel demerendum in hocce statu necessaria, de qua potissimum, seu potius unice erat quaestio, ex qua laus aut vituperium actionum nostrarum pendet? Egit profecto de hac ipsa libertate quam Manichaei negaverant, Pelagiani vero ac Semipelagiani plus aequo extulerant, quam eximie S. Augustinus adversus primos asseruit, & adversus alios intra debitos fines compescuit; quam denique Iansenius ipse cum efficaci gratiae motione stare ac conciliari ostendere conatus est. Quis porro ita stupidus qui non intelligat ista pertinere ad libertatem propriam huius status, non vero tantum ad libertatem universim ac generice sumptam "?

Respondeo, iniquissimum esse, factum evidentissimum adeo frivolis suspicionibus obscurare velle. Ostensum est modo Iansenium toto libro sexto de gratia Christi, de libertate generice sumpta unice tractasse, aliamque libertatis in genere, aliam libertatis huic statui propriae notionem tradidisse, illam in voluntario praecise, hanc in facultate activa ad opposita collocando. Contra manifestissimam lucem quid valent coniecturarum nubeculae. Caeterum mirum non est, Iprensem Episcopum de libertate in genere fuse tractavisse, cum & S. Augustinus, cuius doctrinam explanandam susceperat, circa illam saepissime occupatus fuerit, & aliunde libertas specifica huiusce status probe cognosci non possit, nisi libertas generica, quae in hac continetur, perspecta primitus habeatur.

Et certe Iansenius libertatis genericae consideratae essentiam in voluntario sic collocat, ut eam cum absoluta necessitate stare contendat. Atqui libertatem praesenti status, fatente D. Tournely, non absolutae, sed relativae tantum necessitati subdidit. Ergo D. Tournely fatendum est, Iansenium aliter de libertate in genere, aliter de libertate naturae lapsae sensisse.

Obiiciebat P. Annatus in informatione *de quinque propositionibus* pag. 95. Iansenium non admisisse voluntatis indifferentiam

activam, sed passivam tantum, ad recipiendum diversas impressiones, alternisque vicibus necessitatam ad bonum & ad malum. Sic nempe illum loqui Lib. 3. de statu naturae lapsae Cap. 13. „ Ex „ quibus omnibus recte colligas non alio sensu nobis post lapsum „ ante reparationem superesse libertatem arbitrii ad bonum, nisi „ quia arbitrium est tantummodo capax boni, hoc est, quia Deo „ quod amissum est reparante, actualem libertatem arbitrii boni „ faciendi recipere potest ". Immo Lib. 7. de gratia Christi Cap. 13. & 14. docere, per gratiam efficacem tolli indifferentiam.

Respondebatur, nullum Iansenii textum proferri posse, in quo dixerit, hominem lapsum indifferentiam, nisi passivam non habere; contra multa proferri in quibus indifferentiam activam tum contradictionis, tum contrarietatis in homine lapso diserte agnoverit, fatente ipsomet P. Annato, qui eum sibi contradixisse affirmat. Etiamsi Iansenius sibi non constare interdum videretur, inquiebant, nonne pietati magis consonum foret, Episcopum in Ecclesia catholica mortuum catholice interpretari locaque obscura, si quae sint, per manifeste orthodoxa exponere, quam contradictionis, aut, quod peius est, haeresis notam eius memoriae inurere? Addebant textus ab Annato productos ipsi non favere: nam in primo Iansenium hoc unum voluisse, libertatem, antequam per gratiam sanetur, expeditam non esse ad bonum, quamvis capax sit non solum recipiendi, sed etiam active operandi bonum, in altero, nonnisi Molinianam indifferentiam exclusisse.

Lib. de incenda libertat. pag. 175.

Instabant Iansenii obtrectatores, eum Lib. 7. Capp. 5. *6.* *7.* 8. & *9.* admisisse, absente gratia, necessitatem peccandi.

Respondebant eiusdem Apologistae, hanc ipsam necessitatem a S. Augustino admissam esse Lib. de perfectione iustitiae Cap. 4. libri 1. operis imperf. Cap. 104. & aliis in locis a Iansenio ibidem allatis. 2.° Eam necessitatem, quam in solis infidelibus vel obduratis admisit Iansenius, non esse necessitatem specificationis, ut aiunt, quae ad hoc vel illud peccatum determinet; sed tantum exercitii, ad peccandum in genere impellentem. Demum eam exercitii necessitatem a Iansenio admissam, non esse absolutam nec excludere potentiam activam ad contrarium, sed aliqualem, ut constat ex eo, quod iuxta ipsum in voluntate, quantumcumque vehementi delectatione ad malum rapiatur, remaneat semper indifferentia activa ad faciendum bonum.

Deckerus obiicit, Ianſenium, quamvis indifferentiam actívam bene vel male agendi in ſtatu naturae lapſae admiſerit, in eo tamen erraſſe, quod eam ad merendum vel demerendum requiri negaverit. *In ſecunda defenſione Conſtitutionis, VINEAM DOMINI SABAOTH* p. 42.

Reſpondet auctor *Chimerae Ianſeniſmi* Cap. 15. Neminem primis temporibus hoc in Ianſenio reprehendiſſe aliunde, quidquid de merito vel demerito in genere conſiderato Ianſenius ſenſerit, ad huiuſce ſtatus meritum ac demeritum requiſiviſſe indifferentiam activam, ſiquidem eam ad libertatem hominis lapſi, ſine qua nullum meritum eſſe poteſt, diſerte requiſivit Cap. 4. Lib. de gratia Chriſti Salvat. cui titulus eſt: „ Solvuntur generaliter Scripturae, Patres & Concilia, quae requirunt indifferentiam ad utrumlibet ". Sic nempe ibi loquitur: „ Quando Scripturae, vel Patres, vel Concilia indifferentiam illam agendi boni & mali, & arbitrii flexibilitatem ad utramlibet partem urgent, aut iudicant, aut provocant, per quam ſcilicet poſſumus, ſi volumus, bene vel male vivere, velle vel nolle, divinae inſpirationi libere conſentire eamque abiicere, Deo vocanti conſentire vel diſſentire; certum liberi arbitrii ſtatum reſpiciunt, cui eiuſmodi flexibilitas propria & ſemper praeſto eſt; non autem quaſi continuo non eſſet liberum quidquid huiuſmodi flexibili in utrumlibet poteſtate caret ". Superius dixerat: „ nullo pacto quae in uno ſtatu libertatis adſunt, aut etiam requiſita ſunt, ad alterum extendenda eſſe ". Igitur pergit idem auctor, ſi quando dicit Ianſenius hominem nihilominus meriturum, etſi determinaretur ad bonum ſicut Angeli ac Beati, loquitur in hypotheſi methaphyſica, quam in praeſenti ſtatu iuxta conſtitutas a Deo leges nunquam contingere pro certo habuit. Pag. 212.

QUARTA PROPOSITIO.

Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant haeretici quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

Quaest. 1. DIximus supra, errorem huius propositionis esse, gratiam ad singulos pietatis actus necessariam tollere omnem resistendi potentiam, Semipelagianorum haeresim in eo sitam fuisse, quod hanc necessitantem gratiam agnoscere detrectaverint.

Ab hoc errore alienum fuisse Iansenium probabant illius defensores exponendo quid hac de re docuerit, quod quidem his articulis comprehenderunt: 1.us aliquos Semipelagianos alicuius gratiae interioris necessitatem, etiam ad initium fidei, admisisse: 2.us gratiam ab illis admissam ad initium fidei, esse gratiam versatilem & humano arbitrio subiectam: 3.us illos in hoc fuisse haereticos, quod gratiam vi propria efficacem ad initia fidei necessariam esse confiteri nollent: 4.us gratiam seipsa efficacem non tollere resistendi seu dissentiendi potentiam, sed tantum actualem dissensum. Hoc ultimum plurimis Iansenii textibus adstruebant, e quibus pauca referam. Lib. 6. de gratia Christi Cap. 1. cum gratiam sufficientem (Molinianorum) eam esse dixisset, „ praeter quam nihil aliud ex parte Dei „ per modum principii necessarium est ut homo velit & operetur ", hanc gratiae notionem hoc inter alia plurima argumento refellit. „ Tertio quia est adiutorium, quod Massilienses ad credendum ne„ cessarium esse atque ita sufficere statuebant, ut cum eo credere „ posset homo, si vellet: qui tamen tanquam haeretici proscripti „ sunt, non aliam sane ob caussam, nisi quia tale auxilium homi„ ni sufficere putarent, adeoque nullum aliud adiutorium ad cre„ dendum actu ex parte Dei esse necessarium ". Lib. 7. Cap. 14. docet gratiam seu delectationem adeo perfectam, ut omnem indifferentiam excludat, non esse huius vitae, sed Sanctis Deo iam fruentibus reservari: „ si perfecta caelestis gratiae delectatio voluntati „ tribuatur, ait, indifferentiam illam philosophicae libertatis fundi-

Pag. 340. Col. 2.

„ tus interimit, ficut hoc in animabus fua beatitudine fruentibus „ manifeftum eft: quia non amplius illo rore delectantis gratiae „ afperguntur ut nos, fed eius torrente inebriantur, qui affectum „ tantopere ad diligendam iuftitiam & non diligendam iniquitatem „ rapit, ut non poffit illam non diligere, vel hanc diligere". Lib. 8. Cap. 20. & 21. agnofcit, fub gratia efficaciffima femper remanere potentiam non tantum abftinendi a bono ad quod movet, fed etiam agendi malum oppofitum; expreffeque damnat errorem Calvini affirmantis voluntatem a Deo ita moveri, „ ut noftrae „ poftea non fit electionis motioni aut obtemperare aut refragari".

Hoc confirmabant confeffione Proteftantium, e quibus Leyddekkerus Profeffor Ultraiectinus Thefi 4. *de Ianfenianifmo* Ianfenium Ianfenianofque arguit, reos agit quod cum gratia ab intrinfeco efficaci diffentiendi potentiam in voluntate remanere contendant.

Iprenfis Apologiftis hactenus affentiuntur moderni eiufdem obtrectatores. Deckerus in *fecunda defenfione &c.* pag. 42. „ Ianfe„ nius, inquit, non dicit cum Calvino Deum ita movere volun„ tatem ut non fit eius liberae electionis motioni refragari vel ob„ temperare; immo contrarium afferit, approbatque illud Synodi „ Tridentinae, *Poteft illi diffentire fi velit*". Pariter D. Tournely pag. 609. „ Senfus Ianfenii non eft, inquit, gratiam effica„ cem, qualis a catholicis defenditur, talem effe ex natura fua ut „ in fenfu divifo non poffit fuo effectu fruftrari. Id nufquam do„ cuit Ianfenius, immo plane contrarium. In eius quippe fyfte„ mate gratia non abfolute, fed relative eft victrix; ergo cuicum„ que gratiae in fe & abfolute fpectatae diffentiri femper poteft, „ quia oppofita concupifcentia femper augeri poteft ac magis in„ flammari. In eo duntaxat error ipfius eft, quod pertendat gra„ tiae relative fuperiori voluntatem non poffe diffentire, quia ne„ ceffe eft ut fecundum maiorem indeliberatam delectationem ope„ retur". Non attendit profecto hic Theologus ex delectatione relative victrici non magis fequi neceffitatem agendi relativam, quae fit vera neceffitas, quam ex delectatione abfolute & fimpliciter victrici fequatur abfoluta & fimplex neceffitas, quae fit vera neceffitas. Porro ipfemet agnofcit & late probat pag. 644. & feqq. ex delectatione abfolute & fimpliciter victrice non fequi abfolutam agendi neceffitatem, fed confequentem tantum & improprie dictam; ergo relativa neceffitas quae ex delectatione relativa fluit, non eft vera & proprie dicta neceffitas, fed tantum confequens.

Non minus aperte Iansenium eiusque defensores a Calvini errore vindicat idem auctor ibidem pag. 678. ubi sic loquitur: „ 1.° Non „ aliam indifferentiam removisse videri vult (Iansenius) quam „ eam quae dicitur aequilibrii, quaeque est, ut ait ipse Libro 7. „ de gratia Christi, *instar bilancis quae facillimo nutu in alterutram partem impelli potest*, qualem indifferentiam Pelagianam & „ Semipelagianam saepius appellat . . . 2.° Indifferentiam exercitii „ ad hoc vel illud malum sub delectatione terrestri superiori, ad „ hoc vel illud bonum sub dominante caelesti delectatione, diserte „ profitetur se agnoscere; idque passim v. g. De statu naturae lapsae Lib. 2. Cap. 3. Lib. 4. Cap. 19. 20. 21. 24. &c. 3.° Lib. „ 8. de gratia Christi Cap. 4. & 20. asserit se eamdem sub motione gratiae victricis libertatem admittere, quam Thomistae sub „ praemotione physica; omniaque quae ad tuendam arbitrii libertatem isti proferunt, se pariter proferre posse: ea omnia dicta „ hic pro se vult. 4.° Lib. 4. de statu naturae lapsae Cap. 21. & „ Lib. 6. de Gratia Cap. 34. affirmat indifferentiam omnes huius „ vitae actiones comitari. Idipsum quoque legere est Lib. 8. Cap. „ 20. 5.° Saepius affirmat se de libertate generice & essentialiter „ tantum sumpta, non vero de libertate huius status habere sermonem, cum ad hanc contendit indifferentiam requiri. Possem & „ alia bene multa hic proferre quibus Iansenius doctrinam suam „ emollire ac asperitatem verborum, quae ipsi aliquando, dum „ aestu disputationis abripitur, excidunt, benigne temperare conatur: sed haec sufficiunt cum his quae superius ex ipso retuli- „ mus ". Quis non crederet Iansenium post haec catholicum pronuntiatum iri? Quae enim haeresis esse potest hominis ea confitentis, quae, teste D. Tournely, Iansenius confessus est? Tamen quidquid dicat Iansenius, quo catholicum se probet, velit nolit, haeresis maculam non absterget. „ Ea omnia, inquit D. Tourne- „ ly, ad fraudem & fucum faciendum a Iansenio prolata sunt, & „ quo sensu sint intelligenda, maxime ex ipsius principiis circa de- „ lectationem supra exposuimus ". Hoc est in his omnibus non agnoscit potentiam relativam & aequilibrii, adeoque haeresim non deponit. Et quasi parum esset Iansenium sic damnasse, pios doctosque Theologos fraudis, mendacii, & haeresis accusat: „ Quidni, „ inquit, suspicari liceat a defensoribus eiusdem systematis eadem „ mente, eodem consilio quo a Iansenio, eosdem aut similes emol-

„ litos

„ litos loquendi modo usurpari "? Saltem ab omni noxa immunes erunt Iansenius Ianseniique defensores, si nec doctrina delectationis relative victricis in quinque propositionibus damnata sit, nec doctrina aequilibrii sancita. Atqui utrumque certum est & indubitatum. Ergo, teste D. Tournely, Iansenius Ianseniique defensores nive candidiores sunt.

Non ita cum Iansenio agebant primi illius impugnatores, sed audacter afferebant eum huiusmodi gratiam praedicasse, qui potentiam dissentiendi non relinquat. Idque his potissimum textibus demonstrare nitebantur. 1.° Lib. 8. de haeresi Pelagiana Cap. 6. „ In „ hoc igitur proprie Massiliensium error situs est ", verba sunt Iansenii, „ quod, aliquid primaevae libertatis reliquum putant, quo „ sicut Adam si voluisset poterat perseveranter operari bonum, ita „ lapsus homo saltem credere posset si vellet: neuter tamen absque „ interiori gratiae adiutorio, cuius usus vel abusus esset in unius „ cuiusque arbitrio & potestate ". 2.° Lib. 2. de grat. Christi Cap. 15. „ Prior Massiliensium error erat quod initium fidei, orationem, gemitus ac desideria & huiusmodi ex nobis, hoc est, ex „ libero arbitrio prosilire censerent: & tamen gratiam etiam actualem in eorum opinione fuisse ad istos actus necessariam, cuius „ influxus in eorum libero relinqueretur arbitrio; & hoc eos apertissime docuisse iam supra late patefecimus ". 3.° Lib. 2. de gratia Christi Cap. 40., exponens discrimen quod intercedit inter gratiam naturae sanae & gratiam medicinalem, cuius discriminis ignorantia Massilienses in errorem lapsos affirmat, sic loquitur: „ Ex „ isto liberae servaeque voluntatis discrimine, utriusque gratiae, sanitatis & medicinalis, differentias ... incipit sese ostendere; in eo „ quippe sita est, quod illius primaevae integritatis adiutorium sic „ adiuvabat voluntatem, ut cum eo operaretur ipsa si vellet; nunc „ autem ipsum adiutorium facit ut velit. Hoc est, adiutorium ante „ ruinam erat tale, ut influxus adiutorii perinde atque voluntatis „ in opus, ab ipso voluntatis nutu penderet, adeoque salva maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia: „ Nunc vero post ruinam tale est, ut faciat annuere & influere, „ & velle voluntatem; ... hoc ipso enim quo datur, simul usus & „ influxus potestatis datur. Est enim hoc ipsum quod suapte efficacia facit influere facultatem, nec facultatis ipsius libero arbitratui subiacet, sed invicte facit ut hoc vel istud arbitrium opere-

„ tur & velit. Talis eſt influxus omnis cauſſae formalis; hoc ipſo „ quippe quod adeſt iuſtitia, fit iuſtus animus, & ſine illa iuſtus „ eſſe nunquam poteſt.... quod clarius ita dici poſſet quod gratia „ ſanae voluntatis in eius libero arbitrio relinqueretur, ut eam ſi „ vellet dereret, aut ſi vellet uteretur; gratia vero lapſae aegro- „ taeque voluntatis nullo modo in eius libero relinquatur arbitrio, „ ut eam deſerat aut arripiat ſi voluerit, ſed ipſa ſit potius illa „ poſtrema gratia quae invictiſſime facit ut velit & a voluntate non „ deſeratur". Ergo, inquiebant, Ianſenius credidit Semipelagianum eſſe, talem gratiam admittere, cui voluntas reſiſtere poſſit.

Reſpondebant Ianſenii Apologiſtae, nunquam docuiſſe, gratiae reſiſti non poſſe ſenſu Thomiſtarum, ſed tantum eam non relinqui in hominis arbitrio, quia *adiutorium* eſt quo fit ut velimus & agamus, non vero, ut in ſtatu innocentiae, ſimplex *adiutorium ſine quo*, uti vel non uti a voluntatis arbitrio primitus pendeat. Hanc autem doctrinam, in S. Auguſtino Lib. de Corrept. & Gratia Cap. 11. & 12. approbatam, in Ianſenio haereticam eſſe non poſſe.

Inſtabant: In ultimo textu allato efficacia gratiae comparatur influxui cauſſae formalis: atqui cauſſa formalis effectum ſuum neceſſitate abſoluta producit. Ergo &c.

Reſpondebatur Ianſenium efficaciam gratiae comparaſſe cum influxu cauſſae formalis, tantum penes effectus certitudinem; idque

Pag. 611. confirmat D. Tournely diſertis verbis. „ Neceſſitas haec cauſſae „ formalis, inquit, totalis eſt ac prorſus methaphyſica, ac a vo- „ luntate independens. Fieri quippe non poteſt metaphyſice loquen- „ do, ut iuſtus v. g. ille non ſit, in quo eſt iuſtitia; beatus, in „ quo eſt beatitudo: at talis profecto non eſt neceſſitas quae ſecun- „ dum Ianſenium ſequitur ex motione delectationis ſuperioris. Qua- „ propter quando Lib. 2. de grat. Chriſti Cap. 4. exemplo influ- „ xus cauſſae formalis utitur, haud dubie ultra propoſitum ſuum „ abripitur, nec vult parem in omnibus eſſe neceſſitatis modum; „ ſed hoc unum tantum, effectum ſcilicet aeque certum eſſe ac in- „ fallibilem ſub motione gratiae victricis, ac ſub cauſſa formali: „ ſepoſito modo neceſſitatis, quo ad rem ſuam conficiendam Ianſe- „ nius non indiget".

QUINTA PROPOSITIO.

Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut Sanguinem fudisse.

HAec propositio, ut supra expositum est, falsitatis, temeritatis & scandali damnata est, quatenus opinionem multiplici sensu receptam, quae docet Christum aliquo sensu mortuum esse pro omnibus omnino hominibus, Semipelagianismi accusat: damnata est etiam tanquam impia, blasphema & haeretica, si sensus sit, mortis Christi beneficium ad solos electos ita restringi, ut nullis reprobis applicetur. Quaestio est, an Iansenius haec in vitia inciderit. Qui negarunt, his potissimum argumentis nitebantur.

1.um Quod Iansenius ultro agnoverit, Christum pro omnibus mortuum recto sensu dici posse. „ Respondeo, inquit Lib. 3. de „ grat. Christi Cap. 21., quando Christus ab Apostolo dicitur *re-* „ *demptionem semetipsum dedisse pro omnibus*,... ab aliquibus in- „ telligi quod se dederit redemptionem seu ἀντίλυτρον, id est pretium „ pro omnibus omnino sufficienter quia sufficiens pretium obtulit, „ non tamen pro omnibus omnino efficienter, quia non omnibus „ applicatur ista redemptio: idque iuxta regulam a S. Prospero di- „ versis locis traditam .... solutio ista facilis est, ex qua nullo „ modo sequitur sufficiens adiutorium omnibus ex tali redemptione „ omnium esse praeparatum ". Apparet, inquiebant, Iprensem non reiecisse, adeoque Semipelagianismi non damnasse opinionem quae Christum pro omnibus omnino mortuum asserit; quandoquidem eam a S. Prospero S. Augustini discipulo traditam, Semipelagianisque nulla ex parte favere agnoscit, sed tantum opinionem quorumdam recentiorum qui hoc sensu Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum dicunt, quod omnibus detur gratia sufficiens Moliniana. Huic iudicio subscribit D. Tournely pag. 620. „ Dici non „ potest, inquit, sensum Iansenii esse, quod nulla legitima ratione „ possit affirmari Christum pro omnibus mortuum esse, quandoqui- „ dem id expresse asserit S. Paulus ".

2.um Quod iuxta Iansenium, Christus mortuus sit efficaciter

pro illis reprobis, qui temporaliter fideles aut etiam iusti sunt, hocque probabant, ex eo quod Iansenius nullam iustitiam agnoverit Christi meritis non debitam, simulque agnoverit multos esse iustos, qui usque in finem non perseverant. Laudabant praesertim haec verba Cap. 21. Lib. 3. de grat. Christi Salvatoris, quibus post Concilium Valentinum declarat, „ fideles omnes baptismo sanctificatos in sanguine Christi redemptionem assequi, sive accepta redemptione perseverent, sive ab ea excidentes sanguinem testamenti pollutum duxerint in quo sanctificati sunt ". Et postea: „ Eatenus prodest Christi sanguis & mors, inquit, quatenus prodesse voluit qui aliquid inaniter velle non potuit, ut credat quidem vel ut iustificetur, vel ut perseveret atque salvetur, si pro illo ut credat, vel ut iustificetur, vel ut perseveret atque salvetur, mortuus fuerit ".

Et certe Leydekkerus iam laudatus, Iansenium criminatur Thesi 7. & 8. de Iansenismo, eo quod mortis Christi beneficium ad quosdam reprobos extenderit, agnoveritque iustificatos a iustitia & salute interdum deficere.

Demum hos Iansenii sensus fuisse fateri coacti sunt recentiores eius adversarii, Deckherus in *secunda defens. Constit. VINEAM DOMINI* pag. 43. *D. Tournely* pag. 620. & 686. Illust. *Godet des Maretz* Carnotensis, Eminent. Bissius Meldensis Episcopus in documento Pastorali anni 1722. Part. 1. pag. 338. Illustr. D'Aubigné Episcopus Noviodunensis, postea Archiepiscopus Rothomagensis in observationibus ad declarationes D. Coüet; Illustr. Languet Suessionensis quintae Epistolae Pastoralis 2. Part. §. 141. & 142. & alii.

In historia casus conscientiae Tom. 3. p. 643. 647. & 648.

Contra veteres Anti-Iansenianı, Iansenium in utrumque scopulum impegisse contendebant, & primo quidem eam opinionem, quae Christum pro omnibus omnino hominibus aliquo sensu mortuum asserit, Semipelagianismi damnasse Lib. 3. de gratia Christi Cap. 21. ubi his Apostoli verbis sibi propositis, *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, sic respondet: „ Hoc argumentum, sicut omnia praecedentia, iam olim ad nauseam usque a Pelagianis, praesertimque Massiliensibus, inculcatum fuit; ut mirum sit recentiores tanto studio trita haereticorum arma colligere & obsoleta recudere ". Et ibidem: „ Nec enim iuxta doctrinam antiquorum, pro omnibus omnino Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit; cum

„ hoc proprie tanquam errorem a fide catholica abhorrentem doceant esse respuendum “. Et in fine capitis: „ Illa extensio, inquit, tam vaga modernorum scriptorum non alio ex capite, quam ex ista generali & indifferenti voluntate Dei erga salutem omnium, & ex illa sufficientis gratiae omnibus conferendae praeparatione fluxit, quorum utrumque Augustinus, Prosper, Fulgentius, & antiqua Ecclesia velut machinam a Semipelagianis introductam repudiavit “.

Respondebant Iansenii defensores, ex toto illo capite constare, Iansenium non reiecisse nisi opinionem illorum, qui Christum pro omnibus omnino mortuum esse sic docebant, ut gratuitae praedestinationis dogma everterent, gratiamque sufficientissimam omnibus dari contenderent. Porro verissimum esse, hanc opinionem ita ut facile agnoscet Presbyteris Massiliensibus, tanquam erroneam confutatam esse a SS. Augustino, Prospero & Fulgentio.

Contendebant 2.°, Iansenium Christi mortem ad electos solos restrinxisse; idque probare nitebantur his verbis quae in eodem capite leguntur: „ Et ne quis forte suspicaretur ita phrases huiusmodi affirmativas de praedestinatis intelligendas esse, ut tamen alii iusti qui de eodem beato numero non sunt, non excludantur; non uno in loco invertit (Augustinus) istiusmodi locutiones, ita ut eas negative efferendo dicat Christum pro caeteris qui non fuerint praedestinati non esse mortuum, non orasse, non semetipsum dedisse redemptionem “. Et sub finem Capitis: „ Quae sane cum in Augustini doctrina perspicua certaque sint, nullo modo principiis eius consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro iustorum non perseverantium aeterna salute mortuus esse, sanguinem sudisse semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse sentiatur. Scivit enim quo quisque iam ab aeterno praedestinatus erat... Ex quo factum est, ut iuxta Sanctissimum Doctorem, non magis Patrem pro aeterna liberatione ipsorum, quam pro Diaboli deprecatus fuerit. Sed si quid pro illis rogavit Patrem, pro temporalibus quibusdam iustitiae effectibus rogavit, & pro iisdem obtinendis obtulit pretium suditque sanguinem suum “.

Respondebatur, Iansenium hanc doctrinam ex S. Augustino hausisse, sensumque catholicum cuivis Iansenium legenti sese offerre. Non enim eum negasse, Christum pro aliquibus reprobis mortuum,

immo hoc ipso in capite contrarium docuisse. Quando autem dicit, Christum pro solis electis mortuum, continuo mentem suam exposuisse, addendo, Christum pro nullorum aliorum quam electorum aeterna salute Sanguinem fudisse; id est, noluisse voluntate absoluta, quae semper impletur, mortem suam aliis quam praedestinatis prodesse quoad effectum vitae aeternae. Hanc reipsa mentem Iansenii fuisse, ostendebant hoc textu eiusdem capitis, ubi explicat quid sit Christum mortuum esse pro aliquo: „ Omnibus vero illis, pro „ quibus Sanguinem fudit, quatenus pro eis fudit, etiam sufficiens „ auxilium donat quo non solum possint, sed etiam reipsa velint „ & faciant id quod ab eis volendum & faciendum esse decrevit. „ Nam per illa occultissime iusta, & iustissime occulta consilia „ sua, quibusdam hominibus dare praedestinavit fidem charitatem, „ & in ea perseverantiam usque in finem; quos absolute praedestinatos, electos, & salvandos dicimus; aliis charitatem sine „ perseverantia; aliis fidem sine charitate. Pro primi generis ho„ minibus tanquam veris ovibus suis, vero populo suo, tanquam „ absolute salvando semetipsum dedit ac tradidi . pro istis in „ aeternum vivificandis mortuus est; pro istis ab omni malo libe„ randis rogavit Patrem suum, non pro caeteris qui a fide & cha„ ritate deficientes in iniquitate moriuntur. Pro his enim in tan„ tum mortuus est, & in tantum propitiatio peccatorum est, & „ in tantum rogavit Patrem, in quantum temporalibus quibusdam „ gratiae effectibus exornandi sunt. Cum enim non possit esse ina„ nis oblatio mortis & passionis Christi qui de seipso dicit: *Ego* „ *sciebam quia semper me audis*, . . . fieri quoque non potest, ut „ pro quo Sanguinem fuderit Christus & mortuus fuerit, & roga„ verit Patrem suum eam ob caussam ut Sanguis suus propitiatio „ peccatorum fieret, non assequatur istius mortis & propitiationis „ & deprecationis effectum. Effectum vero in istis iam dictis non „ assequitur alium, nisi temporalis fidei aut charitatis, sine perse„ verantia. Eatenus igitur, & non aliter, pro illis Christus mor„ tuus est & Sanguinem fudit, & propitiatio peccatorum est, & „ rogavit Patrem suum (oratione absoluta) ut videlicet illos „ temporales effectus propitiationis, hoc est, mortis & Sanguinis „ & orationis consequantur ". Hactenus Iansenii verba, quibus inquiebant, nihil accuratius desiderari potest.

Instabant: Iuxta Iansenium Christus non magis pro iustorum

non perseverantium aeterna salute, quam pro ipsius Diaboli deprecatus est.

Respondebatur haec verba, quae primo intuitu dura videntur, verissima esse, si intelligantur de absoluta Christi voluntate & oratione, quam solam Iansenius hoc in loco consideravit. Certum est enim Christum voluntate absoluta & rationis iustorum non perseverantium aeternam salutem non voluisse, nec postulasse, proinde non magis quam Diaboli. At si habeatur ratio naturae communis, quam Christus assumpsit, caussae totius humani generis quam in se suscepit, voluntatis antecedentis, gratiarum quae multis reprobis non tantum praeparantur, sed etiam applicantur, & ex seipsis ad salutem aeternam ordinantur; multiplici sensu pro multorum reproborum salute mortuus est Christus, pro salute autem Diaboli nullo modo: neque hoc Iansenius unquam negavit.

QUAESTIO QUARTA.

Utrum Augustiniani Theologi errores quinque propositionum ante vel post condemnationem defenderint?

CUM peccatum sit maximum, in re gravissima, qualis est haeresis, aliquem temere damnare; grande piaculo sese obstringunt qui Theologos in Ecclesiae communione viventes haeresis accusant, nisi perversae illorum doctrinae certissima suppetant indicia.

Ad hoc autem duo requiruntur, 1.um ut constet talem doctrinam ab illis Theologis defendi; alterum ut constet hanc doctrinam haereticam esse, & ab universa Ecclesia damnatam. Si enim alterutrum incertum sit, insignis temeritatis possunt accusari, qui fratres suos, nulla caussa cogente, tanquam haereticos traducunt. Porro ostensum est supra errorem in quinque propositionibus damnatum, esse errorem gratiae vel concupiscentiae necessitantis, salva remanente doctrina gratiae seipsa efficacis, sive in praedeterminatione physica, sive in delectatione absolute vel relative victricis positae. Hoc ergo inquirendum est, an Theologi qui Augustiniani dicuntur quinque propositiones in sensu gratiae aut concupiscentiae necessitantis aliquando defenderint.

Hanc impietatem multi olim eis attribuerunt. Inter recentiores D. *Dumas* in *Elucidationibus historiae quinque propositionum* probare conatur eos hoc in tuto ante Constitutionem Innocentii X. haesisse; nam post Constitutionem in errore perseverasse, non adeo confidenter affirmat. E contrario D. *Decker* & D. *Tournely* consentiunt, illos hunc errorem nunquam docuisse, neque ante, neque post Constitutiones SS. Pontificum, sed aliud omnino diversum, in quo quinque propositionum errorem reponere ipsis placet.

Certum est, Theologos, dictos Augustinianos, quinque propositiones, quarum tamen auctores non erant, aliquo in sensu, antequam damnarentur, defendisse; post damnationem vero nullo modo defendisse; sed controversia est, an quando illas tueri videbantur, vel postea, haereticum earum sensum defenderint.

PROPOSITIO PRIMA.

Theologi, qui dicuntur Augustiniani quinque propositiones, antequam damnarentur, absolute non defenderunt, multo minus in sensu haeretico.

Infinitus essem, si textus omnes, quibus hoc probatur, referre vellem. Hos cognoscere qui volent, legant Paulum Irenaeum Disquisitione 4., Dionysium Raymundum in Elucidatione facti Iansenii, pacem Clementinam Parte 1., Defensionem Theologorum adversus mandatum Episcopi Carnotensis Art. 16. 17. 18. & 19.

Referam tantum generalia quaedam argumenta.

1.um Petitur ex aperta & multiplici illorum Theologorum declaratione.

Statim atque quinque propositiones a M. Cornet delatae sunt, mentem suam exposuerunt in brevi Scripto cui titulus, *Considerations sur l' entreprise facte par M. Nicolas Cornet*, cuius exempla- Art. 22. & 23. ria Doctoribus, ac maxime Deputatis, tradita sunt. Ibi dicebant illas propositiones aequivocas esse, fallaces, ambiguas, malitiose conceptas; ac duplici sensu accipi posse, uno catholico, altero haeretico, eoque consilio fabricatas videri, ut sub obtentu haeretici sensus catholicus quoque gratiae seipsa efficacis sensus indirecte damnaretur.

Eodem tempore prodierunt duo libelli, primus sub hoc titulo, *Molinae collatorumque adversus doctrinam S. Augustini apparatus;* alter cui titulus, *Propositiones de gratia in Sorbonae facultate*

prope-

propediem examinandae, uterque D. De Bourzeys attributus, nec non tertius qui incipit: *In nomine Christi*. Porro in his omnibus propositiones dicuntur aequivocae & ambiguae, variique illarum sensus ita distinguuntur, ut unicus gratiae seipsa efficacis sensus defendatur.

In Scripto quod D. *Coppin* facultati obtulit 1. Decembris 1649. sic loquebatur: „ Postquam omnibus innotuit quam periculose M. Nicolaus *Cornet* propositiones quasdam de gratia ambiguas & aequivocas, a nullo auctore in sensu quem prae se ferre videntur assertas, vocaverit in medium &c. “.

In alio Scripto anni 1651., cui titulus erat, *Quinque propositionum de gratia . . . vera & catholica expositio iuxta mentem discipulorum S. Augustini*, quodque ab Augustinianis tanquam doctrinae suae apologeticus Romae distributus est, idem de quinque propositionibus iudicium fertur. *Journal de Saint Amour, appendix p. 53.*

Eodem anno prodiit, auctore D. *De Lalane*, liber inscriptus, *Gratia victrix*, in cuius praefatione propositiones dicuntur „ Haereticae ac Lutheranae, ad libitum fictae & fabricatae, *QUAE NEQUE APUD IANSENIUM, NEQUE APUD EIUS DEFENSORES REPERIANTUR*: verae tamen, si in eis attendatur gratiae efficacis sensus “. Addebatur propositionum fabricatores simile quid fecisse ac Massilienses Presbyteros, qui S. Augustini ac discipulorum eius doctrinam malitiose confictis capitulis comprehenderant, ideoque illis applicat quod legitur apud S. Prosperum in praefat. respons. ad capitula obiect. Vicent. „ Quaedam christianae ac fraternae charitatis obliti, in tantum existimationem nostram quoquo modo student laedere, ut suam se evertere nocendi cupiditate non videant. Contexunt enim, & qualibus possunt sententiis comprehendunt ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eaque ostendenda & ingerenda multis publice privatimque circumferunt: asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico continentur indiculo: quae falso in nos ad excitandam invidiam iactitari, facile ac sufficienter subscriptione unius anathematis probaremus, nisi malignitas eorum qui se gravari putant si de nobis bene sentiatur, ipsam subscriptionis nostrae brevitatem suspectam esset habitura “. Quam apte haec Prosperi verba & propositionum fabricatoribus, & Augustinianae doctrinae assertoribus conveniant, lector facile intelliget.

Anno ſequenti D. *De Bourzeys* in libro quem inſcripſit: *S. Auguſtinus Calvini & Molinae victor*, Calvini errores in quinque propoſitionibus execratus, ſolam gratiam per ſe efficacem contra Molinam defendit.

Sambovius in tractatu de gratia ante condemnationem quinque propoſitionum in Sorbona dictato docuit eas multiplici ſenſu haereticas eſſe, ut videre eſt in quarta diſquiſitione Pauli Irenaei. Et haec quidem in Gallia.

Qui Romae agebant Auguſtiniani non aliter ſenſiſſe conſtat ex omnibus eorum Scriptis, Memorialibus, ac vivae vocis declarationibus.

Diarii Part 2. Cap. 4.

Sanct-Amorius ad audientiam S. Pontificis admiſſus 10. Iulii 1651. aperte declaravit „ doloſe confictas fuiſſe quinque propoſitiones, quae ſenſum catholicum habere poſſint ſimul & haereticum: haereticum a nemine defendi; catholicum vero, ſeu gratia per ſe efficacis a multis aperte impugnari, quorum ſcopus erat propoſitionum damnationem ſub obtentu haeretici ſenſus obtinere, quo facilius catholicum qui latebat ſenſum adorirentur damnatumque contenderent“: Petivitque ne quid definiretur, niſi prius auditis Theologis e Gallia venturis, „ per quos conſtaret ſenſum haereticum propoſitionum a nemine aſſeri, ab omnibus reiici“.

Diarii Part. 6. Cap. 12. p. 316. & alibi paſſim.

Idem tum viva voce, tum ſcriptis declaraverunt. Hinc poſtulabant, ut doctrinam gratiae ab intrinſeco efficacis, quam unice defendebant, contradictorie tueri ſibi permitteretur, utque catholici propoſitionum ſenſus ab haereticis in Bulla diſtinguerentur. Hinc nemo eos apud S. Pontificem erroris accuſare auſus eſt, nec Hallerius quidem. Hinc publicata Bulla, cum deliberarent quid facto opus eſſet, ſi ad ſubſcribendum compellerentur, unanimi conſenſu ſtatuerunt hoc pacto ſubſcribere: „ Propoſitiones ab Innocentio Papa X. damnatas, nos iterum damnamus, ut ſemper antea damnavimus, ſalva tum gratia Chriſti ex ſe efficaci, tum doctrina S. Auguſtini, quibus nolle ſe praeiudicium ullum afferre Summus Pontifex multoties teſtatus eſt“.

Ibid. Cap. 17.

In litteris ipſis familiarioribus, in quibus reconditiora animi arcana tanto liberius quanto ſecurius amicis referantur, idem prorſus videre eſt. Plurimas refert Sanct-Amorius a Sambovio ad ſe miſſas 25. Octobris 1652. (*a*), 13. Decembris (*b*) & 20. (*c*), in quibus amicum ſic alloquitur: „ Vel Sua Sanctitas ſenſus diſcernet, eoque

(a) Diarii Part. 5. Cap. 12. pag. 317.

(b) Ibidem Cap. 17. p. 343.

(c) Ibidem pag. 344.

„ in casu doctrina nostra approbabitur, cum fieri non possit ut do„ ctrina gratiae efficacis damnetur: vel non discernet, hocque in „ casu nihil adversus nos pronuntiabit; quandoquidem eas proposi„ tiones non absolute, sed uno tantum certo sensu defendimus. Si„ ve scripto, sive viva voce agatur, hoc (Dei nomine obtestor) „ declaretis, 1.° nos earum auctores non esse; 2.° eas, utpote aequi„ vocis & captiosis verbis conceptas, multiplices sensus, quos dete„ stamur, continere; 3.° noluisse nos unquam, ac nolle easdem „ tueri, nisi in sensu gratiae efficacis ad singulos actus bonos ne„ cessariae". Similia leguntur in aliis Epistolis 27. Decembris 1652. mensibus Ianuario, Aprili & Maio 1653.

Ibid. p. 342. Part. 6 & 4 p. 376. Cap. 17. & Cap. 24. pag. 515.

Ex his omnibus liquido patet; 1.° Augustinianos nunquam absolute defendisse quinque propositiones; 2.° eas nunquam defendisse *in sensu quem prae se ferunt*; 3.° eas nunquam defendisse in sensu gratiae necessitantis; 4.° habuisse illas ut aequivocas, & Lutheranas; 5.° eas defendisse tantum in sensu catholico gratiae per se efficacis, quem non tam eisdem inesse credebant, quam ab adversariis sub earum praetextu indirecte impeti suspicabantur.

Et sane constat neque Episcopos Galliae, quorum nomine Theologi Augustiniani Romae egerunt, neque Dominicanos, errorem quinque propositionum unquam defendisse, attamen non absimile de illis iudicium eos tulisse certissimum est. Nam quod spectat undecim Galliae Episcopos, asserebant in Epistola ad Innocentium X. quinque propositiones „ Parisiensem Scholam ingenti contentio„ ne, fructu nullo commovisse; nec vero secus evenire potuit, ad„ debant, cum & ad libitum fictae & ex ambiguis vocibus concin„ nate aliud per se nihil quam animorum iurgia, & pugnantium „ ut fit in aequivocis interpretationum dissidia natae sunt procreare „ observabant. Eos qui propositiones detulerant, Scholasticis & ra„ tioni plurimum confidere; Augustini vero defensores, Sanctorum „ Patrum & Conciliorum definitionibus potissimum inniti". Demum Pontificem precabantur, ut varios propositionum sensus sedulo discerneret, ne una cum errore veritatem quoque damnasse crederetur.

Illustriss. *Godeau* Grassiensis & Venciensis Episcopus in Epistola ad eumdem S. Pontificem idem sentire se significavit, nec non Facultatem Parisiensem, quae a Censura quinque propositionum consulto „ abstinuerat & pacis caussa, & quod animadverteret eas, ut „ sunt singulae sensus ambigui & ancipitis, nullo ex certo auctore

„ illis ipsis quibus conceptae sunt verbis excerptas fuisse, ita ut de „ industria ab adversae sententiae affeclis ideo confictae viderentur, „ ut in perversum aliquem sensum facilius torqueri possent. Iis de „ caussis ", pergit Praesul doctissimus, „ facile praevidit facultas „ rerum prudentissima, nihil nisi periculose admodum statui posse „ de quinque propositionibus huiusmodi, ne scilicet in earum Cen- „ suram, non Cornelii Iansenii, sed quod calamitosius est, ipsius „ D. Augustini, atque adeo totius Ecclesiae, quae Augustini iudi- „ cio in caussa gratiae constanter adhaesit, doctrina incurrisse vide- „ retur ".

Dominicanos etiam quinque propositiones ante illarum damnationem aliquo sensu defendisse, totis viribus egisse ut absolute non damnarentur, ac vehementer pertimuisse, ne doctrina S. Thomae detrimentum inde pateretur, demonstrant quae alibi retulimus, eorum Memorialia S. Pontifici oblata, eoque tendentia, ut sensus catholici propositionum ab haereticis distinguerentur, instaurareturque disputatio de auxiliis; postulationes septemdecim viribus repetitae ad obtinendam hac de re S. Pontificis audientiam; varia Scripta quibus Iansenium vindicarunt propositionesque multiplici sensu tuiti sunt, necnon eorumdem collatio cum Hallerio eiusque Collegis. Cum ergo Theologi, qui dicuntur Augustiniani non aliter de quinque propositionibus senserint, qua aequitate in suspicionem erroris venirent?

Hinc eorum doctrina innumeris Scriptis contenta nullam Censuram vel Romae vel in Gallia retulit? Hinc Theologos Romae agentes nullius erroris accusare ausus est Hallerius eorum adversarius; iactabat tantummodo aliquos esse in Gallia, qui non ita catholice sentirent, quamvis hoc nullo argumento probare posset. Hinc Card. Ghigius, postea S. Pontifex creatus, consultus ab alio Cardinali, num iidem Theologi ad Bullae subscriptionem compellendi forent, negative respondit, eo scilicet quod quinque propositiones non defendissent. Adeo notorium erat eos, sicut & Dominicanos, non de ipsismet propositionibus, sed tantum de catholico sensu qui latere in eis videbatur, sollicitos fuisse. Hinc nedum Constitutioni subscribere cogerentur, quod fieri debuit, si suspectae doctrinae fuissent. E contrario S. Pontifex, teste Clarissimo Regis Christianissimi Oratore, „ honorificentissimis verbis illos prosecutus est, collaudavit, „ gratias egit, declaravitque ideo se quinque propositiones damnasse

Diarii Part. 6. Cap. 25. p. 516.

„ quia, illis fatentibus, Calviniſtice exponi poterant“. Quid ad vindicandos Theologos potentius deſiderari poteſt?

3.^{um} Alterum argumentum ſuppeditant moderni Auguſtinianorum criminatores, qui non aliter eos erroris notare poſſunt, quam ab Eccleſiae doctrina graviter aberrando, catholicoſque ſenſus pro damnatis obtrudendo. Cum enim ab antiquis obtrectatoribus palam traducerentur, tanquam admittentes gratiam neceſſitantem, quae nullam diſſentiendi potentiam, nullamque, niſi paſſivam indifferentiam relinquat, ſicut videre eſt apud D. Dumas in *Elucidationibus hiſtoriae quinque propoſitionum*, hodie mutata rerum facie ab his erroribus vindicantur, ſimulque doctrina conſenſu Eccleſiae ſemper approbata loco Calviniani ſupponitur. Audiamus D. Tournely hos Theologos, dum criminari vult, revera abſolventem: „ Ex dictis, Tom. I. p. 496.
„ inquit, facile colligitur, 1.° Ianſenianos omnes illam abſolutam „ admiſiſſe potentiam ad obſervandum mandatum, in iuſtis ſola „ gratia parva inſtructis, abſente gratia efficacis; 2.° Errorem Ianſenianorum in tali neganda potentia non conſiſtere, immo ſe „ idem hac in parte cum Thomiſtis & ſentire & loqui profitentur: „ tametſi, ut poſtea dicemus, amplum diſcrimen ſit“. Totum diſcrimen in eo ponit quod Thomiſtae, ut fingit, potentiam relativam admittant, Ianſeniani negent; de quo ſupra ſatis. „ 3.° a Ianſenio alienum neminem ac remotum cenſeri debere, eo quod aſſerat ſe talem abſolutam agnoſcere potentiam: ſed neceſſe eſſe fateri, in homine iuſto, abſente gratia efficaci, ex ſola ſufficiente „ gratia eſſe potentiam veram, propriam & expeditam relative ad „ actualem eius concupiſcentiam, ut eam nempe ſuperare poſſit. „ In eo enim praeciſe poſitus eſt error Ianſenii & diſcipulorum „ eius, quod negent talem potentiam relativam. Si vero in eo „ non conſiſtat, rogo, aſſignent nobis delectationis ſuperioris patroni, qui ſe a Ianſenio tam alienos ac remotos iactitant, in quo „ praeciſe poſitus ille ſit. At caveant, ne fictum ac phantaſticum „ pro vero ac reali errorem obtrudant“. Supervacaneum eſt repetere quae ſupra hanc in rem dicta ſunt. Unum hoc obſervo, hac nova diſputandi ratione praetenſos Ianſenianos ab erroribus dudum imputatis immunes pronuntiari, *falſumque ac phantaſticum pro vero & reali errorem*, quod cavendum monent, *obtrudi*.

Obiicit D. *Dumas*: Si Ianſeniani non tenebant errores quinque propoſitionum, cur ergo eas defendebant? Cur tot conatus adhibuerunt, ut earum damnationem impedirent? Hiſt. quinque Propoſit. Tom. I. pag. 20.

Reſpondeo: Id non magis valere adverſus Auguſtinianos Theologos, quam adverſus XII. Galliae Epiſcopos & Ordinem Dominicanorum, qui pari ſtudio, non cuilibet damnationi propoſitionum, ut falſo dicitur, ſed vagae & indeterminatae damnationi obſtiterunt. Rationes vero obſtandi hae potiſſimum fuerunt. 1.ª Quia quinque propoſitiones, quales delatae fuerant, nullo ex certo auctore excerptae videbantur; quod ſuſpicionem fraudis non mediocrem faciebat: 2.ª quia verbis ambiguis & aequivocis conceptae diverſos ſenſus pati poterant; unde metuendum erat, ne ſub haeretici ſenſus praetextu catholicus quoque in diſcrimen veniret: 3.ª quia D. *Cornet* earum delator & qui eius poſtulationi favebant, Molinianae doctrinae addicti erant, quod omnino perſuadebat eas in odium Auguſtinianae doctrinae fabricatas. Caeterum adeo alieni erant S. Auguſtini diſcipuli a defendendis abſolute quinque propoſitionibus, ut ſimul atque damnatae ſunt & S. Pontifex declaravit, ſe nullum doctrinae gratiae ſeipſa efficacis praeiudicium afferre voluiſſe, abſque ulla mora obſecuti ſint.

Ibid. Inſtat: E Conſultoribus Romanis, qui quinque propoſitiones catholicas cenſuerunt, ſentiebant cum Ianſenianis: atqui propoſitiones in ſenſu haeretico defendebant; qui enim defendit aliquam propoſitionem, ſemper cenſetur, eam in obvio ſenſu defendere: Ergo &c.

Nego minorem. Ad probationem diſt.: Qui defendit propoſitionem, cenſetur eam defendere in ſenſu obvio, id eſt, in ſenſu quem obvium putat, Concedo; in ſenſu aliis obvio, ſubdiſt. Si aliunde non exponat in quo ſenſu eam defendat, Eſto; ſecus, Nego. Aliter loquendum eſt de propoſitionibus, quae unicum habent ſenſum omnibus obvium, aliter de propoſitionibus de quarum ſenſu non conſtat, ſive propter verborum contextum qui ambiguus eſt, ſive propter intentionem illas proferentium, quae dubia eſſe poteſt. Tales multis viſae ſunt quinque propoſitiones; ideoque a Iudicibus Romanis, circa doctrinam alioqui conſentientibus diſpar de illis iudicium ferri potuit. Caeterum falſo ſupponitur aliquos Conſultores abſolute approbaſſe quinque propoſitiones; nam plerique varios illarum ſenſus diſtinxerunt; & ſi non ſingulas, ſaltem aliquas ſic explicuerunt, ut de recta ipſorum fide dubium legitimum eſſe non poſſit.

Et ſane quis credat Theologos, publicis muneribus a multis annis Romae defungentes, haereticos Ianſenianos fuiſſe? Nonne aequitas poſtulat, ut, ſicut ab errore excuſantur Thomiſtae & Cardi-

nalis a S. Clemente qui propositiones defendi posse censuerunt, sic etiam excusentur Consultores qui easdem benignius interpretati sunt. Hinc argumentum D. Dumas contra ipsummet multo validius retorquetur hoc pacto. Non magis errori faverunt Augustiniani, licet aliquo sensu propositiones defenderint, quam Romani Consultores, qui eas ab omni censura liberas pronuntiarunt: atqui errori non favebant hi Consultores, saltem nemo ante D. *Dumas* illos erroris accusavit: Ergo nec Doctores Augustiniani.

Instat iterum: Augustiniani in Scripto *trium Columnarum* defenderunt sensum proprium quem in secunda columna collocarunt; sensum vero prioris columnae, quem reiiciebant, dixerunt maligne affictum esse, & quem propositiones legitime sumptae habebant: atqui propositiones damnatae non sunt in sensu extraneo quem legitime non habent, sed in sensu proprio: Ergo damnatae sunt in sensu secundae columnae, proinde in sensu Augustinianorum.

Elucidat. 2. hist. quinque Proposit.

Respondeo hoc argumentum quatuor constare terminis ac nihil concludere: Quamobrem distinguo maiorem. Augustiniani sensum secundae columnae appellarunt sensum proprium, id est, in quo solo propositiones a se defendebantur; sensum vero primae columnae dicebant maligne affictum & quem propositiones legitime sumptae, id est relative ad mentem defendentium, non habebant, Concedo: Sensum secundae columnae habebant ut proprium & sensum primae columnae ut male affictum, habita ratione contextus ipsarum propositionum, Nego.

Similiter distinguo minorem. Propositiones damnatae non sunt in sensu extraneo, sed in proprio, habita ratione contextus propositionum, Concedo; habito respectu ad mentem eorum qui eas defendebant, Nego.

Ut hoc intelligatur argumentique vitium detegatur, sciendum est quid sibi voluerint Augustiniani cum dixerunt sensum primae columnae quinque propositionibus male affingi, legitimumque non esse. Rem aperit Sanct-Amorius declaratque se, & omnes qui in eadem caussa erant, semper spectasse quinque propositiones ut aequivocas & captiosas: verum circa illarum defensionem duas opiniones fuisse, aliis, cum P. Desmares, & DD. de Sancte Benue, De Lalane, Manessur, Angran &c. sentientibus eas deseri debere eo quod in sensu proprio haereticae essent; alios pauciores secum censuisse, illos defendi oportere, eo quod in omni propositione minus attendatur

Diarii Part. 5. Cap. 21. p. 437. & seqq.

rigor verborum quam ſenſus eorum a quibus defenditur, porro hanc opinionem praevaluiſſe, hocque ſenſu dictum eſſe, ſenſum in prima columna contentum male affingi quinque propoſitionibus, hoc eſt, ſenſum illum a nullo eorum qui propoſitiones defenderant, defendi. Hoc poſito, apparet inter omnes Auguſtinianos conveniſſe, 1.° quinque propoſitiones in ſenſu proprio, naturali & rigoroſo verborum malas & haereticas eſſe; 2.° hunc ſenſum haereticum eſſe ſenſum primae columnae; ac proinde argumentationem D. Dumas funditus ruere. Nam

1.° Senſus quem damnavit Pontifex, eſt ſenſus obvius propoſitionum in ſe ſpectatarum, *abſtrahendo ab omni proferente*, ſeu ut declaravit Innocentius XII. *ſenſus obvius quem ipſamet verba propoſitionum prae ſe ferunt*. Atqui omnes Auguſtiniani fatebantur, ſenſum proprium quinque propoſitionum, in ſe conſideratarum, haereticum eſſe. Ergo ſenſus quem defendebant, nequaquam damnatus eſt.

2.° Senſus quem propoſitionum proprium eſſe dicebant Auguſtiniani, eſt ſenſus gratiae per ſe efficacis, in quo ſe ſemper perſtituros aſſerebant, niſi expreſſe damnaretur: atqui hunc ſenſum ab Innocentio X. damnatum non fuiſſe argumenta iam ſaepe allata plane demonſtrant. Ergo ſenſus in ſecunda columna expoſitus nequaquam damnatus eſt.

Inſtat: Scriptum trium columnarum inter prohibitos libros repoſitum eſt Decreto 25. Aprilis 1654. Ergo ſenſus ab Auguſtinianis aſſerti Romae damnati ſunt.

Nego conſeq. Non enim doctrinae cauſſa hoc Scriptum prohibitum eſt, quemadmodum nec alii libri circiter quinquaginta eodem Decreto prohibiti, ſed tantum quia eius publicatio renovandis contentionibus idonea credita eſt.

Inſtat rurſus: Omnes Ianſeniani ante quinque propoſitionum damnationem idem tenuerant, ac Waddinghus unus Conſultorum, D. *De Bourzeys*, & P. Thomaſſinus: atqui hi tres quinque propoſitionum errores tenuerant, ſiquidem ad Bullam recipiendam priſtinos ſenſus exuere coacti ſunt. Waddinghus quidem in fine ſuae relationis de Innocentii X. Conſtitutione ſic loquitur: „ Cuius infallibili determinationi tanquam ex inſpiratione Spiritus Sancti „ procedenti, in omnibus & per omnia parendum eſt. Quod ſi „ quis ante hanc definitionem aliter ſenſerit, quibuſcumque rationi- „ bus vel quorumcumque Doctorum auctoritati innixus, nunc ca-

„ ptivare

„ ptivare debet intellectum in obsequium fidei, sicut suadet Apo-
„ stolus. Idipsum ego toto corde me facere profiteor, omnesque
„ illas propositiones supradictas, in omnibus & singulis sensibus qui-
„ bus eas condemnatas voluit Sanctissimus Innocentius X., condemno
„ & anathematizo, quamvis ante hanc definitionem in aliqui-
„ bus sensibus eas sustineri posse judicaverim, sicut in suprascriptis
„ meis votis explicavi ". D. De Bourzeys qui pro Iansenii defensione multa scripserat, formulae fidei verbis subscripsit 4. Novembris 1661. „ Ego libere & sincere subscripsi formulari fidei an-
„ tea per DD. Episcopos Comitiorum Cleri Gallicani condito;
„ & quod scribere potui contrarium aut parum conforme Constitu-
„ tionibus Apostolicis in eadem professione fidei memoratis (quod
„ Deo dante post Innocentii X. Bullam nunquam mihi accidit)
„ libere quoque & sincere revoco ac retracto ": Ergo &c.

Respondeo, Theologis Augustinianis immerito accenseri Thomassinum, qui pro quinque propositionum vel Iansenii defensione nihil quidquam vel ante vel post Constitutiones scripsit. Testatur quidem in praefatione secundi Memorialis de gratia, se, dum iunior esset, *Iansenii opiniones*, id est gratiam seipsa efficacem in delectatione victrici positam secutum: sed nusquam dixit, se quinque propositiones defendisse; doctrinam vero Iansenii idcirco senior deseruit; ut novum systema componeret, quod reiectum ab omnibus cum auctore sepultum est. Pag. 12.

Quod attinet ad Waddinghum, in eadem doctrina semper perstitit; sed tantum cum ante Bullam quinque propositiones catholice accipi posse credidisset, data Bulla censuit sensum haereticum proprium esse illarum sensum. Hinc non ait se damnatum sensum propositionum tenuisse, sed eas in aliquibus sensibus sustinuisse.

Ad Abbatem *De Bourzeys* dico, illum Card. Mazarini favore captum revocasse quidem quae pro Iansenii defensione ante Constitutiones scripserat, eiusque damnationi subscripsisse; sed Augustinianos de gratia sensus nunquam deposuisse.

Urget D. Dumas: Augustiniani in Epistolis familiaribus ante datam Constitutionem scriptis dicebant, Bullam, nisi catholicos sensus ab haereticis discerneret, informem fore, inauditam, inutilem, atque aequitati contrariam: censebant igitur, quinque propositiones, nisi iniuste, damnari non posse. Pag. 52. & seqq.

Nego conseq. Quamvis enim senserint Augustiniani inutilem

fore Bullam; si partibus non auditis neque discretis propositionum sensibus promulgaretur (quod eventus demonstravit), inde non sequitur illos haereticum propositionum sensum approbasse, immo contrarium sequitur. Quare etenim postulabant ut sensus haeretici distincte explicarentur, nisi quia concedebant quinque propositiones certo in sensu haereticas esse.

Tom. 2. Eluc. 1. Demum D. Dumas plurima Augustinianorum testimonia congerit, ut probet eos, saltem ante datam Constitutionem non agnovisse gratiam sufficientem, nec potentiam proximam servandi mandata, nec indifferentiam activam, ac docuisse hominem gratia efficaci praeventum necessario bene agere, & eadem destitutum necessario peccare &c.

Inutile est haec testimonia hic describere vel exponere. Tantum generatim respondeo Augustinianos nunquam reiecisse gratiae sufficientis nomen, quin declaraverint solum Molinae sensum a se reiici, ut videre est in Sanct-Amorii Diario; qui cum Cardinali De Lugo de hac gratia sermonem faciens, asseruit omnes S. Augustini discipulos, sicut & Thomistas, admittere gratiam sufficientem quae det verum posse, non autem velle perfectum & operari. Idem Doctor P. Regmaldo declaravit omnes Augustinianos secum admittere gratiam, quae a Thomistis sufficiens vocatur; sed hoc sufficientis nomen refugere, ne darent imperitis errandi occasionem, aut Molinianis arma suppeditarent; admittere pariter potentiam omnem quam per huiusmodi gratiam conferri docebant Thomistae, licet eam perfectam, proximam, completam appellare dubitarent utpote cui aliquid desit ex parte Dei necessarium ut in actum erumpat. Idem videre est in omnibus Scriptis tunc editis. Demum bene vel male agendi necessitatem, praesente vel absente gratia nunquam admiserunt, nisi consequentem & infallibilitatis, qua cum stat vera dissentiendi potentia qualis a Thomistis omnibus admittitur.

(Part. 2. Cap. 8. pag. 64. — Part. 6. Cap. 16. pag. 434.)

PROPOSITIO SECUNDA.

Multo minus dici possunt Augustiniani post Innocentii X. Decretum errores quinque propositionum tenuisse.

Nam qui damnatas semel propositiones nullo modo defenderunt, sed omnes in illis proscriptos errores disertissimis verbis damnaverunt, hi certe erroris accusari, nisi iniuste, non possunt.

Atqui rem ita esse probant omnes eorum libri. Atque ut alios omittam, Dionysius Raymundus initio *Elucidationis facti Iansenii* profitetur „ se damnare quinque propositiones in proprio, naturali „ ac literali sensu, doctrinamque omnem a Summo Pontifice in „ eisdem damnatam, quocumque in libro existant "; Et Antonius Arnaldus in Epistola 2. ad Ducem & Parem Franciae testatur „ nunquam se aut amicos suos post Constitutionem defendisse quin„ que propositiones, sive absolute, sive in aliquo sensu, sed sim„ pliciter damnasse in obvio & naturali sensu verborum absque ulla „ distinctione vel restrictione, ubicumque reperiantur, atque in „ ipso Iansenii libro, si ibi inesse, deprehendantur ". Pag. 136. & 140.

Et certe si ante Constitutionem, dum putabant propositiones aliquo sensu sustineri posse, nihil tenuerunt non catholicum, ut modo probatum est; quanto magis, cum eas absolute damnaverunt.

2.° Si hi Theologi errores ab Ecclesia damnatos docebant, cur ergo confuso incertoque strepitu contra haeresim hactenus clamatum est? Cur nullum certum dogma, ab ipsis agnitum, ad Ecclesiae tribunal delatum proscriptum est? Cur per annos plusquam 80. nemo iuridice convinci potuit vel unam e damnatis propositionibus tradidisse. Quo prodigio fit, ut nemo ad sanam mentem rediens, errores a se assertos eiuraverit?

3.° D. Dumas Tom. 1. historiae quinque propositionum fatetur, Pag. 1… data Bulla neminem, Calvinianis exceptis, propositiones defendisse, ac Theologos qui prius eas aliquo in sensu defenderant, absolute damnasse; ac revera constat de solo facto controversiam fuisse, nullam vero circa ius. Hinc conventus anni *1661.* in Epist. ad Alexandrum VII., in qua caeteroquin Iansenii defensores atris coloribus pinguntur, eorum doctrinam pro catholica agnovit sic de illis loquens: „ solertes sibi videri volunt, omnia verba Iansenii ad ca„ tholicos sensus futiliter detorquentes ".

4.° Eorumdem doctrina, quinque famosis articulis comprehensa, Romae approbata est, ac sana iudicata, quidquid ad illorum damnationem obtinendam Iesuitae moliti sint.

5.° Hinc sub Clemente IX. pax Episcopis ac Theologis reddita est, nulla errorum eiuratione imperata, sed hac sola conditione ut circa attributionem quinque propositionum libro Iansenii factam silentii submissionem praestarent. Adeo certum erat in eorum doctrina nihil esse dogmatibus Ecclesiae contrarium.

6.° Celeberrimi Galliae Praesules saepe declararunt nullos a se cognosci Iansenianos, qui errores a Sede Apostolica proscriptos defenderent vel tenerent, praesertim doctissimus *Godeau* Venciensis in Epistolis ad Regem & ad Summum Pontificem anno *1661*. Eruditi *de Choiseuil* Convenarum prius postea Tornacensis, & *De Vialart* Catalaunensis, in variis ad Regem & ad Summos Pontifices litteris, Alectensis, Andegavensis, & Bellovacensis. Non desunt etiamnum, qui Iansenianam sectam habeant ut merum phantasma. Nonnulli adversus Iansenianos acriter invehuntur, sed quinam illi aut ubinam sint nunquam designant; alii, dum Iansenium non umbram evanescentem sed realem sectam esse probare conantur, veros quidem homines, sed erroris phantasma in eis persequuntur, & quidquid Moliniano palato non sapit, quamvis ab Ecclesia nunquam non approbatum, haeresim appellant.

7.° Adeo verum est Augustinianos nihil unquam docuisse unde haereses convinci possint, ut eorum adversarii, ad probandum suas calumnias, inauditas fraudes excogitare coacti sint, qualis est fraus Duacena supra memorata, quae, tametsi ad expiscandos Duacensium intimiores sensus subdole apparata, auctoribus adeo male cessit, ut Theologorum, quos criminari volebant, explicationes supprimere opus habuerint.

Obiiciunt: Sensus ab Ecclesia damnatus est sensus Iansenii: Iansениani non damnant sensum Iansenii:. Ergo ab errore damnato non recedunt.

Retorqueo argumentum: Sensus Epistolarum Honorii damnatus est a Concilio VI. Generali ut haereticus: sed Baronius, Bellarminus &c. non damnant sensum Honorii:. Ergo haeretici sunt. Quis tale argumentum non rideat? Quamobrem

Dist. mai. Sensus ab Ecclesia damnatus est sensus Iansenii, hoc est sensus gratiae necessitantis Iansenio attributus, Concedo: sensus Iansenii qualiscumque sit, Nego: nihil absurdius foret, quam damnare sensum alicuius auctoris, non prius in animo determinando quis ille sit; cum doctrina cuiusvis auctoris indefinite sumpta, & abstrahendo ab hac vel illa doctrina, nec vera sit nec falsa.

Dist. pariter minorem: Iansениani non damnant sensum Iansenii, id est sensum gratiae per se efficacis, quem solum a Iansenio traditum esse existimant, Concedo; non damnant sensum Iansenii, id est sensum gratiae necessitantis Iansenio attributum, Nego. In

damnatione cuiusvis auctoris vel libri duplex iudicium fertur : unum quo iudicatur certam aliquam doctrinam haereticam esse : alterum quo iudicatur eam tali libro contineri. Primum iudicium est irreformabile ; alterum non caret, ut probabimus, erroris periculo. Hinc duplici, immo triplici modo resisti potest huiusmodi definitionibus : 1.° negando doctrinam ab Ecclesia damnatam, haereticam esse ; sic Monothelitae negabant doctrinam quae unicam in Christo voluntatem agnoscit, haereticam esse ; 2.° consentiendo quidem doctrinam quam Ecclesia damnat, haereticam esse, sed negando eam tali Scripto cui attribuitur, v. g. Honorii Epistolis contineri : 3.° negando & talem doctrinam haereticam esse, & tali libro contineri, ut si quis Monothelita unicam operationem in Christo admittendo, ita sensisse Honorium negassent. Qui Ecclesiae definitionibus primo modo non acquiescunt, sunt haeretici, quia circa fidem dissentiunt : qui secundo modo, non sunt haeretici, quia circa merum factum humanum dissentiunt, sicut nemo haereticum Bellarminum dixerit, eo quod Epistolas Honorii ab errore Monothelitarum a Patribus sextae Synodi eis attributo vindicaverit. Demum qui tertio modo, prout circa ius dissentiunt, haeretici sunt ; non autem, prout attributionem tali libro factam negant.

Hinc evanescit adversariorum aequivocatio. Nam si putati Ianseniani concederent gratiam necessitantem a Iansenio traditam esse, hocque dogma pro haeretico habere nollent, prorsus essent haeretici : sed non ita est. E contrario profitentur illam doctrinam haereticam esse ac merito damnatam, negantque tantummodo eam in Iansenii libro reperiri : adeoque non magis tenent errores quinque propositionum, quam Baronius, Bellarminus &c. errores Monothelitarum, uno verbo vel Iansenii sensus est ille quem damnavit Ecclesia, vel quem volunt eius Apologistae : si prius, nullum habet defensorem ; qui enim eum defendunt, sensum illum anathematizant ; si posterius, absque ullo errore defenditur. Consulite Pauli Irenaei disquisit. 1. & Epistolam 2. *de haeresi Imaginaria*.

Obiiciunt 2.° Emin. Card. Noallius Archiepiscopus Parisiensis damnavit 20. Augusti 1696. librum cui titulus, *Expositio fidei circa gratiam & praedestinationem*, veluti renovantem errorem primae propositionis : Ergo Ianseniani defenderunt errores quinque propositionum.

Respondeo ex hac damnatione nihil concludi posse. Nam etsi

concederemus aliquam propositionem parum accuratam in illo libello contineri, num ideo auctor haereticus fuit? Quoties accidit, ut viris valde catholicis, ubi difficiles & abstractae quaestiones tractantur, verba excidant non satis ponderata? At certum est memoratam damnationem nemini placuisse. Nam & Augustiniani & Moliniani vix ullum discrimen advertere potuerunt inter libri doctrinam, & doctrinam egregiae Institutionis qua proscriptus est; ita ut hocce illius summarium esse videatur, ut probavit auctor operis cui titulus, *Abregé de l' histoire du Iansenisme a Cologne 1697.*

QUAESTIO QUINTA.

Utrum Augustiniani ante quinque propositionum damnationem confessi sint eas esse Iansenii eiusque libri sensum complecti?

QUI Iansenii defensores fraudis ac malae fidei accusant, nihil frequentius in ore habent, quam eos, antequam quinque propositiones damnarentur, id concessisse quod nunc negant, illas a Iansenio traditas esse. Verum huic obiectioni ex praemissis satisfacere facillimum est. Nam ut diximus, Augustiniani semper asseruerunt quinque propositiones quales delatae sunt, nullibi extare in libro Iansenii, excepta prima. Cum vero eas utpote ambiguas, duplici sensu, uno catholico, altero haeretico accipi posse crederent, sensum quidem catholicum a Iansenio traditum esse dicebant, haereticum autem scilicet gratiae necessitantis, quemadmodum post datam Constitutionem, sic etiam antequam daretur, semper negarunt.

Probatur 1.° quia non alio sensu quinque propositiones Iansenio attribuere potuerunt, quam quo ipsimet eas defendebant: atqui ex dictis nunquam eas absolute defenderunt, sed tantum in sensu catholico gratiae per se efficacis: Ergo &c.

Probatur apertissimis eorum verbis. D. *Coppin* in Scripto, quod in Sorbonae Comitiis obtulit 1. Decembris 1649. dicebat propositiones „ a nullo auctore, in sensu quem prae se ferre videntur, „ assertas fuisse “. In libro, cui titulus: *Quinque propositionum de gratia vera & catholica expositio anno* 1651., legitur „ has propo-

Diarii Part. 1. Cap. 14.

„ sitiones esse ad libitum fictas tamdiu constabit, quamdiu ubi & „ a quo ut iacent assertae sint demonstratum non fuerit: quod a „ nemine hactenus nisi mendaciter praestitum est, nec praestari „ potest “. Et postea: „ Posterius est quod spectat ad harum pro- „ positionum sensum, scilicet aequivocas esse penitus & ambiguas „ omnes; propatereaque hinc rectae, inde perversae; hinc catholi- „ cae, inde erroneae & haereticae interpretationi obnoxias: possunt „ enim ad gratiae victricis & per se efficacis ad singulos piae volun- „ tatis motus necessariae doctrinam singulae revocari, nec alio quam „ gratiae istius per se efficacis sensu aut ab Episcopo Iprensi, aut „ ab alio quovis B. Augustini discipulo defensae sunt, nunquam ab „ eis ut iacent assertae, ut in libro de gratia Christi victrice satis „ fuse & perspicue demonstratur “.

D. *De Lalane* in praefat. libri *de gratia victrici* dicebat: Propositiones „ esse ad libitum fictas, quae nec apud Iansenium, nec „ apud eius defensores reperiantur “. Sanct-Amorius in Memoriali quem Innocentio X. obtulit 10. Iulii 1651. asseruit sensum haereticum a nemine defendi; & in Scripto trium columnarum, quem una cum Collegis composuit, primam *propositionem a loco suo dolose avulsam* fuisse, id est, longe alium in libro Iansenii sensum habere, quam inde avulsam.

Episcopi Galliae, quorum nomine Romae agebant Theologi, declararunt similiter in Epistola ad Innocentium X., quinque propositiones *ad libitum fictas* fuisse *& ex ambiguis vocibus concinnatas*, & Illustriss. *Godeau* in peculiari ad eumdem Epistola dixit, eas nullo ex certo auctore, illis ipsis quibus conceptae sunt verbis, excerptas fuisse.

Constat ergo Iansenii defensores eisdem vestigiis semper institisse, at de ipsorum adversariis idem dici non potest. Nam errorem Calvinianum gratiae necessitantis Iansenio omnes olim attribuerunt, nunc vero non pauci, magni apud suos nominis, ut Illustrissimi De Fenelon, Godet des Maretz, De Bissy, Languet, & D. Tournely, alios sensus plane diversos ad libitum attribuunt.

QUAESTIO SEXTA.

An Ianſenii liber Romae iuridice examinatus fuerit.

Quaeſtio non eſt, utrum de Ianſenii libro diſputatum fuerit, ſed utrum eius examen fieri verumque ſenſum inquiri a Conſultoribus SS. Pontifices iuſſerint. Alii affirmant, negant alii, quorum ſententiae accedimus his praeſertim momentis adducti.

1.um Eſt, quod Innocentius X. quo tempore quinque propoſitiones examinabantur, ſaepe declaraverit Deputatis XI. Epiſcoporum *nolle ſe omnino ut ulla Ianſenii mentio fieret*. Quorſum autem vetabat ne mentis Ianſenii fieret; ſi eius librum iuſſerat expendi? Reponit D. Tournely, S. Pontificem pati noluiſſe, ut liber a deceſſore ſuo iam proſcriptus defenderetur. Eſto; at certe qui non vult librum aliquem defendi, conſequenter eum examinari non vult. Verum Urbani VIII. Bulla nullo modo obſtare debuit, quominus liber Ianſenii ad examen revocaretur; nam praeterquam quod Ianſenii nomen contra intentionem S. Pontificis, nullo examine praemiſſo in ea Bulla inſertum fuerat ab Albizzio, certe ſub Urbano VIII. de quinque propoſitionibus nondum agebatur, quae ipſo tantum mortuo delatae ſunt.

Diarii Part. 4. Cap. 2.

Tom. 1. pag. 272.

Vide ſupra.

2.um Eſt, quod Cardinalis Spada Congregationis Decanus, DD. De Lalane, & De Saint Amour declaravit, *propoſitiones conſiderari praeciſe in Congregatione ſecundum ſeipſas, abſtrahendo a ſenſu unius vel alterius*. Cum autem fama eſſet, Deputatos Lovanio Romam venturos ad defendendum librum Ianſenii, idem Cardinalis ad Apoſtolicum in Hiſpania Nuntium ſcripſit, hortans ut Regem catholicum averteret, ne litteras Lovanienſibus pro Ianſenii defenſione daret, *eo quod de Ianſenio Romae non ageretur, ſed tantum de quinque propoſitionibus quae ſecluſo auctoris ſenſu expendebantur*. Waddinghus, unus e Conſultoribus, in relatione quam ſcripſit de quinque propoſitionibus, teſtatur in prima Congregatione, habita 22. Septembris 1652., „ actum eſſe de modo procedendi in ſingulis Congregationibus & de methodo diſputandi: auditiſque omnium ſententiis, inquit, concluſum fuit ut ſingulae propoſitiones „ per

Diarii Part. 5. Cap. 7.

„ per se examinarentur & qualificarentur in abstracto prout iacent, „ absque ullo respectu ad auctorem ". Alius Consultor, Vincentius a Pretis, Commissarius S. Officii, in suo circa primam propositionem voto: „ Haec propositio, inquiebat, non est qualificabi„ lis ratione proferentis, quia proposita fuit in abstracto, ut prae„ scindit ab omni proferente ".

Ad haec tam perspicua quid D. *Tournely?* „ Deplorata pro„ fecto caussa est, inquit, quae tam infirmis nititur praesidiis ". Cui risum non moveat adeo iocularis responsio? Sed pergamus: „ Cardinalis Spada, inquit, non excludebat sensum Iansenii, sed „ varios duntaxat sensus Calvini, gratiae efficacis Thomisticae vel „ Molinianae, quos Ianseniani in dictis propositionibus distingui „ debere contendebant: quibus tamen sepositis recte ostendebat Hal„ lerius quinque propositiones censuram mereri. Idem sensus est „ Vincentii De Pretis & Lucae Waddinghi ". His paucis verbis, *infirma*, ut vocat, *deploratae caussae praesidia* sic ille *infirma*, ut ait, *praesidia* evertisse se arbitratur. Sed frustra. Nam 1.° ait Cardinalis Spada, propositiones consideratas fuisse *secundum seipsas:* Ergo sine ullo ad Iansenii librum respectu: 2.° Ait, illas consideratas fuisse *abstrahendo a sensu unius vel alterius:* Ergo tam abstrahendo a Iansenii, quam a cuiuslibet alterius sensu. Ait 3.° *Romae actum non fuisse de Iansenio, sed tantum de propositionibus, secluso auctoris sensu*, quo clarius nihil postulari potest. 4.° Ait Waddinghus, propositiones examinatas fuisse prout iacent *absque ullo respectu ad auctorem*. Quis porro ferebatur auctor propositionum? Nonne Iansenius? Ergo eius libri nullum examen habitum est, sed tantum quinque propositionum solitarie spectatarum. 5.° Falsum est Hallerium ostendisse, seposito Calvini sensu nihilominus quinque propositiones censuram mereri. Nam ex ipsomet Hallerii Scripto quod laudat adversarius, constat Calviniani sensus damnationem ab eo postulatam fuisse. Loquens enim de errore secundae propositionis: 2.^am inquit *non nisi a Calvino eiusque sequacibus fuit assertum;* De tertia, *haec sententia*, ait, *eadem est ac Calvini;* De quarta: *Quaeritur*, inquit, *utrum gratia in statu naturae corruptae talis sit ut necessitatem inferat voluntati, adeo ut ei non posset dissentire*. Quod certe Calvini dogma est; 5.^am exponit iuxta mentem Calvini, qui Christum pro nullo reprobo mortuum esse contenderat. In alio Scripto sic de prima propositione loquebatur: *Primam propositionem Iansenistae*

cum Calvino communem habent. Quot igitur verba hic profert D. *Tournely*, tot sunt conspicuae falsitates.

Tertium argumentum praebent vota Consultorum, quorum in plerisque Iansenii nulla mentio fit. Habemus illa vota ab Episcopo Lodevensi Roma redeunte allata, ex quibus apparet omnes, quatuor aut quinque exceptis, de libro Iansenii penitus siluisse; quod procul dubio non siluissent, si eum examinare in mandatis habuissent. Immo Vincentius de Pretis in suo voto diserte dicit, propositiones in se tantum examinari, & Waddinghus sic de secunda propositione loquitur: *Haec propositio cuiuscumque auctoris illa sit &c.* Proinde si aliqui Consultorum de Iansenio locuti sunt, ex abundanti & praeter data sibi mandata id fecerunt.

Tom. I. p. 396. Respondet D. *Tournely*; „ In sex ex iis suffragiis Consultorum quae inter collectanea edidit *De Saint Amour* omissa fuisse „ circa unam primam propositionem verba haec *in sensu Iansenia-* „ *no*, quae tamen in auctographo dictorum suffragiorum extare te- „ status est 1. Iunii 1657. coram Congregatione D. Vizzani Sancti „ Officii Assessor ". Verum quidquid sit de illa declaratione D. Vizzani, cuius fides sit penes relatorem, nulla certe fraus fuit ex parte Augustinianorum, qui haec vota, qualia Roma allata sunt, talia publicae luci dederunt. Verum ad nostrae Thesis probationem sufficit, quod, adversario fatente, aliqui Consultores in suo voto nihil de Iansenio dixerunt.

Probatur 4.° ex ipsamet Constitutione, in qua Innocentius X. dicit quidem, se quinque propositiones sibi oblatas fecisse singillatim diligenter examinari; sed de examine libri Iansenii, ne verbum quidem habet: quod tamen non omisisset, si hoc examen fieri praecepisset.

Constat etiam illud examen sub sequentibus Pontificibus tentatum non fuisse, sed Alexandrum VII. definivisse quinque propositiones e Iansenii libro extractas & in eius sensu damnatas, eo quod ex decessoris sui Constitutione id sequi existimabat. Quod vero Gallos spectat, alibi retulimus quomodo sex Commissarii illud examen intra 15. dies paucis in sessionibus anno 1654. absolverint. Igitur nullum unquam examen iuridicum Iansenii libri factum est; quod tamen ad facti veritatem confirmandam inprimis necessarium erat.

Iam expendenda sunt quae D. Tournely in contrarium opponit.

1.um Eſt Epiſcopos 85. qui ad Innocentium X. ſcripſerant, non propoſitiones in abſtracto, ſed propoſitiones *Ianſenii* denuntiaſſe; & XI. Epiſcopos, qui alias ad eumdem litteras dederunt, non de alio quam Ianſenii ſenſu ſollicitos fuiſſe, quamvis eum appellare non auderent.

Reſpondeo quantum ad 85. Epiſcopos, eos nullo facto Ianſenii libri examine, Haberti Epiſtolae oſtiatim circumlatae ſubſcripſiſſe. Caeterum in illa Epiſtola non dici quinque propoſitiones eſſe Ianſenii, nec poſtulari ut liber Ianſenii examinaretur; ſed dico duntaxat motus excitatos fuiſſe in Gallia occaſione libri Ianſenii ac poſtulari tantum ut de quinque propoſitionibus iudicium ferretur. Demum, etiamſi 85. Epiſcopi poſtulaſſent libri examen, quod certe non poſtularunt, hoc a S. Pontifice conceſſum non eſſe, allato modo argumenta demonſtrant.

Quod ſpectat XI. Epiſcopos, adeo non poſtularunt examinari librum Ianſenii, ut expreſſe dixerint quinque propoſitiones ad libitum fictas eſſe, nulloque ex certo auctore excerptas.

Opponit 2.° Hallerium in ſuis Scriptis apertam Ianſenii mentionem feciſſe, atque in uno eorum deſignaſſe & indicaſſe loca libri, e quibus quinque propoſitiones extractae eſſent. Eumdem de Ianſenii ſenſu cum Dominicanis contuliſſe, & in Congregatione, teſte Waddingho, *ferventer contra doctrinam Ianſenii & ſequacium peroraſſe*.

Haec non inficior: Sed quid inde? Hallerius aſſeruit Calvini errorem in quinque propoſitionibus contentum a Ianſenio traditum eſſe; an inde ſequitur hoc factum examinari iuſſiſſe S. Pontificem, cum contrarium certiſſima monumenta demonſtrent?

Obiicit 3.°, Deputatos pro Ianſenio eius doctrinam aperte defendiſſe.

Reſpondeo, Theologos Auguſtinianos, non pro Ianſenii, ſed pro gratiae per ſe efficacis defenſione unice deputatos fuiſſe, nec pro Ianſenio, cuius perſonam Romanis odioſam eſſe noverant, locutos, ſed poſtulaſſe tantum ut ſenſus catholici quinque propoſitionum ab haereticis diſtinguerentur. Caeterum quidquid ſit de Auguſtinianis, certum eſſe hanc facto quaeſtionem in Romanis Congregationibus agitatam non eſſe.

Obiicit 4.° Dominicani in ſuis Scriptis & Memorialibus & aliis Scriptis Dominicanorum, inquit, multa pro Ianſenio dixerunt: Ergo in Romano examine de illo actum eſt.

Nego conseq. Quamvis enim Dominicani Iansenium Scriptis vindicaverint, quod argumento est defensionem Iansenii non esse malae & perversae doctrinae indicium; inde concludi non potest caussam Iansenii in Congregationibus agitatam esse, siquidem Scripta Dominicanorum in eis nec exhibita nec lecta sunt. Constat e contrario Generalem Dominicanorum decies & septies postulasse audientiam eo fine, ut suis Theologis daretur licentia interveniendi in caussa quinque propositionum, ac toties repulsam passum fuisse, eo quod illas absolute & nude spectatas expendi vellet Innocentius.

Obiicit 5.° Innocentium X. & Alexandrum VII. in suis Constitutionibus quinque propositiones damnasse in sensu Iansenii quod supponit librum Iansenii examinatum fuisse.

Respondeo Iansenium nominari quidem in Constitutione Innocentii X. velut quinque propositionum auctorem; at circa hoc factum, quod propter multorum sermones pro vero supposuit, nihil a Summo Pontifice definitum, ut quaestione sequenti demonstrabitur. Quod attinet ad Alexandrum VII. non diffiteor eum declarasse quinque propositiones *ex Iansenii libro excerptas, & in sensu ab auctore intento damnatas fuisse;* sed nullum novum examen ab eo institutum esse fateri coguntur ipsimet adversarii.

6.um Obiicit Breve datum 1. Augusti 1661. adversus Vicarios Generales Archiepiscopi Parisiensis, in quo graviter eos obiurgat, quod in Mandato publico dixissent „ non minus temeraria quam „ mendaci narratione, tempore Innocentii X. non aliud actum fuisse „ quam inquisitum an propositiones illae quinque de gratia verae „ & catholicae, an potius falsae & haereticae censendae forent: „ Cum eo tempore “, ait Pontifex velut oculatus testis, „ nedum „ de propositionibus ipsis cognitio habita fuerit, verum quod e „ Iansenii libro *Augustinus* nuncupato extractae essent “. Addi potest quod ait idem Pontifex in Constitutione data 16. Octobris 1656. „ Cum sicut accepimus nonnulli iniquitatis filii praedictas „ quinque propositiones vel in libro Iansenii non reperiri, vel „ fictas & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem „ intento damnatas fuisse asserere magno cum Christi fidelium scandalo non reformident: Nos qui omnia quae in hac re gesta sunt „ sufficienter & attente perspeximus, utpote qui eiusdem Innocentii „ praedecessoris iussu . . . omnibus illis congressibus interfuimus in „ quibus Apostolica auctoritate eadem caussa discussa est ea profecto „ diligentia qua maior desiderari non posset &c. „.

Respondeo his monumentis, qualiacumque videantur, infirmari non posse quae in contrarium protulimus ipsius Innocentii, Card. Spadae, & Consultorum apertissima testimonia. Breve contra Vicarios Generales Parisienses exponi potest hoc sensu, quod habita sit cognitio facti Iansenii, etsi non per iuridicam discussionem. Vicarii in suo Mandato dixerant, 1.° Innocentium X. nihil definivisse circa sensum Iansenii: 2.° sub eodem iuquisitum non fuisse in veritatem huius facti. Utrumque offendit Alexandrum VII. ratum eos Constitutioni illudere voluisse. Quamobrem declaravit 1.° decessorem suum damnasse doctrinam Iansenii; 2.° eum non caeco modo id egisse, sed habita cognitione quod quinque propositiones ex Iansenii libro extractae essent. Verum non declaravit, nec declarare potuit cognitionem illam per iuridicum libri examen habitam esse; cum Romae & ubique constaret Innocentium X. praecepisse, ut propositiones expenderentur absolute & in abstracto. Undenam igitur iuxta Alexandrum cognitionem illam hausit Innocentius? Certe vel ex publica fama, vel ex Hallerii & Iesuitarum testimonio, vel ex Epistola octoginta quinque Episcoporum Galliae quae id supponebat, vel ex illis omnibus simul coniunctis quae tanto maiorem vim habebant ad persuadendum Summum Pontificem quod pauci admodum pro Iansenio loquerentur, & Augustiniani deputati nihil pro illo dicerent. Profecto si legitimum examen factum fuisset, vix adducor, ut credam Alexandrum VII. tam confidenter pronuntiaturum fuisse quinque propositiones e libro Iansenii excerptas fuisse; quippe fatentibus iam adversariis eas non tales in libro exstare, quales delatae ac damnatae sunt.

Eodem fere modo explicari debet Constitutio anni 1656. Esto, propositionum *caussa discussa sit ea diligentia qua maior desiderari non potest*, quamvis semel tantum, adornata iam Bulla, ad speciem magis atque pompam quam ad veritatis inquisitionem auditi fuerint Doctores deputati: At saltem libri caussa non ita discussa est. Hanc forte ob caussam Alexander VII. generatim declarat caussam discussam fuisse in congressibus; quaenam autem sit illa caussa, iuris, an facti, an utriusque distincte non exponit. Equidem iniquitatis filios ibidem appellat qui quinque propositiones in libro Iansenii reperiri, vel in eius sensu damnatas esse negabant. Verum quid hoc demonstrat, nisi eum a Iansenii adversariis praeoccupatum fuisse? Quandoquidem pertinacissimi Anti-Iansenianni hodie confitentur non ipsas propositiones, sed solum earum sensum in Iansenii libro con-

tineri. Constat ergo hoc factum ex solis rumoribus & adversariorum clamoribus Summis Pontificibus cognitum fuisse, non ex legitimo examine, quod si factum esset, procul dubio patefecisset propositiones, excepta prima, nullibi apud Iansenium, prout enuntiantur, extare, ac penes sensum duntaxat in eius libro contineri posse.

7.^{um} Momentum. Vel in sensu Iansenii discussae sunt propositiones, vel in sensu Calvini: alterum absurdum est; nam 1.° omnes consentiebant sensum Calvini haereticum esse, nullaque circa hoc difficultas erat; 2.° an per duos annos disputatum esset de sensu in Concilio Tridentino iam dudum damnato? 3.° Agebatur de sensu qui, fatentibus Iansenianis, nonnisi a viris in Theologia versatissimis dignosci potest, de quo volebant institui disputationem contradictoriam, qui cum dogmate gratiae ex se efficacis intime coniunctus est, quem demum aliqui e Consultoribus a censura vindicabant: Talis porro non est sensus Calvini: Ergo quinque propositiones in sensu Iansenii discussae sunt.

Respondeo hoc argumento non attingi statum quaestionis: Quaestio enim non est utrum quinque propositiones discussae ac damnatae sint, sed utrum legitimo libri examine exploratum sit, an illae propositiones earumque error in eo reipsa contineantur. Potuerunt autem Consultores expendere propositiones in sensu qui Iansenii dicebatur, & libro eius a multis attribuebatur, & non expendere veritatem aut falsitatem illius attributionis.

Respondeo 2.° nec in Iansenii, nec in Calvini, nec in cuiuslibet alterius sensu discussas esse quinque propositiones, sed in seipsis, in abstracto, & absque respectu ad sensum auctoris. Discussione autem facta Consultores Summumque Pontificem censuisse, illas in obvio ac naturali sensu continere doctrinam Calvinianae non absimilem, ideoque damnasse.

Ad 1.^{am} confirmationem dico, de Calvini quidem sensu, utrum catholicus an haereticus foret, controversiam non fuisse; sed quaestionem fuisse an sensus Calvini foret proprius sensus propositionum, aliis id affirmantibus, aliis negantibus, quibusdam dubitantibus, caeteris ut varii propositionum sensus distinguerentur, postulantibus.

Ad 2.^{am} dico, quamvis opus non fuerit longa & operosa discussione ad reprobandum errorem Calvini, quem omnes reiiciebant, non ita facile fuisse determinare utrum ille foret quinque propositionum sensus, & utrum, spectata sensuum varietate, absolute damnari deberent.

Ad 3.um dico minime actum fuisse de sensu quem defendebant Augustiniani, Thomistae, & aliqui e Consultoribus; hic enim sensus erat gratiae per se efficacis, quem attingi vetuerat Innocentius; sed examinatum duntaxat, an ille sensus, quem omnes catholicum esse agnoscebant, esset germanus propositionum sensus, nec ne. Qui e Consultoribus propositiones a censura vindicarunt, circa doctrinam caeteris consentiebant, dissentiebantque tantum circa interpretationem propositionum.

Instat. D. *Tournely:* Discussae sunt propositiones in sensu proprio: at fatentibus Ianseniani in Scripto trium columnarum, sensus proprius propositionum est sensus Iansenii: Ergo &c.

Retorqueo 1.° argumentum: Discussae sunt propositiones in sensu proprio: at iuxta Sambovium, & plerosque Iansenianos sensus Iansenii diversus est a sensu proprio propositionum: Ergo non discussae sunt in sensu Iansenii.

2.° Dist. maiorem: Discussae sunt propositiones in sensu proprio, fixo, & determinato, & de cuius falsitate aut veritate disceptaretur, Nego: In sensu proprio, non fixo, sed figendo, Concedo. Minorem pariter distinguo: Ex Iansenianis omnibus sensus proprius propositionum est sensus Iansenii, Nego. Constat enim, & fatetur D. *Tournely* Sambovium & multos alios aliter sensisse. Ex Iansenianis paucis sensus proprius propositionum est sensus Iansenii, subdistinguo: Sensus proprius, id est sensus, quem solum in propositionibus defendebant, est sensus Iansenii, Concedo: Sensus proprius, id est, quem verba propositionum in seipsis & praescindendo ab earum defensoribus spectata prae se ferunt, Nego. Responsio patet ex dictis antea.

8.vum Momentum. Waddinghus initio suae relationis sic loquitur: „ Exortis & crescentibus in dies tumultibus in Belgio, dein „ in Gallia, mox in Polonia, quibusdam acriter invehentibus in „ doctrinam librumque Iansenii *Augustinus* nuncupatum, aliis ex „ adverso illum mordicus defendentibus, venerunt a Lutetia Docto„ res Sorbonici caussam utrimque prosecuturi". Ergo de libro Iansenii actum est in examine Romano.

Nego consequentiam. Augustiniani deputati semper professi sunt se, non ut defenderent Iansenium eiusve librum, sed tantum ut vindicarent doctrinam gratiae seipsa efficacis, Romam venisse. Waddinghus ipse supra testatur propositiones in congressibus examinatas

fuisse *ut iacent ac sine ullo respectu ad auctorem*. Cum igitur dicit tumultos ortos esse circa doctrinam librumque Iansenii, memorat occasionem tumultuum, non vero exponit, quid in Congregationibus actum fuerit.

QUAESTIO SEPTIMA.

An Innocentius X. in sua Constitutione Iansenii factum definire voluerit?

Sensus quaestionis non est utrum Innocentius crediderit, & in sua Constitutione dixerit propositiones esse Iansenii; utrumque indubitatum est. Sed utrum Iansenium nominando, definire voluerit quinque propositiones in eius libro contineri & in sensu ab ipso intento damnatas esse. Anti-Iansenani contendunt hoc in Constitutione definitum esse; Negant plurimi his praesertim momentis impulsi.

1.um Nullum in ipsa Constitutione exstat huiusce definitionis vestigium. Bis tantum in ea Iansenii liber nominatur: initio quidem his verbis: „ Cum occasione libri cui titulus *Augustinus &c.* „ inter alias eius opiniones orta fuerit, praesertim in Gallia, con- „ troversia supra quinque ex illis &c.". Et sub finem sic habetur: „ Non intendentes tamen per hanc declarationem & definitionem „ super praedictis quinque propositionibus factam, approbare ullate- „ nus alias opiniones quae continentur in praedicto libro Cornelii „ Iansenii ". Porro manifestum est haec verba supponere quidem & enuntiare, sed non definire quinque propositiones esse Iansenii. Revera quando Alexander VII. hoc factum definire voluit, longe aliter locutus est: „ Quinque illas propositiones, inquit, ex libro „ . . . Iansenii . . . excerptas, ac in sensu ab eodem intento dam- „ natas fuisse declaramus ac definimus ".

2.° Idem demonstrant quae in praecedenti quaestione dicta & probata sunt. Si enim Innocentius X. noluit ut liber Iansenii examinaretur, sed propositiones in seipsis expendi iussit *absque ullo ad auctorem respectu*; aut nullo praehabito examine facti quaestionem defini-

definivisset, quod sentire non patitur reverentia illi debita, aut eam definire noluit, ut asserimus.

3.° Refertur in actis Cleri Gallicani Episcopum Lodevensem, qui Romae per aliquot annos commoratus erat, testatum esse in Comitiis anni 1656. Innocentium X. sibi dixisse „ se, ad vitandas „ cavillationes, ac praevertendas quae moveri potuissent contentio„ nes, personam memoriamque Iansenii ac facti quaestionem attin„ gere noluisse; sed verbis Constitutionis satis aperte insinuasse, „ mentem suam esse, quinque propositiones in libro Iansenii „ contineri “.

Ipsemet Innocentius in Brevi ad Tutelensem Episcopum 21. Martii 1654. loquens de quinque propositionibus ait: „ Quae ex „ Cornelii Iansenii libris excerpta esse videbantur “. Itane dubitando & opinando locutus fuisset, si illud factum in sua Constitutione definire intendisset?

4.° Idipsum colligitur ex Brevi eiusdem ad Galliae Praesules dato 29. Septembris 1654. Cum enim illi retulissent in suis litteris se declarasse „ Propositiones illas & opiniones esse Cornelii Ian„ senii, & in eiusdem Iansenii sensu a Sanctitate Sua disertis & ma„ nifestis verbis damnatas “; laudavit quidem eorum pro sua Constitutione studium, sed de facto Iansenii ieiune admodum ac frigidissime respondit: „ Constitutione nostra, inquit, damnavimus in „ quinque propositionibus Cornelii Iansenii doctrinam eius libro „ contentam “. Apparet ex his verbis Summum Pontificem Episcoporum zelum hac in parte non approbasse, ac supposuisse quidem quinque propositiones Iansenii esse, sed illud directe definire noluisse.

Dices: Alexander VII. in Bulla anni 1656. declarat „ quin„ que propositiones (ab Innocentio) in sensu a Iansenio intento „ damnatas fuisse “: Ergo &c.

Nego consequentiam. Alexander VII. declarat propositiones damnatas fuisse a suo Decessore in sensu a Iansenio intento, id est, in sensu quem a Iansenio intentum opinabatur, non autem quem a Iansenio intentum Pontificia auctoritate declaraverit. Patet solutio ex dictis.

QUAESTIO OCTAVA.

Utrum Ecclesia universa pronuntiaverit doctrinam haereticam quinque propositionum in Iansenii libro contineri?

Nihil frequentius exprobratur iis, qui de facto Iansenii dubitant, quam eos Ecclesiae iudicio non acquiescere. Adversus illam obtrectationem duobus modis defendi possunt: 1.° ostendendo iudicia Ecclesiae circa facta non revelata errori obnoxia esse, ac licere, quando legitima momenta subsunt, de huiusmodi factorum veritate dubitare, quemadmodum de mente & litteris Honorii in Synodo VI. damnati quotidie disputant Theologi: 2.° demonstrando falsum esse, quod adeo confidenter asseritur, universam Ecclesiam definivisse quinque propositiones exprimere doctrinam & sensum libri Iansenii. Priori methodo insistam postea; nunc posteriori utendum est.

Notandum est 1.° Iudicium S. Pontificis per se reputari non posse iudicium universae Ecclesiae, non enim in solo Pontifice tota stat Ecclesia: sed requiri ut omnes vel fere omnes Catholici Episcopi idem iudicium de Iansenii libro tulerint.

Notandum 2.° Legitimum circa huiusmodi facta iudicium ferri non posse, nisi liber de quo disceptatur accurate lectus & discussus fuerit. Sensus enim cuiusvis libri nonnisi per accuratum eius examen cognosci potest, ut ipse se vel accuset vel defendat.

Notandum 3.° Iudicium de sensu alicuius libri universae Ecclesiae attribui non debere, nisi Praesules omnes, qui librum condemnant, eosdem errores in eo reperiant. Si enim alii alios sensus assignent, manifestum est non idem sed longe diversum ab illis iudicium ferri.

Notandum 4.° Evidens non esse, errores quinque propositionum contineri in libro Iansenii, siquidem de hoc facto disputant eruditi.

Notandum 5.° Omnes fere Episcopos, exceptis paucissimis Gallicanis & Belgis, apud quos quaestio Ianseniana potissimum agitata est, nunquam legisse librum Iansenii, eumque non cognoscere nisi ex Decretis Pontificiis, quibus damnatus est, ut confessus est P. Annatus in Responsione ad quaedam quaesita pag. 48.

His notatis, dico Ecclesiam nunquam definivisse factum Iansenii. Nam ut Ecclesia definierit hoc factum, oportet 1.° ut catholici Episcopi, libro diligenter discusso, eum caussa cognita haereticum esse iudicaverint. Deinde ut consenserint certum sensum haereticum in illo contineri; nam si sensus diversos ei attribuant, nedum unanimis sit omnium consensio, iudicium unius adversatur iudicio alterius: atqui in damnatione libri Ianseniani haec duo desiderantur.

1.° Quidem dici non possunt omnes Episcopi, discusso diligenter libri sensu, iudicasse illum haereticum. Nam in maxima orbis catholici parte, in Italia, Hispania, Lusitania, Polonia, Germania, Hungaria &c. vix unus aut alter Episcopus legit & examinavit grande volumen Iansenii. Illarum quidem partium Episcopi quinque propositiones tanquam fidei contrarias damnarunt. At circa Iansenii sensum sibi ignotum quondam iudicium ferre potuerunt? Esto crediderint Summis Pontificibus declarantibus quinque propositiones extractas esse ex libro Iansenii, & ibi traditas esse in sensu haeretico: saltem hoc factum iuridice definire, utpote incognita caussa & absque praecedente examine, non potuerunt.

In ipsa Gallia, ubi contentiones acerrimae fuerunt, multi Episcopi initio disputationum de Iansenii mente ambigebant, aut saltem optima fide ambigi posse persuasum habebant. Tales fuere quatuor Praesules Bellovacensis, Electensis, Apamiensis, & Andegavensis; tales etiam novemdecim qui pro illis ad Summum Pontificem & ad Regem Christianissimum scripserunt; & alii viginti qui, teste non suspecto Cardinali Rospiglioso, illorum caussam adiuvare parati erant. Plerique Episcopi solam silentii obsequiosi reverentiam definitioni facti Ianseniani debitam esse declaraverunt, alii in processibus, ut aiunt, verbalibus; alii in Mandatis vulgatis, etsi non praelo excusis; alii viva voce. Vix autem credi potest eos id declaraturos fuisse, si omnis Ecclesia, habito accurato libri examine, definivisset doctrinam haereticam in libro Iansenii certissime contineri. Attamen nemo non fatebitur postremi saeculi Episcopis, quorum plerique doctissimi & sanctissimi fuerunt, quique nascentem tunc disputationem diligentius expenderunt, maximam fidem habendam esse, eosque Successoribus suis & sentiendi & agendi normam praefixisse.

Equidem non pauci Galliarum Praesules summo studio Iansenii librum persecuti sunt. Sed fatendum est eorum plerosque non ea qua par erat diligentia illum examinasse.

Quis non miretur praecipitem festinationem, qua hoc examine defuncta sunt Comitia anni 1654. Nominantur sex Commissarii, qui rem dispiciant: intra decem sessiones grande opus absolvunt. Referunt quinque propositiones in Iansenio extare; 1.° quia 85. Praesules id dixerant in Epistola ad Innocentium, quasi illi Praesules id ex libri lectione & examine cognovissent, & non ex accusatorum fide credidissent: 2.° quia Bulla idem enuntiabat; licet Summus Pontifex hac enuntiatione factum ipsum definire non intendisset, ut modo probatum est: 3.° quia in litteris praecedentium Comitiorum ad Innocentium idem assertum fuerat, quamvis in illis Comitiis ne vestigium quidem examinis praeluxerit: 4.° demum quia facta comparatione quinque propositionum cum aliquot libri locis, compererant rem ita se habere; verum cur illa loca, in quibus propositiones earumque errores repererant, non protulerunt? Cur ea non relata sunt in acta Cleri, cum nihil efficacius esse possit ad facti veritatem demonstrandam? Attamen demus illud examen satis accuratum fuisse. Quid de caeteris Episcopis dicemus, qui rem non expenderunt, nisi illos credidisse ex relatione sex Commissariorum eamdem esse propositionum & libri Ianseniani doctrinam? Sed hoc iuridice pronuntiare quo tandem pacto potuerunt?

Iam si Episcopos nunc viventes attendamus, qui Formulae subscriptionem severius extorquent, quotus quisque illorum est qui librum Iansenii vel a fronte salutaverit? Plerique aliena fide, non propria scientia de facto iudicant. Igitur sive exteras nationes, sive ipsam Galliam attendas, manifestum est longe maiorem Episcoporum partem non examinasse, adeoque definire non potuisse factum Iansenii.

Sane qui huius disputationis progressum attente perpenderit, facile deprehendet Episcopos, & alios qui formulae subscribunt, idcirco factum Iansenii credere, quia declaratum & definitum est ab Alexandro VII. Alexandrum VII. illud declarasse motum Decessoris sui opinione, Gallicanorum Praesulum testimonio & precibus, & forte etiam circumventum fraude nonnullorum, qui propositiones libro malitiose assutas illi ostendisse dicuntur: Conventum Gallicanum anni 1654. illud pronuntiasse propter Constitutionis Innocentianae, quae id enuntiabat auctoritatem: Innocentium X. illud pro certo quidem supposuisse propter plurimorum & maxime 85. Episcoporum Galliae relationem, non tamen definivisse: Demum 5. Episcopos illud

ſuppoſuiſſe ex fide illius, qui Epiſtolam adornaverat. Liquet igitur cauſſam Ianſenii, defectu legitimi examinis ab Eccleſia definitam dici non poſſe.

2.° Non minus certum eſt damnatores Ianſenii ſive antiquos, ſive recentiores, de ſenſu illius non conſentire. Licet enim veteres Anti-Ianſeniani vulgo conſentirent errorem gratiae neceſſitantis in Ianſenii libro contineri; tamen ubi ſingularum propoſitionum ſenſus determinandus erat, a ſeſe mutuo diſſidebant. Aliter P. Annatus, aliter P. Ferrier, aliter Theophilus Raynaldus, aliter P. Amelotte augurabantur; & tot fere ſenſus erant quot capita. Quod attinet modernos Anti-Ianſenianos, hi nec cum antiquioribus, nec ſecum invicem conſentiunt. Non conſentiunt cum antiquioribus: nam illi ſenſum aliquem Calvinianum Ianſenii libro attribuebant; at Illuſtriſſ. *Godet Des Marets* Carnotenſis, *De Fenelon* Cameracenſis, & alii huius aetatis Praeſules longe diverſos ſenſus ei adſcripſerunt: alios excogitavit Deckerus, Mechlinienſis Eccleſiae Decanus: alios D. *Tournely* Profeſſor Sorbonicus. Non etiam ſecum mutuo conſentiunt: nam P. *Maſſoulié* & Thomiſtae fere omnes, ſicut antiqui Anti-Ianſeniani, Ianſenium in Calvini errore verſatum eſſe autumant. Negant vero quos modo appellavimus: Praeterea differt D. *Tournely* interpretatio a Deckeriana, & utraque ab interpretatione Cameracenſis Antiſtitis. Ex tot contrariis de Ianſenii ſenſu opinionibus, cuinam potiſſimum adhaerebant fideles? Quamnam veluti Eccleſiae definitionem venerabantur? Iſtamne vocum diſcordiam tanquam ſponſae Chriſti concentum excipient?

Opponunt, Bullam Alexandri VII., qua declaratur quinque propoſitiones excerptas eſſe ex libro Ianſenii & in ſenſu ab eo intento damnatas, & alteram, cui inſertum eſt Formulare, ubique receptas eſſe: omnes Epiſcopos Galliae, maximam partem Beneficiatorum, Paſtorum, Doctorum, Regularium eidem Formulari ſubſcripſiſſe, concluduntque univerſam Eccleſiam damnaſſe & damnare librum Ianſenii.

Nego conſequentiam. Nam licet Bullae Alexandri VII. quoad ius, ſeu quoad erroris condemnationem ubique receptae ſint, non perinde receptae ſunt quoad attributionem illius erroris factam libro Ianſenii. Siquidem nullo iuridico examine de veritate nec de ſenſu huius attributionis apud omnes orbis Praeſules hactenus conſtitit. Fateor multos & olim ſubſcripſiſſe, & quotidie ſubſcribere Formu-

lae : verum quis nescit illos non unico persuasionis momento ad subscribendum impelli; sed alios quia temere supponunt Ecclesiam definiisse quaestionem facti, & circa huiusmodi quaestiones errare non posse; alios caeca obedientia abreptos; illos quia ex praeconcepta opinione existimant subscriptionem cadere in iuris tantummodo, non in facti quaestionem; hos demum prorsus ignorare quid sit formula, quid Iansenius, & qua de re agatur. Vix e centum unum reperias, qui ex intima persuasione & praevio examine subscribat. Non temere loquor; norunt ipsi adversarii rem ita se habere. Porro ex eiusmodi subscriptionibus quid tandem inferri potest, nisi formulam plurimis esse lapidem offensionis & petram scandali. Audeo dicere, nullus liber est, cuius damnationi maxima pars hominum eodem pacto non subscribat, si eiusmodi subscriptio exigatur ad obtinenda vel conservanda beneficia, aut rem domesticam promovendam: *omnes enim*, inquit Apostolus, *quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi*.

QUAESTIO NONA.

De Pace Clementina: utrum ex parte Episcoporum & Theologorum sincera fuerit; & quaenam illius conditiones fuerint.

GRavissimi momenti est ista quaestio, & ad sopiendas persecutiones, quae a multis annis Ecclesiam foede dilacerant, una sufficeret, modo adesset in omnibus animus veri & aequi amans. Verum, proh dolor! qui ad resarciendam optatissimam bonis omnibus Ecclesiae pacem pari studio amicti deberent, nihil non moliuntur ne sancitae dudum saluberrimae pacis fructus decerpi queant. Aiunt illam fictitiam esse: Clementem IX. a quatuor Episcopis deceptum ignorasse quid in eorum processibus verbalibus contineretur, & existimasse illos pure ac simpliciter formulae subscripsisse, & a suis Clericis subscribi fecisse. Fraudulenter dissimulant quaecumque Praesulum sinceritatem & Clementis IX. mentem invicte persuadent. Hanc agendi rationem cernere est in Tractatu D. *Tournely* pag. 445. ubi hanc controversiam sibi importunam paucis perstringit: mendacii ac

fraudis accusat tum Sanctissimos Episcopos & Theologos, quibus pax concessa est, tum illos qui paci conciliandae strenuam operam navaverunt. Invictissima vero argumenta, quibus pacis veritas luce clarius demonstratur, quoniam refellere non potuit, fraudulento silentio obruit. Hac arte incautis & male credulis candidatorum animis quidvis instillatur, aequitatisque ac probitatis sacratissimae leges impune conculcantur. Eadem via institit, auctor *Iudicii Doctrinalis* 30. circiter Praesulum in Lupara Convocatorum nomine Regi Christianissimo oblati.

Clementinae Pacis historiam quanta fide ac diligentia potui supra prosecutus sum. Nunc ut magis ac magis eius sinceritas confirmetur, necesse est eam contra obtrectatorum assultus vindicare. Verum ne certa & indubitata cum controversis confundantur, observandum est neminem inficiari 1.° concessam esse a Clemente IX. pacem quatuor Praesulibus, qui in suis Mandatis solam silentii obsequiosi reverentiam factorum definitionibus deberi docuerant: 2.° quatuor illos Episcopos in suis Synodis processus verbales fecisse in suis tabulariis asservandos, in quibus eamdem doctrinam, quam in Mandatis publicis tradiderant, denuo tradiderunt; atque hoc modo subscripsisse & subscribi fecisse formulae. Controvertitur ergo tantummodo, utrum Clemens IX. resciverit eos factum a iure denuo distinxisse, seu utrum cognoverit & approbaverit quae in processibus verbalibus continebantur. Si enim cognovit, & nihilominus pacem annuit, profecto illa pax certa & inconcussa esse debet: si autem ignoravit & a Praesulibus deceptus est, non pax sed inverecunda fallacia fuit; quae absit a Sanctissimis Praesulibus & ab Episcopis mediatoribus.

Dico Clementem IX. perspectam habuisse doctrinam contentam in processibus verbalibus quatuor Praesulum, eamque non improbasse.

1.° Nihil hoc in negotio actum est nisi per Regis Ministros, per Archiepiscopum Senonensem, & Episcopos Catalaunensem & Laudunensem, omnibus cum Nuntio Apostolico communicatis. Quis porro in animum inducat illustres Viros in turpissimam fraudem conspirasse, ac Pontifici eiusque Ministro illudere voluisse ea in re quae occulta manere non poterat? Non enim ignorabant quid in processibus verbalibus doceretur, quandoquidem ipsimet hanc viam Nuntio proposuerant, sciebantque quatuor Episcopos nunquam adductum iri ad exigendam puram & simplicem subscriptionem. *Mediatorum probitas & sinceritas.*

2.° Quisquis quatuor Praesulum pietatem, candorem, ingenuam *Quatuor Praesulum candor.*

sinceritatem omnibus perspectam, & in Epistola XIX. Episcoporum magna cum laude praedicatam attenderit, certo aestimabit illos numquam admissuros fuisse, ut impudenti mendacio Summo Pontifici in re gravissima imponerent, eoque mendacio quod tot testibus statim coargui poterat, quot in illorum Synodis aderant Sacerdotes. Episcopus Alectensis ab omni fraudis specie tantopere abhorrebat, ut singulos Epistolae ad Summum Pontificem mittendae apices sollicite expenderit, nec ante subscripserit quam scrupulis suis abunde satisfactum esset.

Eorum Epistola ad Clem. IX.

3.° Illorum Epistolae singula verba ponderavit Nuntius. Haec tamen satis expresse declarabat quid in actis verbalibus contineretur, ut Nuntii & Curiae Romanae sollicitudinem latere non posset. „ Cum in exequenda, inquiebant, Decessoris vestri de subscribenda „ fidei formula Constitutione Galliarum Episcopi nobiscum sensibus „ coniunctissimi eam disciplinae formam amplexi sint, quam Sanctitati Vestrae acceptiorem fuisse intelleximus, Nos, quibus nihil „ est antiquius quam paci & unitati consulere, & nostram erga Sedem Apostolicam reverentiam testificari, non piguit eorum institutum imitari. Quamobrem congregata, sicut illi Dioecesana Synodo, & imperata nova subscriptione, Nos etiam subscripsimus: „ quae suis ipsi Clericis tradiderunt, nostris tradidimus: quod in „ Apostolicas Constitutiones obsequium iniunxerunt, iniunximus: „ prorsusque nos ipsis, ut pridem doctrina, ita nunc in hac disciplinae forma coniunximus ". His verbis profitentur primo se a Mandatorum suorum doctrina, circa obsequium Constitutionibus debitum, non recedere; sed tantum aliam disciplinae formam Summo Pontifici acceptiorem sequi: 2.° Imitari eos Galliarum Episcopos qui, circa doctrinam in Mandatis traditam secum sentientes, alia forma eamdem tradiderant. Quaenam illa forma foret, Summum Pontificem effugere non potuit; maxime cum XIX. Praesules, in Epistola ad ipsum data, vindicata doctrina, quam quatuor in suis Mandatis tradiderant, addidissent multos alios eamdem doctrinam, licet forma dispari, Clero suo tradidisse: „ Quin immo, aiebant: non defuerunt nec pauci, nec postremi nominis Episcopi, „ qui idem prorsus quod illi praestiterunt vel publicis Mandatis, „ tametsi non praelo excusis, vel, quod non minus ponderis habet, „ publicis actis sive tabulis, in quibus eamdem late doctrinam explicarunt ". Sciebat ergo Clemens IX. aliquot Galliae Episcopos eadem

in actis Synodalibus docuisse, quae quatuor in suis Mandatis. Cum igitur quatuor Episcopi scripserint se imitatos esse illorum institutum; eadem Clericis suis tradidisse quae illi tradiderant; idem in Constitutiones obsequium iniunxisse, quod illi congregata Synodo iniunxerant; non potuit non intelligere eamdem in processibus verbalibus doctrinam contineri, quae prius in publicis Mandatis tradita fuerat.

Sane si Clementi IX. propositum erat nullam pacem Episcopis dare, nisi pure & simpliciter subscripsissent; cur hanc epistolam, in qua nedum ulla subscriptionis simplicis mentio fieret, satis aperte insinuabatur subscriptio iuxta doctrinam Mandatorum explicata, non respuit? Cur illa accepta & perpensa statim pacem indulsit?

4.° Licet processus verbales non efferrentur in publicam lucem, eorum tamen doctrina occulta esse non poterat. Aderant in quatuor Dioecesibus millia Sacerdotum, omnium quae agebantur testes & conscii. An omnes ita obmutuerunt, ut Praesulum adversarios rerum veritas lateret? An Nuncii Apostolici sollicitam vigilantiam res coram tot testibus gesta effugere potuit? Statim atque absoluta est Synodus Apamiensis, novem Canonici Episcopo suo dudum infensi protestatione publica questi sunt, palamque vulgarunt eum in processu verbali iterum distinxisse ius & factum, ac declarasse iuri fidem, facto solam reverentiam & obsequiosum silentium deberi. Num Iesuitae, Nuncius, S. Pontifex protestationem illam ignorare potuerunt? Si autem cognoverunt, cur quatuor Episcopos mendacii ac fraudulentiae non accusarunt, nisi quia in Synodis omnia gesta fuerant de consensu Sedis Apostolicae. *Actorum verbalium innumeri testes.*

5.° Res adeo notoria fuit, ut publicis gazulis renuntiaretur. Gazula Amstelodami 27. Octobris 1668. omnes pacis conditiones enarravit, retulitque doctrinam processuum verbalium plane conformem esse doctrinae Mandatorum. Nec irrideant adversarii huiusmodi testimonium. Cum enim illa folia in Italiam & in caeteras Europae partes deportentur, clare demonstrant ignotum Summo Pontifici non fuisse quod publicae litterae ubique spargebant. *Publicae Gazulae.*

6.° Cum Iesuitae ad turbandum pacis opus effutirent quatuor Episcopos in verbalibus actis docuisse, haeresis notam quinque propositionibus in sensu Iansenii inuri a Summo Pontifice non potuisse; hoc rumore deterritus Clemens IX. Nuncio suo mandavit, ut inquireret, quid praecise in verbalibus actis traditum esset. Tum Cata- *Instrumentum Catalaunensis Episcopi.*

launensis Praesul declarationem dedit supra relatam, qua testatur „ quatuor Episcopos caeterosque Ecclesiasticos optima fide egisse " doctrinamque in actis verbalibus traditam breviter exponit. Quantum ad ius, declarat eos „ condemnasse & condemnari iussisse quin„ que propositiones sinceritate omni, absque exceptione vel restri„ ctione qualicumque in omnibus sensibus, quos Ecclesia condemna„ vit ". Quantum vero ad factum sic loquitur: „ Quod vero ad „ attributionem spectat, qua propositiones illae adscribuntur libro „ Iansenii Episcopi Iprensis, iterum " (notate hanc particulam, quae significat quatuor Episcopos eamdem doctrinam in actis verbalibus tradidisse, quam prius in Mandatis tradiderant) „ praestiterunt „ iusseruntque praestari Sanctae Sedi omnem reverentiam & obedien„ tiam, qualis ipsi, dum libros proscribit, exhiberi debet iuxta „ Theologorum omnium consensum, ... quae in eo est posita, ni„ hil ut dicatur, scribatur, doceatur Pontificum decisionibus con„ trarium ". Demum testatur „ (habita communicatione speciali „ processum verbalium) doctrinam hac declaratione comprehen„ sam prorsus conformem esse doctrinae dictorum processuum verba„ lium, nihilque in eis contineri doctrinae huic contrarium. Atque „ haec etiam mea est, inquiebat, & XIX. Episcoporum, qui ad San„ ctitatem suam scripserunt, sententia ". Haec declaratio, qua tam diserte exprimitur quatuor Episcopos factum a iure seiunxisse, & facti definitioni solam silentii obsequiosi reverentiam imperasse, per tres solidas hebdomadas diligentissime discussa est in numerosa Cardinalium, Praesulum, & Consultorum Congregatione; ita ut ne apex quidem Romanam sollicitudinem effugere potuerit. Tum demum Summus Pontifex, plane compertâ per hocce instrumentum processuum verbalium doctrinâ, omnibusque mature expensis, litteras gratulatorias ad Episcopos misit. Qua fronte igitur Clemens IX. ignorasse dicitur, quae in actis Synodalibus quatuor Praesulum tradebantur? Inane effugium quaerit D. *Dumas*, cum dicit Summum Pontificem & Congregationem, lecta & examinata declaratione, credidisse silentii reverentiam a quatuor Episcopis sancitam spectare duntaxat hanc quaestionem, utrum quinque propositiones iisdem verbis extent in libro Iansenii, non vero illam, qua de libri sensu quaeritur. Nisi enim supponat omnium in Congregatione ingenium hebes & stolide obtusum fuisse; quî fieri potuisset, ut hoc instrumentum illo in sensu interpretarentur; cuius nullum in ipso funda-

mentum extat? Quid manifestius, quam Catalaunensem locutum esse de illa attributione, quae a Summis Pontificibus facta fuerat, & de qua disceptabatur? atqui Alexander VII. non quoad verba solum, sed maxime quoad sensum, propositiones attribuerat libro Iansenii; tuncque non disceptabatur, utrum in eo ad verbum extarent, fatentibus omnibus hoc modo non extare; sed utrum penes sensum ibi continerentur. Igitur de hac sola attributione intelligi potuit instrumentum Episcopi Catalaunensis.

Harlaei litterae ad Cardinalem Rospigliosum.

7.° Quo tempore illa declaratio Romam perlata est, Illustr. De Harlay, tum Rothomagensis Archipraesul ad Cardinalem Rospigliosum Pontificis fratris filium scripsit, affirmans nihil amplius postulari posse a quatuor Episcopis & Theologis Portu-Regiensibus. Clare innuebat subscriptionem ab eis datam, puram ac simplicem non fuisse, contendebatque aliam iuste imperari non posse: „ Excepto, inquit, quod pure & simpliciter ac caeco modo subscribatur, nihil addi potest submissioni quae per hanc declarationem „ (Catalaunensis) S. Sedi redditur “. Et postea: „ Excepta pura „ & simplici Formulae Alexandri VII. subscriptione hactenus a nobis data, non video maiorem credulitatem aut submissionem ab „ ullo Episcopo aut Doctore catholico iuxta severioris Theologiae „ principia exigi posse “. Ex hac Epistola, etiamsi alia documenta defuissent, plane rescivit S. Pontifex subscriptionem Episcoporum puram & simplicem non fuisse. Tamen his omnibus inspectis ad Nuncium suum scripsit mense Ianuario his verbis, quae describuntur in relatione Cardinalis Rospigliosi: „ videri Pontifici ex declaratione Episcopi Catalaunensis, D. etiam Arnaldi nomine adscripto, necnon Senonensis Archiepiscopi auctoritate firmata, ex legitima fide, quam quatuor Episcopi fecerant Nuncio, suae in „ sancienda, adiectis nominibus formula, sinceritatis, eaque luculentis D. Lionaei, Archiepiscopi Rothomagensis, aliorumque testimoniis argumentum conflari longe usquequaque validius contrario „ quovis rumore . . . Quapropter . . . praedictorum auctorum perquam gravibus & repetitis testificationibus inductum, non potuisse iam diutius ambigere de plena Episcoporum obedientia, & „ sincero in admittenda formula animo “. Igitur S. Pontifex obedientiam & subscriptionem, quam ex Catalaunensis declaratione & Rothomagensis litteris praestiterant quatuor Praesules, id est, quae iuri fidem sinceram, facto silentii submissionem promittit, pro plena & sincera habuit.

Aliorum Praesulum acta verbalia simillima Romae improbata non sunt. 8.° Revera cur Romanus Pontifex processus verbales quatuor Episcoporum improbasset, cum aliorum Episcoporum similem agendi rationem sibi compertam nunquam reprehenderet? Constat enim plures Galliae Episcopos similes processus verbales in Synodis fecisse, Romanumque Pontificem & Curiam Romanam hoc certo cognovisse ex Epistola XIX. Episcoporum; numquam tamen reprehendisse.

Nec Epistola XIX. Episcoporum. 9.° Processus verbales nihil docent, quod non pariter docuerint XIX. Episcopi, qui Collegarum suorum doctrinam & praxim scripta ad Summum Pontificem Epistola vindicarent: atqui Epistola XIX. Episcoporum, nedum Romae damnata fuerit, prima pacis fundamenta iecit: nihil est igitur in actorum verbalium doctrina, quod Romanam Sedem offendere potuerit.

Subscriptiones explicatae admissae. 10.° Adeo certum est subscriptiones explicatas Romae approbatas fuisse, ut Galliarum Praesules, qui prius puram & simplicem formulae subscriptionem durius imperaverant, conclusa pace, explicatas admittere coacti fuerint. Huiusmodi subscriptione, Catalaunensis declarationi omnino conformi, Parisiensi Archiepiscopo oblata Moniales Portu-Regienses statim in Sacramentorum usum restitutae sunt, eo quod, inquiebat Archipraesul, sibi constaret simili declaratione satisfactum esse Romano Pontifici. Pari libello oblato Curé de Massy. D. *Dorat*, Doctor Sorbonicus & Massiaci Parochus, ab eodem Praesule ab interdicto est relevatus. Diu post concessam pacem, anno nempe 1675., Episcopum Constantiensem a D. *Vibet*, ad regendam Parochiam nominato, puram & simplicem formulae subscriptionem exigentem, Illustr. *De Harlay* Parisiensis Archiepiscopus Regis nomine iussit explicatam admittere, qualis tempore pacis data fuerat. Adeo certum erat Summum Pontificem approbasse, ut factum a iure secerneretur, & quoad factum sola silentii submissio Constitutionibus praestaretur.

Arrestum anni 1676. 11.° Arrestum Regium in Castris Ninovae datum 30. Maii *1676.* licet sancitae paci non nihil detraxerit, authenticum tamen & illius veritati & Praesulum sinceritati testimonium praebet, dum enunciat „ Sanctam Sedem magna cum prudentia & condescensu admisisse quasdam formulae subscriptiones cum fusiori expositione „ in gratiam aliquorum duntaxat privatorum, ut eorum scrupulis „ mederetur, eosque a poenis per Constitutiones latis immunes faceret". Auditis Regem ipsum testantem admissas fuisse a Summo Pontifice subscriptiones explicatas. Qua ergo fronte dicunt ad-

verſarii Clementem IX. ignoraſſe quod in quatuor Praeſulum Synodis actum ſit. Porro quod, Rege fatente, Sancta Sedes *magna cum prudentia* Epiſcopis annuit, ut *addita explicatione ſubſcriberent*, cur nunc non conceditur? Si quod quatuor Praeſules egerunt, malum & debitae Conſtitutionibus reverentiae contrarium eſt; cur laudatur Clementis IX. hac in parte prudentia? Si bonum & licitum, cur pares ſcrupulos patientibus paterna benignitas non pariter ſubveniat? Caeterum quod Regi ſuggeſtum eſt, Sanctam Sedem ex condeſcenſu ſic egiſſe cum aliquibus duntaxat, rerum veritati non concordat. Nam omnibus, qui cum quatuor Epiſcopis ſentiebant, ſive Theologis, ſive Monialibus, pax donata eſt; non ex condeſcenſu, ſed ex iuſtitia. Harlaeus ipſe affirmaverat nihil amplius iuxta ſtrictioris Theologiae principia exigi poſſe. Et Clemens IX. perlecto Catalaunenſis inſtrumento, teſtatus eſt *plenam* eſſe *Epiſcoporum obedientiam*. Proinde convictus erat, nihil ultra ſine iniuſtitia imperari poſſe.

12.° Epiſcopus Pontis-Poleos, unus e 19. qui ad Clementem IX. ſcripſerant, ac teſtis omnium, quae illo tempore actà ſunt, illuſtre quatuor Epiſcoporum ſinceritati teſtimonium perhibuit in Epiſtola, quam 27. Iulii 1705. ad Archiepiſcopum Cameracenſem ſcripſit eruditione non minus quam canitie venerandus ſenex: „ Quatuor Epiſcopi, inquit, nulla mala fide eo in negotio uſi ſunt. „ Nihil eorum, quae in proceſſibus verbalibus contenta fuere, Pontifici aut Regi occultatum eſt. Nihil in Epiſtola XIX. Epiſcoporum aequivocum aut diſtortum, nihil reverentiae Sanctae Sedi „ aut Regiae Maieſtati debitae contrarium fuit. Vigentibus contentionibus Eccleſiae Gallicanae doctrina circa debitam factis non „ revelatis ſubmiſſionem pene unanimis erat, ac diverſis loquendi „ formulis ſolum ſilentium obſequioſum ferme ab omnibus requirebatur ".

Teſtimonium Epiſcopi Pontis-Poleos.

13.° Cardinalis *Deſtrux*, olim Laudunenſis Epiſcopus, qui non mediocres in pacis negotio partes habuerat, eius veritatem atteſtatus eſt in Epiſtola ad Clementem XI. 7. Septembris 1705. „ Cum, „ inquit, volente Rege, mandante Sanctae memoriae Clemente IX. „ plurimum adlaborarem ad elicienda quatuor Epiſcoporum (alias „ pietate, doctrina, & Paſtorali zelo fulgentium, qui tamen cum „ caeteris Praeſulibus omnino conſenſiſſe videbantur) ea ſubiectionis & obſequii ſigna, quae demum a clementiſſimo Pontifice pro-

Et Cardinalis Deſtrux.

„ bata sunt, & adhuc in actis publicis Romae asservantur &c. ". Igitur obsequii signa a quatuor Praesulibus data & in processibus verbalibus contenta Romano Pontifici non incognita, sed probata fuerunt.

Pax insciis Iesuitis conciliata.

14.° Omnes fatentur tempore Clementis IX. pacem ita conciliatam fuisse, ut Regni administri & Nuncius Apostolicus sedulo caverint, ne in Iesuitarum cognitionem res veniret: atqui opus non fuisset longa & gravi negotiatione, favore Regis & Ministrorum, Episcopis mediatoribus, alto profundoque silentio, si quatuor Episcopi videri voluissent pure ac simpliciter subscribere. Noverat ergo Clemens IX. eorum subscriptionem puram & simplicem non fuisse.

Processus verbal. ad Innocentium XI. transmissi.

15.° Verum etiamsi, quod impossibile est, doctrina actorum verbalium Clementis IX. cognitionem effugisset, saltem subsequentium Pontificum effugere non potuit. Ubi primum enim aurea pax violari coepit, Andegavensis Praesul processus verbales aliaque instrumenta, in tabulariis hactenus asservata, misit ad Innocentium XI. ut de sua Collegarumque sinceritate nulla scrupuli umbra superesset. Certe si Romanae Curiae impositum fuerat, tunc saltem oculos aperire debuit, obtentamque per dolum pacem indignabunda revocare. Atqui, nedum illam revocaverit Innocentius XI., summo studio fovit, Andegavensemque & alios cum ipso sentientes maximo in pretio semper habuit.

Declarationes D. Hennebel Romae approbatae.

16.° Cognitam & approbatam fuisse a Romanis doctrinam actorum verbalium circa iuris & facti distinctionem insuper demonstrant quae Romae gesta sunt sub Innocentio XII. occasione additionum formulae ab Archiepiscopo Mechliniensi factarum. D. Hennebel Lovaniensium Orator in plurimis declarationibus palam asseruit Summos Pontifices approbasse quaecumque quatuor Episcopi in suis Synodis docuerant. In secunda quam Congregationi S. Officii obtulit 14. Novembris *1693*. „ Aperte declaro, inquit, persuasum „ mihi esse, quod sensus Formularii, quem in processibus suis verba- „ libus exposuerunt quatuor Episcopi, quemque ego secutus sum in „ declaratione exhibita Sanctae Congregationi S. Officii die *26*. „ Octobris proxime elapsi, sit sensus eius verus & legitimus ac Se- „ dis Apostolicae menti per omnia conformis ". Idem ait in tertia declaratione anno *1694*. Congregationi oblata. Certe si, quemadmodum adversarii contendunt, quatuor Episcopi illusissent Summo Pontifici; quid tunc agere debuit Congregatio? Quid Innocentius

XII.? Quanto zelo de fraude conqueri, pacem mendacio partam detestari, Lovaniensis Deputati de illa fraude iniassum gloriantes inanem iactantiam castigare debuerunt? Verum contrarium accidit. Declarationes D. Hennebel lubenter exceptae sunt, additiones Mechliniensis resciffae, responsumque, nihil obstare quominus D. Hennebel ad beneficia ac munia Universitatis promoveretur. Effutiant nunc adversarii ignotum Romae fuisse quod in Synodalibus quatuor Episcoporum actis traditum fuerat.

Satisfit argumento petito ex quatuor Episcoporum testificatione.

Opponunt 1.° Clementem IX. cum pacem indulsit, respexisse tantum ad testificationem quatuor Episcoporum syngrapha munitam, qua fidem faciebant *se subscripsisse & subscribi fecisse a Clero suo ad hoc vocato formulare fidei;* illam autem testificationem puram ac simplicem fuisse.

Respondeo 1.° falsum esse Clementem IX. solam illam testificationem attendisse, siquidem in Epistola, quam initio anni *1669.* ad Nuntium suum misit, expresse declarat se non illa tantum, sed etiam Catalaunensis declaratione & Rothomagensis litteris de plena quatuor Praesulum obedientia convictum esse.

2.° Falsum quoque est illam testificationem puram & simplicem fuisse. E contrario declarabant quatuor Praesules se subscripsisse ac subscribi fecisse *congruenter ad Epistolam, quam ea de re ad Papam scripserant;* & qua, ut probatum est, non puram & simplicem sed explicatam subscriptionem polliciti fuerant.

Satisfit argumento ex eorum ad Clementem IX. Epistola.

At enim quatuor Episcopi in sua Epistola innuebant se pure ac simpliciter subscripsisse. Nam dicebant se Episcoporum Galliae ut pridem doctrinam ita nunc disciplinae formam secutos esse: atqui caeteri Galliae Episcopi pure ac simpliciter subscripserant: 2.° Dicebant, *id quod agebant Summo Pontifici honorificum, sibi vero arduum ac difficile fuisse, non ignaris, quot malevolorum voculas excire posset haec disciplinae mutatio.* Ubinam autem Summi Pontificis honos, ubinam irrisionis & dicteriorum periculum, si non pure ac simpliciter, sed ut prius adhibita distinctione subscripserant?

Respondeo, quatuor Praesules non dicere, se omnium Galliae Episcoporum disciplinae formam imitatos esse, sed aliquorum duntaxat. Ut enim omittam in nonnullis exemplaribus legi, *cum multi Galliarum Episcopi &c.* tota series Epistolae non sinit eam aliter exponi. Loquuntur enim de Collegis, secum sensibus & doctrina coniunctissimis, qui Clerum suum convocaverant, qui documenta

circa Formulam suis in Synodis tradiderant, qui idem ac ipsi formâ licet dispari docuerant. Atqui constabat non omnes Galliarum Episcopos id egisse, sed aliquos tantum, quorum expressam mentionem fecerant novemdecim Episcopi in Epistola ad Summum Pontificem.

At, inquiunt, quatuor Praesulum verba indefinita sunt: propositiones autem indefinitae aequivalent universalibus.

Miror adversariorum in figendis principiis levitatem & inconstantiam. Ubi agitur de prima e quinque propositionibus, quod enunciatur indefinite *de iustis volentibus & conantibus*, restringunt ad aliquos iustos volentes & conantes: hîc vero, quasi ad nutum suum verae aut falsae sint regulae Logicorum, quod de Galliae Episcopis dicitur, generaliter accipi volunt; utrumque falso. Nam Logici consentiunt propositiones indefinitas, quae versantur in materiis dogmaticis, universales esse; eas vero, quae versantur in factis historicis, modo universales, modo particulares esse, prout adiuncta exigunt v. g. in Evangelica propositione, *milites praesidis suscipientes Iesum in praetorium*, vox indefinita *milites* non de universis praesidis militibus intelligitur, sed de illis tantum, qui ad hoc deputati erant. Porro quatuor Episcoporum propositio historica est, & ex adiunctis manifeste restringitur ad eos Episcopos, qui in actis Synodalibus eadem tradiderant, quae ipsi in suis Mandatis.

Ad alteram probationem respondeo, arduum ac difficile non immerito visum esse quatuor Episcopis, qui in nullo se deliquisse persuasum habebant, novae disciplinae forma doctrinam licet eamdem Clero suo tradere; hanc disciplinam revera Summo Pontifici honorificam fuisse, quippe quae tota in eius obsequium fieret; eam demum malevolis praebere potuisse ansam obtrectandi, tum quia omnis mutatio, maxime si extorta videatur, obloquendi materiam inimicis praebet; tum quia, cum processus verbales non statim in vulgus emittendi essent, metuendum erat, ne quatuor Episcopi Mandatorum suorum doctrinam deseruisse nonnullis viderentur.

Instant iterum: Adeo verum est Epistolam ambiguam fuisse, & ad illudendum compositam, ut Alectensis subscribere diu renuerit.

Nego sequelam. Episcopus Alectensis nunquam questus est, quod Epistola ambigua esset, aut timuit, ne Pontifici Romanaeque Curiae illuderet; sed aliquandiu subveritus est, ne aliqua minus aperte enunciata imperitis ac simplicibus difficultatem facesserent. Quae autem addi postulabat, erant, ut ipse postea confessus est, levissimi momen-

momenti; ideoque aliquantiſper eis inſtitit, ut, quod in rebus gravis momenti ſolebat, tempus aliquod ad maturius deliberandum & orandum ſumeret. Quo tempore elapſo ſponte ceſſit Praeſul Sanctiſſimus & ab omni doli ſpecie alieniſſimus, ac lubentiſſime ſubſcripſit, Deo ſic permittente, ut ſcrupuli, quibus paululum detentus fuerat, inſigne ipſius candoris ſinceritatiſque argumentum praeberent. Conſuli poſſunt Epiſtolae, quas tunc ad Senonenſem Archipraeſulem aliosque ſcripſit. Demum etſi concederem in Epiſtola praedicta nonnihil obſcuritatis fuiſſe, procul dubio quidquid illud fuit, per Catalaunenſis declarationem aliaque monumenta pulſum eſt.

Extant in Relatione pacis Clementis IX.

Inſtant 3.° Ex Brevi Clementis IX. ad Regem Chriſtianiſſimum conſtat eum credidiſſe ſubſcriptionem quatuor Epiſcoporum puram ac ſimplicem fuiſſe; ſic quippe loquitur: „ Tanta ſane cum „ laetitia cognovimus in ſimplici & pura ſubſcriptione Formularii „ quatuor illorum Epiſcoporum obedientiam “.

Satisfit argumento petito ex Brevi ad Regem.

Reſpondent nonnulli hoc Breve ante Catalaunenſis declarationem fabricatum fuiſſe ab Albizzio, Bullae Urbani VIII. olim depravatore, vel aliis Curiae Romanae Miniſtris, ratis e Sanctae Sedis gloria fore, ſi quatuor Epiſcopi pure ac ſimpliciter ſubſcripſiſſe viderentur. Utcumque res ſit de illa coniectura, quae probabilitate omnino non caret,

Reſpondeo hoc Breve pro nullo habitum fuiſſe, immo ſuppreſſum & Romam remiſſum. Nam per 30. & amplius annos prorſus ignotum fuit, quouſque hiſtoriae quinque propoſitionum inſertum primum prodiit. Undenam vero tam diutina occultatio, niſi quia reſcriptum illud rerum veritati adverſabatur, commoviſſetque Praeſules & Theologos, ſi ad eorum notitiam perveniſſet; maxime cum declaraſſent fore, ut ſi quid a Romano Pontifice ſcriberetur, quod innueret quatuor Epiſcopos mandata ſua retractaſſe, aut pure & ſimpliciter ſubſcripſiſſe, illico acta verbalia in publicum efferrent.

Nedum igitur hoc reſcripto demonſtretur Clementem IX. ignoraſſe explicationem a Praeſulibus appoſitam, contrarium evincitur. Ex eo enim quod Romam remiſſum, tenebriſque damnatum eſt, optime colligitur non latuiſſe Summum Pontificem, ſubſcriptionem quatuor Praeſulum puram & ſimplicem non fuiſſe.

Satisfit argumento petito ex Declaratione Epiſcopi Catalaunenſis, & Relatione Cardinalis Roſpiglioſi.

Inſtant 4.° Catalaunenſis Epiſcopi inſtrumentum, quo potiſſimum niti pax videtur, teſtatur quatuor Epiſcopos „ optima fide „ egiſſe . . . damnaſſe, & a ſuis Clericis damnari iuſſiſſe quinque

„ propositiones sincere, absque ulla exceptione seu restrictione in eo „ omni sensu, quo sunt ab Ecclesia damnatae “. Porro haec verba significant puram & simplicem formulae subscriptionem.

Respondeo fraudem insignem esse, instrumenti publici partem unam ostendere, alteram supprimere. Declaratio memorata duas partes complectitur: prima ius seu propositiones spectat, easque sincere, absque exceptione seu restrictione a quatuor Episcopis damnatas fuisse testatur: altera factum, id est, attributionem illarum propositionum Iansenii libro factam spectat; testaturque Episcopos & Theologos silentii obsequiosi reverentiam quantum ad hoc praestitisse. Qua ergo fide adversarii, dissimulata altera parte puram & simplicem subscriptionem hoc instrumento significari contendunt? Praeterea Catalaunensis declarat, habita speciali notitia processuum verbalium, quatuor Episcopos *optima fide egisse*, adeoque ab intentione decipiendi Pontificem alienissimos fuisse. At si videri voluerunt pure ac simpliciter subscripsisse, & ipsemet Catalaunensis idem Summo Pontifici persuadere voluit; nonne utrique pessima fide egissent?

Reponunt in altera instrumenti parte non agi de facto dogmatico, scilicet propositiones quoad sensum tradi in libro Iansenii; sed de solo facto personali, nimirum Iansenium interius tenuisse errorem quinque propositionum; aut saltem eam a Clemente IX. sic intellectam fuisse: Idque probare conantur ex relatione Cardinalis Rospigliosi, in qua haec leguntur: „ Curae erat Pontifici rite cognoscere quid tandem continerent declarationes illae actis verbalibus additae. Si enim nihil ibi affirmatum fuisset, praeterquam „ posse Pontificem falli in quaestionibus de facto, prout supra num. „ 153. explicavimus, prudenti rem dissimulatione supprimendam „ existimabat: sin vero asseruissent Episcopi nolle se pro haereticis „ agnoscere quinque propositiones in sensu Iansenii, quemadmodum „ ab Apostolica Sede fuerant damnatae, id sane nullatenus ferre, „ neque in re tanti momenti quidquam connivere, quin immo acerrime obviam ire statuerat “.

Respondeo in dicto instrumento nullam vocem esse, qua factum personale & factum dogmaticum distinguantur; agique absque dubio de facto dogmatico, quandoquidem hoc solum in Constitutionibus definitum esse volunt adversarii. Sane Catalaunensis expresse loquitur, de attributione facta, non ipsi Iansenio, sed illius libro:

„ Quod vero ad attributionem ſpectat, inquit, qua propoſitiones „ illae adſcribuntur libro Ianſenii &c. " loquitur de facto, de quo actum fuerat in Epiſtola XIX. Epiſcoporum; ſubdit enim: „ haec „ etiam mea eſt & XIX. Epiſcoporum, qui ad Sanctitatem Suam „ ſcripſerunt, ſeutentia ". Atqui illa Epiſtola tractat de factis, quae vocant dogmatica, vindicatque quatuor Epiſcopos, qui de iiſdem factis in ſuis Mandatis locuti fuerant. Ergo abſurdum eſt declarationem Epiſcopi Catalaunenſis de factis mere hiſtoricis aut perſonalibus intelligere, atque contendere illam a Clemente IX. & a numeroſa Congregatione poſt maturam per tres hebdomadas diſcuſſionem ſic intellectam fuiſſe.

Relatio, quae Card. Roſpiglioſo attribuitur, non ipſius eſt, ſed ignoti auctoris, quatuor Epiſcopis apertiſſime infenſi, & ſtatum quaeſtionis penitus ignorantis, ut apparet ex his verbis Art. 155. „ ſecunda quaeſtio eſſe poſſet, quid tandem ex nativa ſua vi „ & proprietate ſignificarent verba Ianſenii in ſuo Auguſtino. Quae „ licet ex infra dicendis neque ipſa ad noſtrum inſtitutum pertinet, „ continet tamen controverſiam non mere de facto, at de iure, „ ideoque ſubiectam Eccleſiae iudicio ". Sola acta publica, quae ab eo referuntur, aliquid ponderis habent: coniecturae vero & ratiocinia, quae de ſuo profert, ſummo contemtu digna ſunt. Adde iſtam relationem nonniſi 24. annis poſt concluſam pacem e tenebris erutam eſſe.

V. La reponſe aux deux lettres de M. l'Archev. de Cambrai au P. Queſnel 1711. pag 81. & ſuiv.

Caeterum, quamvis Relator privatis interpretationibus eludere conatus ſit inſtrumenta, quae pro aſſerenda pacis veritate protulimus, reipſa tamen illa confirmat, cum fatetur Clementem IX. diſſimulare decreviſſe, ſi quatuor Epiſcopi affirmaſſent tantummodo *poſſe Pontificem falli in quaeſtionibus de facto;* cumque relata declaratione Epiſcopi Catalaunenſis refert num 161. Pontificem ea *permotum, aliam ſibi partem diſſimulandam putaviſſe, in qua tametſi* „ Pontificias de facto ſententias pro fidei Divinae articulis „ recipere abnuerent (Epiſcopi), obſequium eis tamen venerationemque deferebant in forma a ſex ſupra nominatis Doctoribus „ praeſcripta, quae nihil de auctoritate Apoſtolicae Sedis decerperet ". Cum enim, quidquid ille garriat, factum, de quo unice contendebatur, ſit factum libri Ianſenii, ex ipſa eius relatione conſtat S. Pontificem permiſiſſe, ut ſolum obſequioſum ſilentium quoad illud factum Apoſtolicae Sedi deferretur.

Satisfit argumento petito ex Brevi ad Episcopos mediatores.

Instant 5.° Clemens IX. in Brevi ad Episcopos pacis mediatores 19. Ianuarii 1669. sic loquitur: „ Non sine laetitiae sensu pervidimus ex litteris fraternitatum vestrarum . . . de perfecta & integra obedientia nobis & Apostolicae Sedi praestita per Episcopos Andegavensem, Bellovacensem, Apamiensem, & Alectensem subscriptione Formularii sincero animo & iuxta praescriptum litterarum Apostolicarum ab eis facta “. Ergo existimabat quatuor Episcopos pure ac simpliciter subscripsisse.

Nego consequentiam. Nam cum ex supra dictis constet compertum fuisse Summo Pontifici per Praesulum Epistolam, per Catalaunensis declarationem, per Harlaei litteras, quatuor Episcopos distinctione usos fuisse; quid aliud ex hoc Brevi concludi potest, nisi eum approbasse subscriptionem explicatam, qua iuri fides, facto silentii obsequium praestatur, tanquam *perfectam & integram obedientiam*, *sinceramque* & *litterarum Apostolicarum praescripto* conformem subscriptionem? Revera perfecte & sincere Constitutionibus obeditur, cum illis omnis, quae debetur, submissio impenditur. Hanc autem impendunt qui praestant pro iure divinam fidem exceptionis ac restrictionis expertem, & pro facto illud reverentiae genus, quod Cardinales & Theologi Romanae Sedi devotissimi sufficere affirmant.

Et ex Brevi ad quatuor Episcopos.

Instant 6.° Clemens IX. in Brevi ad quatuor Episcopos eodem die quo superius dato, sic loquitur: „ Nuntius isthic noster misit ad nos . . . fraternitatum vestrarum Epistolam, in qua cum ingenti obsequii nobis & huic Sanctae Sedi per vos debiti testatione significabatis vos iuxta praescriptum litterarum Apostolicarum . . . sincere subscripsisse ac subscribi fecisse Formulario. Etsi autem de hac re quaedam secus circumlata occasionem nobis praebuerant in tam gravi negotio serius procedendi: nam dictorum praedecessorum nostrorum Constitutionibus firmissime inhaerentes, nullam circa illud exceptionem aut restrictionem admissuri unquam fuissemus; in praesens tamen, cum nova & gravia isthinc acceperimus documenta verae & totalis obedientiae vestrae, qua & Formulario sincere subscripsistis, & damnatis absque ulla restrictione aut exceptione quinque propositionibus in omnibus sensibus, in quibus a Sede Apostolica damnatae fuerunt, alieni prorsus estis a renovandis in hac re erroribus illis, qui ab eadem damnati sunt &c. “. Observant tria ibi dici a Summo Pontifice:

1.um Quatuor Episcopos *sincere subscripsisse* : 2.° Eorum obedientiam *veram ac totalem* fuisse: 3.° Se nunquam admissurum fuisse ullam exceptionem aut restrictionem. Quid autem, inquiunt, his omnibus significatur, nisi quatuor Episcoporum subscriptionem puram ac simplicem fuisse?

Respondeo in toto illo contextu nihil esse, quod puram & simplicem subscriptionem sonet. Non quod Episcopi dicuntur *sincere subscripsisse*; nam sincero animo subscribit qui non aliud interius occultat, aliud profitetur exterius: Porro quidquid quatuor Episcopi in suis processibus professi sunt, interius praestiterunt. Non etiam quod eorum obedientia *vera & totalis* appellatur; nam revera talis fuit, quia sive quoad ius, sive quoad factum, tanta fuit, quantam Theologi rigidiores requirebant. Non denique quod addit Summus Pontifex, eos absque ulla restrictione aut exceptione damnasse quinque propositiones in omnibus damnatis sensibus, seque circa illud nullam exceptionem aut restrictionem admissurum umquam fuisse. Nam reipsa quatuor Episcopi nullam exceptionem fecerunt, quinque propositiones omnemque sensum haereticum in eis damnatum simpliciter & absolute damnarunt. Formulae quoque absque ulla restrictione subscripserunt, cum omnem submissionem & iuri & facto debitam praestiterint. Ut enim recte animadvertit Episcopus Andegavensis, optimus caussae suae vindex, in Epist. ad Innocentium XI. „ plurimum interest inter has formulas, sine exceptione & re„ strictione subscribere, & cum legitima explicatione & distinctio„ ne subscribere. Etsi ergo quatuor Episcopi adhibita explicatione „ & distinctione cum tot aliis Episcopis subscripserint, non ideo „ censeri possunt cum exceptione & restrictione subscripsisse, quod „ Alexander VII. vetuerat. Aliud est enim excipere, aliud expli„ care. Vim legis infringere videtur qui aliquid excipit adversus „ legem: sed nihil illi adimit qui explicat. Hoc certe praedecessor „ Vestrae Sanctitatis Clemens IX. non modo non prohibitum esse „ censuit, sed etiam approbavit, cum cognitis quatuor Episcopo„ rum actis Synodalibus Episcopalem hanc observantiam gratissimam „ habuit ". Et certe rescriptum quod obiiciunt, non obscure alludit ad declarationem Episcopi Catalaunensis, immo ipsamet illius verba usurpat, ut comparanti utrumque manifestum erit. Cum igitur illa declaratio diserte testetur, quatuor Episcopos explicasse formulam, & ambas illius partes distinxisse; clarum est verba rescri-

pti non excludere omnem explicationem & distinctionem, neque puram ac simplicem subscriptionem significare.

Satisfit argumento petito ex Harlaei Epistola.

Instant 7.° Harlaeus in Epistola ad Cardinalem Rospigliosum asserit quatuor Episcopos eo ipso damnasse sensum Iansenii, quod quinque propositiones damnaverant in omnibus sensibus ab Ecclesia damnatis. Sed qui propositiones in sensu Iansenii damnant, ii formulario simpliciter subscribunt. Ergo Clemens IX. credere debuit quatuor Episcopos simpliciter subscripsisse.

Dist. maiorem: Quatuor Episcopi damnaverunt sensum Iansenii, si sensus haereticus reipsa sit sensus Iansenii, concedo; damnaverunt sensum Iansenii, consentiendo sensum haereticum esse sensum Iansenii, nego. Repugnat huic adversariorum commentario tota Epistolae series, quae supponit subscriptionem quatuor Episcoporum explicatam fuisse, non simplicem. Quid ergo sibi vult Harlaeus? Probare intendit fidem quatuor Episcoporum extra omnem suspicionem esse, eosque reipsa damnasse sensum haereticum, qui Iansenio attribuitur, tametsi non auderent affirmare illum Iansenii sensum esse: quasi diceret: Damnant sincere quinque propositiones in omnibus sensibus ab Ecclesia damnatis; adeoque sensum ipsum, quem nos Iansenii esse credimus, ex animo damnant, licet eum Iansenii esse non asserant.

Ex Epistola Cardinalis D'Estruz.

Instant 8.° Episcopus Laudunensis, postea Cardinalis *D'Estruz* in Epist. ad Clementem IX. 22. Septembris 1668. testatur quatuor Praesules „ nova nec non sincera subscriptione aliis Episcopis consen„ sisse, a quibus in subscribenda fidei formula aliquatenus recesserant “, id est, simpliciter subscripsisse sicut caeteri Galliarum Episcopi.

Respondeo 1.° Hoc argumentum nimis probare. Probaret enim Laudunensem Episcopum, qui cum Senonensi & Catalaunensi pacis mediator intercesserat, ignorasse doctrinam processuum verbalium; vel illusisse Summo Pontifici, si probe sciens subscriptionem quatuor Episcoporum explicatam fuisse, persuadere voluit eos pure ac simpliciter subscripsisse.

Hinc respondeo 2.° Hanc Epistolam sic exponendam esse, ut cum caeteris actis Romam transmissis aperte non pugnet, adeoque sensum esse quatuor Episcopos novam agendi rationem amplectendo, caeteris Galliarum Episcopis, ut prius doctrina, sic & disciplinae forma consensisse. Quatuor Episcopi a caeteris circa doctrinam ipsam nunquam dissenserant, immo *cum caeteris Praesulibus omnino con-*

senſiſſe videbantur, ut expreſſe teſtatur idem Cardinalis in Epiſt. ad Clementem XI. ſed agendi modum peculiarem tenuerant, Mandatis editis tradendo eam doctrinam, quam alii vel actis Synodalibus, vel Mandatis non excuſis, vel viva voce, vel alia quavis via tradiderant. Hinc quando Mandata ſua nova ſubſcribendi ratione irrita fecerunt, ſublatum eſt quidquid in eis ſingulare viſum fuerat. Quidquid ſit, certum eſt Clementem IX. non per hanc ſolam Epiſtolam cognoviſſe quid egiſſent quatuor Praeſules, ſed per alia inſtrumenta multo clariora.

Satisfit argumento petito ex occultatione actorum verbalium.

Opponunt 2.° Si Clemens IX. noverat & approbabat quod in Synodis actum fuerat, cur quatuor Praeſules illud tanto ſtudio occultarunt?

Reſpondeo quatuor Epiſcopos id conceſſiſſe Nuntio & Sedi Apoſtolicae. Optaſſent enim acta ſua Synodalia in publicum emittere; emiſiſſentque, ut convenerat, ſi Romanus Pontifex aliquo pacto innuiſſet ipſos Mandatorum ſuorum doctrinam retractaſſe. Aliunde ipſorum acta non Romano Pontifici, ſed publicae notitiae occultata fuere. Nam ſtatim atque Clemens IX. reſcire voluit quid illa ferrent, nullam moram fecerunt, quominus per declarationem Epiſcopi Catalaunenſis id cognoſceret; ipſa procul dubio acta miſſuri, ſi voluiſſet. Adde, etſi acta illa in tabulariis aſſervabantur, tamen impoſſibile fuiſſe, ut quod coram tot teſtibus actum erat, publicam notitiam effugeret.

Inſtant: Si Clemens IX. ſciebat eamdem doctrinam in actis Synodalibus contineri, quam prius in Mandatis improbaverat, cur damnatis Mandatis acta quoque verbalia non damnavit?

Reſpondeo Romanam Curiam offenſam fuiſſe non doctrina quatuor Epiſcoporum, ſed ſola eius publicatione. Hoc patet ex eo quod, cum XIX. Epiſcopi in ſua Epiſt. adoptaſſent doctrinam Mandatorum, aſſeruiſſentque alios Epiſcopos eam tradidiſſe, licet diverſa forma, nec ipſorum Epiſtola, nec Epiſcoporum, de quibus loquebatur, agendi ratio Romae damnata ſit. Si quaeras quare in cauſſa paene ſimili agendi modus Romanorum Pontificum tam diſpar fuerit, reſpondeo eos inprimis offenſos fuiſſe, quia quod alii minus ſolemniter, id quatuor Praeſules publice & palam praeſtiterant. Nemo quippe neſcit Curiae Romanae hanc indolem eſſe, ut nihil quidquam Conſtitutionibus ſuis addi velit, etiam explicationis cauſſa, tametſi quod additur verum & catholicum ſit. Cum id modo mi-

nus solemni, licet omnibus noto, faciunt Gallicani Episcopi, dissimulat quasi non factum: at si idem palam & instrumentis publicis fiat, ita ut dissimulandi locus non sit, tunc in querelas erumpit; queritur contemni Decreta Sedis Apostolicae, & Praesules, qui iure suo utuntur, veluti reos & inobedientes persequitur. Non aliam ob caussam Clemens IX. voluit, ut acta Synodalia in tabulariis asservarentur, ne si publicata fuissent, Apostolicae Sedis auctoritas imminuta censeretur. Stupendum hoc merito videbitur. Quod enim, inquies, quando solemniter fit, exagitas, cur occultius gestum, etsi noveris, non improbes? Aut quod actis publicis non vulgatum extra crimen est, cur publicatum crimini vertitur & graviter plectendum decernitur? Verum quidquid hac in re peccati est, non quatuor Episcopis, sed Romanae Curiae typho adscribendum est.

Urgent: Clemens IX. doctrinam processuum verbalium approbare non potuit nisi decessorem suum damnando, qui formulae simpliciter subscribi iusserat.

Respondeo Alexandrum VII. definiisse quidem quinque propositiones e libro Iansenii excerptas & in eius sensu damnatas esse, sed non declarasse fideles teneri factum illud interius credere, ut observavit Cardinalis de Laurea in suo voto. Hinc Illustrissimus *De Harlay* in Epistola ad Card. Rospigliosum affirmabat futurum fuisse, ut in Comitiis Cleri anno *1660.* & *1661.* cum primum formula condita est, pax sanciretur, si declarationem, qualem Romam misit Catalaunensis, Augustiniani Theologi tunc temporis obtulissent.

QUAESTIO DECIMA.

An per Constitutionem, VINEAM DOMINI SABAOTH, pax Clementina rescissa fuerit, vel imposita obligatio credendi factum Iansenii.

In eo stat Clementina pax, ut qui de Iansenii facto dubitant, iis liceat subscribendo declarare se iuri fidem, facto silentii submissionem praestituros.

Dico autem per Constitutionem, *VINEAM DOMINI SABAOTH*,

BAOTH, nec Clementinam pacem fuisse rescissam, nec obligationem impositam, interius credendi factum Iansenii.

Hoc demonstrat 1.° contextus Constitutionis, in qua nullam clausulam ostendere possibile est, qua declaretur, vel credi debere factum Iansenii, vel ei subscribi, aut illicitum esse, factum a iure subscribendo distinguere. Quo enim pacto S. Pontifex id definivit, de quo ne verbum quidem profert?

2.° Id solum definire proposuit Clemens XI. quod a praetensis Iansenianis controverti existimabat: atqui manifestum est, eum falsis rumoribus ad se perlatis existimavisse, illos Theologos sic affectos esse, ut doctrinam nomine *sensus Iansenii* damnatam, interius reiicere nollent, contenderentque illam in animo retineri licite posse, modo silentium obsequiosum exterius deferretur; atque adeo non facti, sed iuris definitioni dissentirent. Hoc apparet ex ipsismet verbis Constitutionis: „ iidem inquieti homines ", ait S. Pontifex, ... „ non sine gravi Apostolicae Sedis iniuria, maximoque totius Ecclesiae scandalo docere non sunt veriti, ad obedientiam Apostolicis Constitutionibus debitam non requiri, ut quis Ianseniani libri sensum in quinque propositionibus, sicut praemittitur, damnatum, interius ut haereticum damnet, sed satis esse, si ea de re, obsequiosum, ut ipsi vocant, silentium teneatur ". Cernitis eos describi qui sensum recusant. Pergit S. Pontifex „ quae quidem assertio, quam absurda sit, & animabus fidelium perniciosa, satis apparet, dum fallacis huius doctrinae pallio non deponitur error, sed absconditur, vulnus tegitur, non curatur; Ecclesiae illuditur, non paretur; & lata demum filiis inobedientiae via sternitur ad fovendam silentio haeresim; dum ipsam Iansenii doctrinam, quam ab Apostolica Sede damnatam Ecclesia universalis exhorruit, adhuc interius abiicere, & corde improbare detrectant ". Cernitis illud silentii genus proscindi, quo *error* in corde *absconditur*, quo *haeresis fovetur*, quo *doctrina* constitutionibus *damnata* atque ab Ecclesia universali reprobata retinetur; non vero illud, quo interius dissensus circa attributionem libro Iansenii factam occultatur. Igitur cum postea definit, „ obedientiae, quae Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri; sed damnatum in quinque propositionibus Ianseniani libri sensum, quem illarum verba prae se ferunt, ab omnibus Christi fidelibus ut haereticum, non ore solum, sed & corde reiici ac

„ damnari debere, nec alia mente, animo, aut credulitate formulae „ subscribi licite posse “, illud duntaxat silentium improbat, quod caderet supra ius, non illud quod supra merum factum cadit.

Et sane quid absurdius fuisset, quam eos obligare ad credendum factum Iansenii, quos supponas de hoc facto non dubitare, ideoque damnare nolle sensum Iansenii, quia doctrinam a Sede Apostolica damnatam, sanam orthodoxamque esse sentiunt?

3.° Damnare haeresim, Iansenio attributam, & eamdem Iansenio attribuere, duo sunt insigniter diversa, quae uno eodemque mandato imperari non possunt. Atqui Clemens XI. in dicta Constitutione, unum duntaxat imperat, nempe ut doctrina in quinque propositionibus damnata interius reiiciatur; non vero imperat, ut credatur interius eam libro Iansenii recte attributam esse, cum tamen id exprimere necessarium & facillimum fuisset. Ergo quicumque doctrinam in quinque propositionibus damnatam sincere reiicit, plane satisfacit Constitutioni.

4.° Multi Episcopi qui praedictam Bullam receperunt, pacem Clementinam nihilominus acriter tuentur, ut Episcopi Senecensis, & Montispessulani, duodecim Episcopi, qui litteris ad Regem datis, & supplice libello supremo Senatui oblato Senecensis patrocinium strenue susceperunt, & plerique alii Gallicani Praesules, teste Episcopo Castrensi in Epistola ad Regem 8. Decembris 1727., ubi sic: „ Lugendum est quod apertissimae & certissimae veritati oculi „ claudantur, ad obruendos Episcopos, quibus exprobrari nihil po„ test, nisi quod populis suis eam proposuerunt. Voluerunt illi pa„ lam & Scripto eas elucidationes dare, quas fere omnes viva vo„ ce dare solemus ubi id expedire iudicamus ad pacandas conscien„ tias eorum qui falso existimarent submissionem eamdem pro facto „ ab hominibus errori obnoxiis asserto, ac pro dogmate in Scri„ pturis & Traditione contento ab Ecclesia exigi. Fateor omnes „ fere Gallicanos Episcopos has explicationes Scripto tradere negle„ xisse, sed eorum plerique eas ut notorias & per constantem Ec„ clesiae doctrinam certissimas, atque a Cardinalibus Baronio, Bel„ larmino, eruditioribusque Theologis adeo clare traditas supposue„ runt, ut ignorari vel controverti non possint “. Paulo ante observaverat eo magis credi sibi debere, quod formulae subscriptionem multo severius quam multi alii imperasset: „ vis tamen veritatis, „ ait, confiteri me cogit Illustrissimos Senecensem & Monspelien„ sem nihil nisi verum hac de re dixisse; addam non posse illos

„ ut haerefis fautores hac in occafione haberi, quin res omnium „ falfiffima abfurdiffimaque fupponatur, ac, quod ftupendum eft nec „ fatis advertitur, quin accufatores haerefis periculo fe committant", credendo nimirum Ecclefiam circa facta non revelata errare non poffe. En Epifcopum exequendae Conftitutionis *VINEAM DOMINI* ftudiofiffimum, exigendis fubfcriptionibus intenfiffimum, palam tamen declarantem non tantum fe, fed & plerofque Galliae Epifcopos, circa obfequiofum filentium id fentire & ubi occafio poftulat, viva voce profiteri quod Monfpelienfis & Senecenfis in Scriptis publicis docuerunt. Igitur, ipfo tefte, plerique Gallicani Epifcopi credunt Clementinam pacem veriffimam effe, nec revocatam, quamvis vel ex negligentia vel ex timore fenfus fuos palam non depromant.

Opponunt. Ipfamet Conftitutionis verba demonftrant Clementem XI. fpectaffe pacem Clementinam ut fictitiam. „ Ipfamet Apo„ ftolicae Sedis Decreta, inquit, redarguendis eorum pravis fenfibus „ condita, ac praefertim quafdam piae memoriae Clementis Papae „ IX. die *19.* Ianuarii *1669.* ad quatuor Galliae Epifcopos, . . . „ in erroris fui patrocinium advocare, temerario plane aufu non „ erubefcunt; perinde ac fi memoratus Clemens praedeceffor, qui „ eifdem fuis litteris fe Innocentii X. & Alexandri VII. praede„ cefforum Conftitutionibus fupra dictis firmiffime inhaerere, ac a „ dictis quatuor Epifcopis veram & totalem obedientiam, adeoque „ Formulae a praefato Alexandro praedeceffore, ficut praemittitur, „ editae, fincere per eos fubfcribi voluiffe declaravit, aliquam in tam „ gravi negotio exceptionem feu reftrictionem, quam nullam pror„ fus fe umquam admiffurum fuiffe proteftatus eft, reipfa admififfet".

Refpondeo modo demonftratum effe illas voces, quae in Brevi Clementis IX. leguntur, non excludere diftinctionem iuris & facti. Porro non alium fenfum habent in Conftitutione Clementis XI. Huic Pontifici fuggeftum fuerat, multos effe in Gallia, qui damnatos quinque propofitionum errores tenerent, & nihilominus Formulario fubfcriberent, eo praetextu quod fubfcriptio folius filentii obfequiofi promiffionem fignificet. Id conftat ex contextu Bullae, quae fere tota eos aggreditur, qui errorem in animo fovent, qui damnationi errorum non aliud quam filentii obfequium exhibent, quique hoc ipfo fenfu Clementinam pacem interpretari nituntur. Quid mirum, fi homines tam atris coloribus depictos damnet, afferatque eos immerito gloriari pace a Clemente IX. conceffa? Caeterum illa Conftitutio de peculiari facti quaeftione non agit. Decernit quidem

damnandum esse sensum Iansenii, quod dixerant alii Pontifices: sed utrum ius & factum necessario nexu uniantur, utrum eadem utrique submissio debeatur, utrum a quatuor Episcopis internam facti persuasionem Clemens IX. exegerit, nec definit, nec expendit. Aliunde ex litteris quae tunc Roma scriptae sunt, compertum est Clementem XI. quaestiones in Gallia tunc agitatas, de submissione factorum definitionibus debita, attingere noluisse. Mentem ipse suam 19. Iulii, biduo post promulgationem Bullae, aperuit D. *Chevallier* deputato Illustr. *de Bissy* tunc Tullensis Episcopi; nimirum se a nonnullis Galliae Episcopis rogatum esse, ut Ecclesiae circa facta dogmatica infallibilitatem necessitatemque assentiendi huiuscemodi definitionibus Decreto sanciret, sed superioribus momentis impulsum abnuisse. Idem confessus est pluribus saecularibus regularibusque viris, qui id multoties testati sunt.

Instant: nemo usquam sensit obsequiosum silentium satisfacere Constitutionibus Apostolicis quoad ius. Ergo Clemens XI. non hoc silentii genus Constitutione sua damnavit, sed illud quod ad factum Iansenii refertur: alioquin id definivisset, quod Ianseniani concedebant, intactumque reliquisset, quod unice controvertebant.

Respondeo, id quamvis portento simile videatur, esse tamen verissimum, & lectione Constitutionis evidentissimum. Revera S. Pontifex statum rerum ignoravit, deceptusque falsis Anti-Iansenianorum delationibus, existimavit praetensos Iansenianos interius fovere haeresim, Ecclesiamque obtento silentii obsequiosi pallio, fraudulenter illudere; contra huiusmodi fictitios haereticos Constitutionem emissam esse, ex integro eius tenore liquido apparet.

Urgent: Saltem Clemens XI. sancivit licite subscribi non posse Formulae, nisi interius credatur doctrinam in libro Iansenii haereticam contineri: Atqui omnes tenentur subscribere Formulae: Ergo ex hac Bulla, omnes tenentur assentiri definitioni facti.

Distinguo mai. Licite subscribi non potest subscriptione pura & simplici, nisi credatur factum quod in Formula exprimitur, concedo: non potest subscribi subscriptione explicata, nego. Nam qui subscribendo mentem suam sic explicant ut iuri fidem, facto silentii obsequium deferant, nullius mendacii aut periurii accusari possunt; cum nihil profiteantur exterius, nisi quod in animo gerunt. Adde Constitutionem non praecipere ut omnes subscribant Formulae, nec damnare subscriptiones explicatas quales tempore pacis approbatae sunt.

CAPUT SECUNDUM.

In quo expenduntur variae quaestiones circa formulae subscriptionem.

IN formula Alexandri VII. duo sunt consideranda; ius, id est damnatio erroris quinque propositionum, & factum, id est huius erroris attributio facta libro Ianfenii. De iure nulla est difficultas: omnes quippe consentiunt quinque propositiones in sensu obvio haereticas esse, & parati sunt illarum damnationi pure & simpliciter absque ulla exceptione aut restrictione subscribere in omni sensu, quem Ecclesia damnavit, per sinceram fidei divinae submissionem. At de facto maxima est opinionum diversitas, singulis prout affecti sunt, vel prout commoda ferunt, systemata aut iam cusa amplectentibus, aut nova cudentibus. Duae sunt inprimis circa formulae, quatenus factum attingit, subscriptionem, Theologorum sententiae. Prima est eorum qui lectione libri Iansenii convicti quinque propositiones immerito illi attributas esse vel aliis momentis ad id credendum vel ad dubitandum impulsi, formulae pure & simpliciter subscribere constanter recusant; eo quod hinc persuasum habeant illicitum esse pure & simpliciter subscribere, nisi interno mentis assensu credatur factum in formula enuntiatum, illinc vero nullo certo momento de huius facti veritate persuadeantur: non Ecclesiae iudicio quod in huius generis quaestionibus errori obnoxium esse non dubitant; non debita Ecclesiae obedientia, quia existimant Ecclesiam, cum iudicat de factis obscuris, dubiis, & controversis, non exigere a fidelibus assensum internum, sed tantum ut iudicio suo aperte non contradicant; non facti evidentia, quam hîc desiderant. Parati sunt tamen subscribere, modo, quod a Clemente IX. concessum est, sibi permittatur, nempe factum a iure distinguere, solamque silentii submissionem quoad factum polliceri. Aliter nolunt. Notandum est, quod est non leve veritatis argumentum, eos, qui sic sentiunt, iisdem semper vestigiis ab initio disputationum institisse, etiamsi omni persecutionum genere lacessitos.

Altera sententia est eorum qui contendunt formulae simpliciter subscribi debere, aut saltem posse. Verum quantum illa simplex est sibique constans, tantum haec varia & anceps fuit.

1.° Enim veteres Anti-Iansениani, ut facti fidem quoquo modo extorquerent, dixerunt illud ita intimo nexu cum iure, id est cum errore quinque propositionum coniunctum esse, ut divelli nequeat, ac *pertineat ad partem dogmatis*. Ita loquebatur Illustr. De Marca in Comitiis Cleri Gallicani, in quibus favore Cardinalis Mazarini partes habuit maximas: verum haec opinio cum auctore suo sepulta diu iacuit, donec a nonnullis nostra aetate exsuscitata est.

2.° Alii novum dogma commenti, docuerunt Ecclesiam, cum definit, quis sensus in libris contineatur, ex speciali Spiritus Sancti assistentia errare non posse: verum hi inter se disputant, utrum vi illius infallibilitatis facta ab Ecclesia definita evadant articuli fidei, fideque divina credi debeant; quidam enim affirmant; multo plures, quos talis portenti pudet, negant.

Occasio excogitandi huius dogmatis, cuius nulla vestigia apud antiquiores Theologos reperies, haec fuit. Cum Anti-Ianseniani omnimodis persuadere vellent, quinque propositiones in libro Iansenii contineri, idque ipsa rei evidentia demonstrare non possent, auctoritate sese munire conati sunt. Cumque perspicerent captivari non posse intellectum in obsequium Ecclesiae circa istiusmodi quaestiones, si Ecclesia eas definiendo errare possit, necessitate tuendi caussam susceptam, quam aliter defendere nequibant, contenderunt Ecclesiam non magis errare posse quando determinat sensum librorum, quam quando de doctrina ipsa iudicat.

3.° Cum illius opinionis novitas erronea plurimis videretur, Illustr. *De Perefixe* Archiepiscopus Parisiensis, quem multi postea secuti sunt, docuit iudicia Ecclesiae circa facta non revelata, etsi errori obnoxia esse possint, excipienda esse cum assensu interno, quem *fidem humanam & Ecclesiasticam* appellavit.

Verum nec isti inter se mutuo consentiunt. Alii enim existimant Ecclesiam, tametsi, absolute & speculative loquendo, errare possit circa facta doctrinalia, tamen nunquam reipsa errasse: Ita sentire visus est eruditus Bossuetus Meldensis Episcopus. Alii censent Ecclesiam in huiusmodi factis aliquando errasse. Dissentiunt quoque circa certitudinem fidei humanae quam exigunt. Multi illam indubitatam esse debere contendunt: nonnulli non omnino in-

dubitatam, sed indubitatae proximam: Quidam credunt praesumptionem tenuissimam sufficere. Demum alii docent fidem illam iudicio Ecclesiae deberi, quamdiu disputationes vigent; sopitis autem contentionibus & sublato schismatis periculo, licere cuilibet in suo sensu abundare, librorumque damnatorum defensionem suscipere: alii e contrario sentiunt illam fidei humanae submissionem nullo temporis limite definiri.

4.° Non pauci convicti Ecclesiam circa facta non revelata errare posse, assensumque firmum auctoritati fallibili praestari non posse, contendunt nihilominus omnes subscribere debere facto Iansenii; eo quod hoc factum manifestum sit, nec nisi mala fide & studio defendendi erroris controverti possit.

5.° Aliqui putant neminem ad puram & simplicem subscriptionem compelli debere, ipsi tamen subscribere non recusant, eo quod factum Iansenii, quamvis per se non evidens, sibi tamen per accuratum libri examen constare autument. Liquet, huius & praecedentis sententiae patronos, quando formulae subscribunt, non Ecclesiae auctoritati, sed illos creditae facti evidentiae, hos proprio iudicio deferre.

6.° Demum non defecerunt nec desunt qui minime consentientes errorem quinque propositionum in libro Iansenii contineri, sed cernentes puram & simplicem subscriptionem esse unicum medium obtinendi retinendique gradus, Beneficia, Sacrosque Ordines, commodius profecto quam verius contendunt pure & simpliciter subscribi posse absque interna facti persuasione. Verum hi non iisdem ad id sentiendum momentis impelluntur. Holdenus Doctor Sorbonicus, in libro cui titulus, *Defensio formulae fidei adversus haereticorum calumnias;* Cardinalis Laurea in suo voto; multi Lovanienses, & alii, dixerunt, factum Iansenii connotative tantum in formula enuntiari, subscriptionemque in solum ius cadere. Quidam cum Sambovio in Epistola ad amicum scripta 6. Ianuarii 1661. opinati sunt, ut formulae subscribi possit, satis esse, quod prima propositio, ad quam caeterae Theologice reducuntur, in libro Iansenii quoad verba extet, etiamsi spectatis quae praecedunt & consequuntur, catholicum sensum ibi praebeat. Proinde eos, qui subscribunt, non testari errorem quinque propositionum esse ipsummet Iansenii sensum, sed contineri in prima propositione e libro eius extracta. Multi dicunt discrimen iuris & facti tam certum & indubitatum esse, ut super-

fluum ſit illud ſcripto exprimere, maxime cum conſtans Eccleſiae doctrina ſit, ſubſcriptionem, qua parte in facta cadit, ſolam ſilentii ſubmiſſionem ex natura factorum & veluti publico condicto ſignificare. Ita ſentiebant Illuſtr. *De Choiſeuil* & *de Vialard*, ille Tornacenſis, hic Catalaunenſis, & alii Praeſules, de quibus loquuntur XIX. Epiſcopi in Epiſt. ad Clementem IX. Nonnulli e contrario credunt ſubſcriptionem vulgo interni aſſenſus circa ipſa facta teſtimonium eſſe; ſed aiunt ex quo per Clementem IX. pax ſancita eſt, notorium eſſe ſubſcriptionem Formulae ſolam ſilentii ſubmiſſionem pro facti definitione exprimere. Addunt alii hoc ſaltem conſtare ex Brevi Innocentii XII. dato 6. Februarii 1694. ad Epiſcopos Belgii, quo nihil aliud exigitur quam ut quinque propoſitiones damnentur *in ſenſu obvio quem verba ipſa prae ſe ferunt*, aſſeruntque per illud Decretum formulam reſtringi ad ſenſum obvium propoſitionum, ſemota quaeſtione utrum ſenſus ille obvius a Ianſenio intentus fuerit, an non fuerunt etiam nonnulli qui (ut ſunt homines ad nova fingenda, cum proprium commodum exigit, ingenioſiſſimi) contenderunt ſubſcriptionem eſſe nudum teſtimonium, quod Apoſtolico iudicio datur, non autem ſignum aſſenſus ipſi facto a ſubſcribente dati; hoc eſt, eos qui ſubſcribunt, non teſtari quinque propoſitiones eſſe Ianſenii, ſed Romanos Pontifices id pronuntiaſſe. Demum quidam Leodienſis Canonicus in Epiſt. edita anno 1705. *de ſubſcriptione Formularii*, & in libro inſcripto *Defenſio auctoritatis Eccleſiae*, docuit ad ſubſcribendum non requiri evidentiam ex parte obiecti, nec certitudinem ex parte motivi ſeu auctoritatis Eccleſiae, nec opus eſſe inquirere in facti Ianſeniani veritatem, ſed ſubſcribendum eſſe ſimpliciter ex motivo piae & credulae obedientiae, ſubſcribenteſque non iurare in factum Ianſenii, ſed iurare ſe ex ſincera obedientia illud pie credere.

Haec ſunt varia ſyſtemata ab annis LXX. ad tuendam puram & ſimplicem Formulae ſubſcriptionem inventa. Quis non miretur in re ſimpliciſſima tantam opinionum diſſenſionem? Si enim pure & ſimpliciter Formulae ſubſcribendum eſt, cur nec de motivo aſſenſus, nec de natura ſubmiſſionis convenit? *Unus aedificans*, ait Eccleſiaſticus Cap. 34. v. 28. *& unus deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor?* Tertullianus ex unanimi totius Eccleſiae per orbem diſperſae conſenſu dogmatum catholicorum veritatem demonſtrabat. „ Quod apud omnes, aiebat, unum invenitur, non eſt erratum,

„ ſed

„ sed traditum "· Nonne ex opposito dicere licet: „ Quod apud „ omnes tam diversum, & sibi repugnans invenitur, non est tradi- „ tum, sed erratum "? Tanta vis est veritatis, ut etiam nude proposita, animos rapiat, & persuadeat, maxime, si eam profitentibus nullum periculum immineat. Cur ergo qui pro subscriptione Formulae a multis annis tam acriter decertant, necdum inter se concordes sunt, nisi quia ipsis deest quae sola mentes coniungit suavis potensque veritas?

Ex illis subscribentium subscriptionesque vindicantium internis dissidiis, mirum quantum roboris accedat iis, qui Formulae pure ac simpliciter subscribere recusant. Quidquid enim ad sese tuendos proferunt, a maiori adversariorum parte tanquam sanum & inconcussum admittitur. Docent inprimis illicitum esse pure & simpliciter subscribere absque interna de facto Iansenii persuasione; idem affirmant eorum adversarii, exceptis iis, qui stant pro sexta opinione. Docent iudiciis Ecclesiae firmam fidem haberi non posse, nisi haec irreformabilia & extra omne erroris periculum posita sint; idem eorum adversarii tuentur contra tertiae opinionis patronos. Docent Ecclesiam, quando definit quaestiones factorum non revelatorum, errare posse; idem propugnant eorum adversarii contra auctores primae & secundae opinionis. Docent factum Iansenii non esse seipso evidens; idem fateri coguntur adversarii, paucis exceptis, qui quartae sententiae adstipulantur. Quo ergo in capite non catholici sunt, cum accusatores & iudices ipsos habeant patronos? Cameracensis Archipraesul, caeterique assertores infallibilitatis Ecclesiae circa facta, eos adversus fidei humanae patronos vindicant, luce clarius demonstrando, tyrannidem esse, exigere a fidelibus assensum internum iis definitionibus, quibus falsum subesse possit. Eos adversus Cameracensem defendunt Illustr. *De Perefixe* & alii, qui stant pro fide humana, probando invictis argumentis Ecclesiam errare posse circa facta non revelata. Sic error nunquam sibi constans, secum ipso pugnat seque destruit; simplex autem veritas, in medio posita sibi adversantium & victoriis vincit, & clade accrescit. Hoc singulari Dei providentia toties evenisse cernimus, quoties catholica fides oppugnata est. Lutherani, praesentiam realem Christi in Eucharistia, adversus Sacramentarios vindicarunt: hi contra Lutheranos demonstrarunt praesentiam realem admitti non posse, quin admittatur transubstantiatio. Naturarum distinctionem in Christo contra Monophy-

sitas Nestoriani personae Christi unitatem contra Nestorianos evincebant Monophysitae. Trinitatem personarum in Deo, adversus Sabellianam haeresim probabant Ariani, naturae divinae unitatem, adversus Arianam impietatem, adstruebant Sabelliani. Singulae sectae dimidiata veritate vicissim vincebant & vincebantur: Doctrina catholica veritatem totam complectens, vincit singulas, vincitque in singulis.

Ut amplissima haec materia ordine tractetur, ostendam 1.° pure & simpliciter subscribi Formulae non debere, nisi certa mentis persuasione credatur, errorem quinque propositionum in libro Iansenii contineri.

Ostendam 2.° evidens non esse quinque propositiones extare in Iansenio.

Ostendam 3.° factum a iure seiungi posse ac debere, hoc est errores quinque propositionum sincere damnari posse, etiamsi non credatur, eos a Iansenio traditos esse.

4.° Ostendam, Ecclesiam ab erroris periculo immunem non esse quando iudicat quisnam sit librorum sensus.

5.° Hoc posito ostendam a fidelibus, virtute solius auctoritatis Ecclesiae, fidem humanam, firmumque huiuscemodi iudiciis assensum exigi non debere.

6.° Ostendam consequenter, eos qui de facto Iansenii dubitant cogi non debere ad puram & simplicem Formulae subscriptionem.

7.° Ostendam eos qui hanc ob caussam nolunt nisi apposita explicatione subscribere, nec haereticos esse, nec temerarios, nec inobedientes &c.

8° Concludam, nullam in Ecclesia haeresim Iansenianorum esse, Iansenismum esse merum phantasma, sectamque chimaericam.

QUAESTIO PRIMA.

Utrum certa & indubitata mentis persuasio de Iansenii facto necessaria sit, ut pure & simpliciter Formulae subscribi licite possit.

PROPOSITIO.

Non licet pure & simpliciter subscribere Formulae Alexandri VII. quin firma persuasione credatur, quinque propositiones in libro Iansenii contineri.

MUltos hic confutandos habemus: 1.° illos qui credunt puram & simplicem subscriptionem, in solum ius cadere, nullo modo in factum: 2.° eos qui existimant subscriptionem nihil aliud quoad factum significare, quam illud a Pontificibus definitum fuisse, non autem verum esse: 3.° eos qui opinantur ad sincere subscribendum satis esse, si credatur primam propositionem, immo alias propositiones duras vel obscuras in Iansenii libro contineri, tametsi non credatur has propositiones in libri contextu haereticas esse: 4.° eos, qui docent, ad subscribendum pure ac simpliciter sufficere levem praesumptionem seu opinionem de facti veritate: 5.° demum Leodiensem Theologum, qui contendit subscribentes non factum ipsum affirmare, sed tantum piam de illo credulitatem profiteri. Quamobrem quinque huius propositionis partes erunt.

1.ª Pars. Subscriptio pura & simplex Formulae, non in ius solummodo, sed in factum quoque cadit, nec sufficit eum qui sic subscribit, damnare quinque propositiones, nisi interius credat, eas apud Iansenium extare. Subscriptio cadit in factum Iansenii.

Probatur 1.° ex ipsis Formulae verbis quae sic habent: „ Ego... „ quinque propositiones ex libro Cornelii Iansenii, cui nomen *Augustinus*, excerptas, & in sensu ab eodem auctore intento, prout „ illas Sedes Apostolica damnavit, sincero animo reiicio ac damno. „ Et ita iuro. Sic me Deus adiuvet & haec Sancta eius Evangelia ". Perspicuum est his verbis & damnari propositiones, & eas Iansenio attribui. Porro qui alicui Formulae subscribit, censetur id

omne, quod Formula comprehendit, approbare, & calculo ſuo confirmare, niſi contrarium diſerte exprimat: Ergo qui pure & ſimpliciter Formulae ſubſcribit, damnat exterius librum Ianſenii, haereſimque illi attribuit.

Et certe, qui loquitur, multo magis qui iurat, attendere debet nativam & communi uſu conſecratam ſignificationem verborum quibus loquendo vel iurando utitur. „ Ille quippe mentitur, ait S. Auguſtinus in Lib. de mendacio Cap. 3. „ qui aliud habet in „ animo, & aliud verbis vel quibuslibet ſignificationibus enunciat ". Porro haec verba, *ſenſum Ianſenii damno*, ex communi hominum inſtitutione ſignificant eum, qui illa profert, vel ſcribit, ſenſum ac doctrinam Ianſenii pro haereticis habere. Igitur ſi aliter ſentiat, nec admoneat, quo animo loquatur vel ſubſcribat, plane mentitur; hominumque expectationem fallendo, non *recte ambulat ad veritatem Evangelii*.

Dicant, quaeſo, qui huiuſcemodi ſubſcriptionem mendacio eximunt, an ſimpliciter ſubſcribere vellent Formulae hunc in modum conceptae: „ Sabellianam haereſim, in libris Athanaſii tradi„ tam, & in ſenſu ab eodem Athanaſio intento, ſincero animo dam„ no ac reiicio, & ita iuro ". Negabunt, opinor. Quid ita? niſi quia tali ſubſcriptione libros S. Athanaſii, quem ut catholicum venerantur, haereſis damnare cenſerentur: atqui, mutatis nominibus, eadem eſt Alexandri VII. Formula: Ergo qui ſimpliciter illi ſubſcribit, cenſetur Ianſenii doctrinam damnare; ac proinde mentitur, ſi intus non damnet, nec ſubſcriptionem explicet.

Probatur 2.° ex ſcopo & intentione illorum, qui Formulae ſubſcriptionem imperarunt, vel diſtrictius exigunt. A LXX. & amplius annis putati Ianſeniani centies declararunt, ſe fide ſincera damnare quinque propoſitiones in omni ſenſu ab Eccleſia damnato, & in quocumque libro exiſtant; paratos eſſe, id voce vel ſcripto, quoties imperatum fuerit, teſtari; haerere tantum circa attributionem earum libro Ianſenii. Cur ergo Formulare in Conventu Cleri Gallicani anno 1656. conditum eſt? Cur aliis in Comitiis anni 1660. renovatum? Cur altera Formula ab Alexandro VII. propoſita eſt? Cur toties iterata ſubſcribendi iuſſio? Num ut iuri ſubſcriberetur? At nemo ab exordio diſputationum ad hoc uſque tempus de iuris veritate dubitavit. Ergo praecipuus, ne dicam unicus, edendae Formulae finis fuit, ut damnetur ſenſus Ianſenii; ac proinde qui credit

sensum Iansenii catholicum esse, vel de hoc dubitat, absque explicatione subscribere non debet.

Probatur 3.° ex antiqua Ecclesiae praxi. Scopus Ecclesiae, quotiescumque auctores cum suis erroribus damnari praecepit, non alius fuit, quam ut sibi constaret, eos qui subscribebant, errorum auctores detestari. Atqui frustrata fuisset Ecclesiae intentio, si eiusmodi Decretis subscribi posset, absque interna de perverso auctorum sensu persuasione. 2.° Nullus e SS. Patribus aut Scriptoribus Ecclesiasticis proferri potest qui docuerit, eos qui auctorem vel librum aliquem catholicum existimant, subscribere posse Formulae, in qua ille auctor vel liber damnaretur. 3.° Nemo etiam proferri potest, qui praeteritis saeculis, eorum damnationi subscripserit, quorum doctrinam orthodoxam iudicaret, quin omnium indignationem in se concitaverit. 4.° Cum Iustinianus Imperator, nonnullis Episcopis adnitentibus, tria Capitula omnium subscriptione damnari iussit; cur plurimi Catholici tanto studio ei restiterunt? Cur non damnabant Nestorianam haeresim, tamquam in illis Capitulis contentam & in sensu ab illorum auctoribus intento, si huiusmodi subscriptio solum ius attingit, nec supra factum cadit? Hoc pacto, illaesâ conscientiâ, iram minasque Imperatoris elusissent. Verum credebant prisci temporis homines, nulli Formulae, cui falsum subesse credatur, absque explicatione aut limitatione subscribi posse. 5.° Pelagius II. in Epistola ad Episcopos Istriae, quam S. Gregorius Magnus illius, ut creditur auctor, ad Episcopos Hiberniae postea misit, eos urgebat exemplo Vigilii Papae & aliorum Latinorum, qui cum tria Capitula aliquandiu defendissent, eorum damnationi tandem subscripserant: dicebat illos ex linguae Graecae inscitia per aliquod tempus errores in Capitulis contentos cognoscere non potuisse; laudabat illorum constantiam, quod priusquam de facti veritate convicti fuissent, minis poenisque non cessissent: afferebatque illos nunquam consensuros fuisse damnationi dictorum Capitulorum, nisi illa haeretica esse pervidissent. Inde duplex argumentum sumo: primum, si ad subscribendum Formulae, qua aliquis auctor damnatur, necesse non est credere, illum auctorem haereticam doctrinam perversosque sensus tenuisse, profecto linguae Graecae imperitia impedire non debuit, quominus Vigilius & alii Latini trium Capitulorum damnationi subscriberent: atqui Vigilius & alii Latini, ob linguae Graecae imperitiam, noluerunt trium Capitulorum damnationi subscribe-

ro, nec ante subscripserunt quam illorum errores agnoverint, atque hanc ob rem a Pelagio II. & S. Gregorio Magno laudati sunt. Ergo tunc credebatur, firmam de perversa auctorum doctrina persuasionem ad subscribendum eorum condemnationi requiri. 2.^um Si auctorum damnationi absque interna persuasione subscribere liceret, Pelagius II. & S. Gregorius Magnus male conclusissent, Vigilium aliosque Latinos, de perverso trium Capitulorum sensu convictos fuisse, ex eo quod illorum condemnationi tandem subscripsissent: Ergo persuasum habebant auctorum damnationi, absque interna mentis persuasione, subscribi non posse.

Probatur 4.° ex damnatione Casus Conscientiae & Constitutione Clementis XI. quae incipit *VINEAM DOMINI SABAOTH*. Quod enim in illo casu inprimis displicuit, hoc erat, quod Ecclesiasticus ibi memoratus, dicebatur Formulae subscripsisse, & subscriptionis suae testimonium proferre (quam subscriptionem puram & simplicem fuisse supponebatur) quamvis interius non crederet errores quinque propositionum in libro Iansenii contineri. Hanc agendi rationem veluti mendaciis & periuriis faventem damnarunt S. Pontifex, & Episcopi Galliae. Sic loquitur Summus Pontifex in praefata Constitutione: „ Quin etiam eo imprudentiae nonnullos pervenisse compertum est, ut veluti naturalis honestatis, nedum Christianae sinceritatis obliti, asserere non dubitaverint praefatae Formulae subscribi licite posse, etiam ab iis qui interius non iudicant praedicto Iansenii libro doctrinam haereticam contineri: quasi vero contra quam scriptum est, *qui loquitur veritatem in corde suo*, &, *qui iurat proximo suo & non decipit*, huiusmodi erroris sectatoribus liceat Ecclesiam ipsam iureiurando decipere, simulque Apostolicae Sedis providentiam fallere; dum eiusdem Formulae conceptis verbis loquuntur, quod Ecclesia loquitur; quod tamen sentit ipsa, non sentiunt, seque parere Constitutionibus Apostolicis profitentur, quibus animo contradicunt ". Nullis interpretationum nebulis obscurari possunt tam clara verba. Porro haec Constitutio in Comitiis Cleri, quae tunc habebantur, nullo contradicente, recepta est, missusque ad Episcopos absentes Mandati prospectus, quo illud ipsum damnabatur. Episcopi omnes in suis Mandatis, etsi quoad caetera parum concordes, unanimi fere consensu docuerunt eos illicite subscribere Formulae, qui Iansenii factum non credunt. Facultas Parisiensis eumdem casus articulum damnavit, ut

faventem mendacio & periurio, *prout silentii submissionem sufficere dicit iis qui Formulae subscribunt*. Hinc *D. Petitpied*, qui solus e 40. Doctoribus revocare noluit quod de obsequiosi silentii sufficientia in resolutione casus definierat, ubi primum cognovit Cardinalem Noallium in suo Mandato primum casus articulum damnasse *tanquam faventem aequivocationum*, *restrictionum mentalium*, *atque etiam periuriorum usui*, litteris ad eum datis declaravit se nunquam approbasse, aut sequi voluisse opinionem quae docet, sine interna facti persuasione Formulae subscribi posse; consensisse tamen casus resolutioni, eo quod illa opinio vera non pronunciaretur, sed diceretur tantum talis non esse propter quam pius Ecclesiasticus a communione Sacramentorum arcendus foret; damnatâ vero per Mandatum ipsius illâ opinione, se, mutatâ sententiâ, credere illam amplius excusare non posse.

Nihil habent adversarii quod reponant, nisi forte Clementem XI. & Episcopos illud male definiisse. Verum etiamsi hoc concederetur, quod tamen allata superius momenta falsum esse demonstrant; saltem seu bene, seu male definitum est; proinde falsum est, subscriptionem ex communi consensu in Iansenii factum non cadere; adeoque pure & simpliciter subscribi Formulae non potest absque huius facti persuasione, quin Ecclesiae illudatur, frustreturque Summi Pontificis & Episcoporum intentio, tot publicis actis declarata: adeo ut etiamsi Formulae verba Iansenii damnationem aperte non continerent, sola illa declaratio eos periurii convinceret, qui aliter affecti, pure ac simpliciter subscribere audent: *Non* enim *secundum verba iurantis*, ait S. Augustinus Epist. 125. olim 224. ad Alypium n. *3.*, *sed secundum expectationem eius*, *cui iuratur*, *quam novit ille qui iurat*, *fides iurationis impleri* debet . . . . . *Unde periuri sunt qui servatis verbis expectationem eorum quibus iuratum est deceperunt*. Et Epist. 126. olim 225. ad Albiniam n. 13. *Expectationem eorum quibus iuratur quisquis deceperit*, *non potest esse non periurus*.

Probatur 5.° ratione.

Constat ex iis, qui Formulae simpliciter subscribunt, multos credere doctrinam Iansenii esse haereticam, atque syngraphâ suâ id testari velle, ac reipsa testari. Necesse est ergo eos, qui aliter de libro Iansenii sentiunt, aliquo signo ab illis discerni; cum diversimode affectorum professio quoque ac Formula diversa esse debeat: at si Formulae simpliciter subscribant, nihil erit quo discerni queant,

sed eadem erit exterius professio, ubi sensus sunt dispares; sicque subscriptio ac iuramentum evadent signum aequivocum, & in promiscua nominum turba nullius intentio dignosci poterit. Quid aliud est Ecclesiae palam illudere, Sacramentique religionem in contemptum ac ludibrium vertere?

Praeterea ille peccat, qui fidelibus scandalo est: porro qui doctrinam Iansenii pro catholica habens simpliciter subscribit Formulae, scandalo est multis fidelibus. Nam etiamsi verum esset, quod falsum esse probavimus, subscriptionem in factum non cadere; tamen plerique aliter existimant. Ex scrupulo, ex mentis infirmitate, ex ignorantia, si velis, id existimant; at certe non ex malitia, sed bona fide existimant; adeoque scandalizantur, si te viderint Iansenium exterius damnare quem intus approbas; *& conscientia eorum, cum sit infirma, polluetur & aedificabitur* ad idem agendum, ut in casu simili dicebat Apostolus 1. Cor. 8. Addebat ibidem: *si esca fratrem meum scandalizat, non manducabo carnem in aeternum*: quanto potiori iure dicere debemus: si pura & simplex subscriptio, fratrem tuum scandalizat, quantumlibet tu eam licitam putes, ab ea in aeternum abstineas. Addendo unicum verbulum, quo factum a iure exterius secernas, sicut interius discernis, fratris infirmitati mederis. Quomodo peccato vacas, si rem facillimam & fratris saluti utilissimam non facis? Sed video quid moveat. Nolunt Episcopi, inquit, admittere eiusmodi explicationem; imperant simplicem & nudam subscriptionem; eam si abnuero, cum licitam esse credam, beneficia, gradus, temporalia bona non consequar. *Ergo*, inquit Apostolus ibidem, *peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Si teste B. Ioanne 1. Epist. 3. 16. *Sicut Christus animam suam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere;* quanto magis temporalia commoda, beneficia Ecclesiastica, Academicos gradus abiicere?

Notandum insuper, eum qui pure & simpliciter subscribit Formulae, licet credat Iansenium circa quinque propositiones nihil aliud quam catholicam de gratia ex se efficaci doctrinam docuisse, non tantum in Episcopum catholicum, verum in ipsum dogma indirecte saltem peccare. Iansenii etenim sensus duplex distingui potest, unus, ut ita dicunt, publicus, qui vulgo illi attribuitur, estque haereticus gratiae necessitantis sensus; alter privatus, qui ab aliquo privato ei attribuitur, huncque supponi esse catholicum gra-

tiae seipsa efficacis sensum. Cum subscriptio sit actus publicus, quisquis subscribit, sensum publicum, id est, gratiae necessitantis, Iprensi attribuit, eumque calumniatur si credat interius, hunc errorem in eius libro non contineri. Verum cum subscriptio fiat a privatis, respectum necessario habet ad sensum privatum, id est ad sensum quem subscribens, Iansenii esse arbitratur. Proinde qui arbitratur Iansenii sensum non alium esse, quam catholicam gratiae per se efficacis doctrinam, propositiones in sensu Iansenii damnare non potest, quin sensum gratiae per se efficacis, quem Iansenio attribuit & catholicum esse iudicat, aliquo modo damnet. Et certe non aliam ob caussam Iesuitae efflagitarunt & etiamnum efflagitant ut damnetur Iansenii sensus, quam ut sub eius nomine Augustinianae doctrinae damnationem quoquo modo obtineant. Hoc consilium, si forte olim dissimulatum est, nunc aperte detegitur, ex quo Theologi & Praesules ipsis addicti palam docent, sensum in Iansenio damnatum esse sensum delectationis relative victricis. Non igitur de mero facto a fide alieno, sed de doctrina Ecclesiae agitur, quam sub facti involucro labefactare multi conantur. Hoc in rerum articulo, quibus cordi est caelestis gratiae doctrina, possuntne cum illius adversariis licite conspirare? Enim vero si illi quos hic refello, urgeantur hoc pacto: subscripsistis in damnationem sensus Iansenii: at sensum illum creditis esse sensum delectationis relative victricis: pronuntiastis igitur, doctrinam delectationis superioris esse haereticam. Quid quaeso reponent? Quomodo se extricabunt? Nonne in quamcumque se partem vertant, mendacii se ac periurii, aut haereseos, aut utriusque simul reos convincent, vel saltem suspectos facient?

Secunda pars: Qui Formulae pure & simpliciter subscribit, non iurat tantum propositiones a Summis Pontificibus in sensu Iansenii damnatas fuisse, sed se quoque illas in eodem sensu damnare, adeoque credere, errores in Iansenii libro extare.

Subscribens non asserit tantum damnatum esse Iansenium, sed etiam damnatum.

Probatur I.° Argumentis modo allatis quae demonstrant, subscriptione, factum ipsum attingi, eiusque veritatem affirmari.

2.° Ineptum foret Formulae subscriptionem exigere, in testimonium facti, quod ita evidens est, ut non solum non controvertatur, sed nec controverti possit, quale est, Summos Pontifices Iansenii doctrinam haereticam declarasse. Quid iuvat hoc testari si a Pontificum definitione dissentiat; cum omnis subscriptio eo fine imperetur, ut subscribentium sensus innotescant, non ut legislatoris

mens declaretur? Fucum ergo faciunt, ac sibimetipsis illudunt huius opinionis auctores.

3.° Ex Formulae tenore patet, eos, qui subscribunt, non iurare Summum Pontificem damnasse quinque propositiones in Ianfenii sensu, sed iurare se Pontificis iudicium amplecti, & damnare dictas propositiones in sensu Iansenii, sicut a Pontificibus damnatae sunt. Et certe adversarii fatentur, subscribentes non tantum testari quoad ius Summos Pontifices damnasse errores quinque propositionum, sed cum illis, eosdem errores damnare: ergo pariter quoad factum, non testantur solummodo, quinque propositiones a SS. Pontificibus Iansenio attributas esse, sed eorum iudicio adhaerent, easque Iansenio attribuunt.

Subscribentes non affirmant tantum primae propositionis verba apud Iansenium extare.

Tertia pars. Ut Formulae licite subscribatur, non satis est credere, primam e quinque propositionibus, in libro Iansenii contineri, sed insuper credi debet, eam ex praecedentibus, & consequentibus determinari, ad sensum haereticum. Cum enim Formula enuntiet, quinque propositiones ex libro Iansenii excerptas esse, & in sensu ab illo intento damnatas, utrumque affirmat, qui subscribit. Si ergo unam duntaxat propositionum, ex libro excerptam credas, vel si existimas, propositiones, alium in libri contextu sensum offerre quam solitarie spectatas, & nihilominus Formulae pure & simpliciter subscribas, iuras exterius, quod interius non credis; quod absque mendacio periurioque fieri nullo modo posse manifestum est.

Nec dicas damnari posse libros in quibus extat aliqua propositio male enuntiata. Nam si ita est, ecquis erit liber tam accuratus, ut censuram effugere possit? Nonne in ipsa Scriptura divina propositiones occurrunt, quae seorsim spectatae, errorem sonare viderentur? Ideone condemnari poterit? Vix ullus est ex antiquioribus Ecclesiae Patribus, cui circa mysterium SS. Trinitatis, circa gratiae necessitatem, aut alia dogmata, quaedam non exciderint, quae nude spectata haeresim prae se ferrent? Licebit ne illorum propositiones in sensu ab ipsis intento damnare? Igitur ad damnandam propositionem in sensu auctoris: non sufficit quod in eius libro reperiatur, sed requiritur ut ab auctore in perverso sensu traditam esse existimetur. Hoc unanimi consensu docent SS. Patres & Theologi. S. Ambrosius Epist. 48. alias 83. ad Sabinum: „ Si verba „ alicubi morentur, inquit, non praeiudicant fidei. Etenim Sermo„ nem dubium mens non dubia obumbrat, & defendit a lapsu “.

Facundus Hermianensis idem docet Lib. 10. Cap. 5. & Lib. 11. Cap. 2. probat auctoritate & exemplo S. Athanasii; quibus allatis sic pergit: „ Quid ergo si cuiusquam in pace Ecclesiae defuncti „ nobis error apparet? . . . . Quaerendum est prius, ne quod culpabile nobis apparet, ab auctore suo alia intentione prolatum sit, „ . . . maxime si alia dixisse inveniatur contraria illi errori, in quem „ creditur incidisse. Dictorum offensionem, dicentium excusat intentio, secundum quam de verbis melius iudicatur ". Bagotius Iesuita, Lib. 4. Apologetici fidei Disp. 5. Cap. 3. Lect. 1. eamdem regulam tradit: „ Nec enim prudenter nos quaerere oportet, ait, „ quid ea verba significare possint, sed quid per ea intellexerint & „ significare nobis voluerint Patres, quorum mentem & sensum inquirimus ". Thomassinus Dogmat. Theolog. de Incarnatione Lib. 3. Cap. 24. „ Constitit easdem quandoque propositiones, & catholicorum in Scriptis laudatas, & in chartis atque ore haereticorum „ proscriptas fuisse. Constitit, non tam verba, quam intentionem „ ponderari debere, ut quam diversa est saepissime iisdem verbis „ utentium intentio atque sententia, tam diversus sit etiam exitus, „ dum quod hìc absolvitur illic anathemate feritur ". Ex hoc principio fluxit haec iuris regula Cap. *intelligentia* extra de verborum significatione: *verba sunt intelligenda non secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis*. Legi potest quarta pars responsionum ad primam admonitionem Episcopi Suessionensis, ubi haec quaestio accurate enucleatur.

Quarta pars. Ad subscribendum Formulae Alexandrinae, non sufficit praesumptio vel opinio, sed requiritur firma & certa persuasio quinque propositionum errores a Iansenio traditos esse. *Ad subscribendum & iurandum requiritur certa persuasio.*

Ea namque est subscriptionis & iuramenti natura, ut immotam rei subscriptae, vel cum iuramento affirmatae, certitudinem supponant. Multa ex publica fama iudicantur probabilia, quae tamen nemo sapiens chyrographo suo consignare vellet; adeo omnium animis insitum est maiora ad subscribendum, quam ad opinandum, momenta requiri, subscriptionemque esse veluti publicum testimonium, quod soli compertae, ac certo cognitae vel creditae veritati perhibetur. De iuramento idem tanto potiori iure dicendum est, quanto ipsum sanctius & religiosius est: *Iurabis*, inquit Ieremias 4. 2., *in veritate & in iudicio & in iustitia*. Porro qui opinatur duntaxat, non iurat in veritate; quia affirmat quod pro certo non habet: non iu-

rat in iudicio; quia, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 98. Art. 1. ad 1. „ Cum indiscrete iurat, ex hoc ipso periculo se committit falsitatem incurrendi “: non iurat in iustitia, qui iurando testatur Episcopum in sinu catholicae Ecclesiae defunctum errores tradidisse, cum de traditis ab illo erroribus certus non sit. Apostolus docet iuramenti religionem non adhiberi nisi in rebus certissimis, demonstratque divinarum promissionum immobilem certitudinem ex eo quod iureiurando sancitae sint: *homines*, ait Hebr. *6. 16. per maiorem sui iurant, & omnis controversiae eorum finis ad confirmationem est iuramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis haeredibus immobilitatem consilii sui, interposuit iusiurandum; ut per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus.* S. Ambrosius in Psal. 118. Octon. 14. exponens haec verba: *Iuravi & statui custodire iudicia iustitiae tuae*, „ si metueret David, inquit, non iuraret; si trepidaret utrum divina posset custodire iudicia, non cum iuris iurandi statueret Sacramento. Nemo bene iurat, nisi qui potest scire quod iurat. Iurare igitur indicium scientiae, testimonium conscientiae est .... Lux tibi praeeat si iurare disponis, id est, cognitio veritatis praecedat; ut vinculum Sacramenti tibi non possit nocere. Ubi religio sanctior ibi fides veritatis est plenior “. Bellarminus Lib. 1. de Sacramentis Cap. *16.* „ Ad testificandum nomine Dei aliquid, ait, requiritur verissima certitudo, nec sufficit probabilis opinio ... Non enim licet iuramento, id est Dei testimonio uti in re quam opinamur veram, sed solum in re quam certissimi sumus esse veram “. Lessius de iure & iustitia Lib. 2. Cap. 42. dubio 3. „ Si veritas deest, inquit, vel putetur deesse, vel dubia sit iuranti, est peccatum mortiferum “. Catechismus Concilii Tridentini in secundum Decalogi praeceptum n. 17. „ Primum, inquit, in iureiurando locum veritas habet, nimirum ut quod asseritur & ipsum verum sit; & qui iurat, id ita esse arbitretur, non quidem temere aut levi coniectura adductus, sed certissimis argumentis “. Quibus ergo principiis nituntur qui ad subscriptionem Formulae adeoque ad iuramentum, tenuissimum assensum, levissimam praesumptionem aut opinionem de facto Iansenii sufficere definiunt? Non sic Sacrosanctam iurisiurandi religionem illudebant Ethnici, apud quos ratum semper firmumque fuit, non licere in incertis ac dubiis rebus iura-

mento uti. Hanc legem, quam a natura ipsa hausimus & expressimus, eleganter exponebat Iuvenalis Satyra 8. his verbis:

Ambiguae si quando vocabere testis
Incertaeque rei, Phalaris licet imperet ut sis
Falsus, & admoto dictet periuria tauro:
Summum crede nefas animam praeferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere caussas.

Quinta Pars. Qui Formulae subscribit non tantum iurat se obedienter & pie credere factum Ianseuii, sed in facti veritatem directe iurat.

Non in solam facti credulitatem sed in factum ipsum a subscribente iuratur.

Nam qui subscribit, testatur ex tenore Formulae, damnare se quinque propositiones velut ex libro Iansenii excerptas, & in sensu auctoris. Iurat ergo quinque propositiones in damnato sensu a Iansenio traditas esse. Fatetur Leodiensis Theologus factum Iansenii directe & expresse in Formula contineri. Ergo factum ipsum directe affirmatur, siquidem subscriptio & Formula sunt duo correlata.

2.° Subscribens iurat se conformare iudicium suum iudicio Summi Pontificis & Episcoporum: atqui Pontifex & Episcopi iudicant quinque propositiones in libro Iansenii extare: Ergo subscribens hoc ipsum iudicat. Et sane vel subscribens de facto in Formula contenta dubitat, vel non: si dubitat, iudicium suum non conformat iudicio Summi Pontificis: si non dubitat, quid impedit quominus quod certo credit, iureiurando testetur.

Demum pura simplexque subscriptio non minus directe fertur in factum, quam in ius. Ergo cum subscribens non tantum testetur se pie credere quinque propositiones esse haereticas, sed affirmet etiam, eas haereticas esse; pariter testatur eas apud Iansenium extare, non autem praecise se illud pie credere.

Quamquam, etsi concederem subscribentes testari tantum se ex obedientia credere factum Iansenii, saltem illa credulitas tanta esse debet, quanta ad iurandum requiritur, id est certa & immota: atqui Leodiensis non certam fidem, sed probabilem credulitatem requirit: Ergo eius systema reiiciendum est.

Solvuntur obiectiones.

Obiiciunt 1.° contra primam conclusionis partem: Si Rex iuberet comprehendi talem virum, in tali domo commorantem, man-

datum huiusmodi directe definiret, tantummodo illum hominem apprehendi debere, ubicumque latitaret; quod vero diceretur de ipsius commoratione in tali domo, esset merum incidens. Regem, inquiunt, intellige Papam; hominem damnatum ad vincula, quinque propositiones; domum vero librum Iansenii: sicut ergo mandato Regis satisfaceret qui hominem comprehenderet, tametsi non crederet eum in tali domo commorari; ita satisfacit Constitutionibus qui Formulae subscribit, etsi non credat quinque propositiones in Iansenii libro extare.

Nego paritatem. Rex in exemplo allato nullam subscriptionem imperat; hîc autem de subscriptione agitur: 2.° Evidens est Regem illo in casu nihil definire velle circa domum, in qua ille homo commoratur, & incidenter tantum eam commemorare; cum e contrario Iansenii factum adeo directe in Formula intendatur, ut proprie loqnendo propter hoc solum Formula condita, subscriptiones extortae, quatuor Episcopi innumerique viri Ecclesiastici spectatissimi vexati, persecutionum variae tempestates ab annis LXX. excitatae fuerint. Valeret paritas, si homine iam comprehenso & damnato Rex declararet eum in tali domo deprehensum fuisse, omnesque suos subditos iuberet subscribere Formulae hoc tanquam legitimam condemnationis caussam enuntianti. Porro hoc in casu, qui non crederet illum hominem in tali domo commoratum esse, huic Formulae sine mendacio subscribere non posset.

Obiiciunt 2.° Notorium est Ecclesiam circa facta non revelata fallibilem, solam silentii submissionem huiusmodi definitionibus exigere posse: Ergo qui Formulae subscribit, hanc solam submissionem praestare censetur.

Respondeo, tametsi verum sit Ecclesiam circa facta non revelata errare posse, hoc tamen non ita notorium esse, quin a plurimis hoc aevo negetur: Deinde, etiamsi omnes id faterentur, non ideo notorium esse, Ecclesiam, quando auctorum damnationi subscribi iubet, solum circa huiusmodi facta silentium imperare. Nam plerumque illa facta adeo clara & certa sunt, ut in dubium revocari bona fide non possint. Quis neget Arium v. g. Pelagium, Eutichem haereticos fuisse? Verum, quando auctores notorie haereticos una cum eorum erroribus damnari praecepit Ecclesia non praecepit proprie loquendo, ut fideles crederent eos errorem ipsis attributum docuisse; sed hoc factum tanquam apud omnes in confesso suppo-

nens, iussit illos haereticos sincere damnari, & ex animo reiici. Quando vero contigit ut facta obscura essent & bona fide controversa, qualia sunt facta Theodoreti, Honorii &c. Ecclesia nunquam coegit eos qui de illorum veritate ambigebant, iudicio suo subscribere. Numquamque probabitur mentem Ecclesiae fuisse ut qui de perverso librorum vel auctorum sensu dubitabant, eorum damnationi pure ac simpliciter subscriberent. Proinde ex eo quod in facti quaestionibus Ecclesia falli possit, recte quidem concludunt adversarii huiusmodi Decretis assensum internum propter solam Ecclesiae auctoritatem non deberi, sed male concludunt, his Decretis absque interno mentis assensu licite subscribi posse.

Instant: Ecclesia aliquando iubet, eos, qui facta a se definita controvertunt, suo iudicio subscribere: atqui hoc in casu non imperat ut credantur illa facta, circa quae se errare potuisse non ignorat. Ergo Ecclesia censet, subscribi debere etiam si desit interna persuasio.

Respondeo 1.° Non semper Ecclesiae imputandum esse, quod a nonnullis Episcopis partium studio vel dominandi libidine sub Ecclesiae nomine geritur. Verum, data maiore.

2.° Retorqueo argumentum hoc pacto: Iudices saeculares saepe vi tormentorum reos compellunt ad confitenda crimina quae negant se commisisse: atqui eos non compellunt ad credendum se illa crimina admisisse: Ergo exigunt ut confiteantur crimina quae se commisisse conscii non sunt. Absurdum est hoc ratiocinium argumento adversariorum simillimum. Unde quidquid ad illud responderent sibi responsum putent.

3.° Distinguo mai. Ecclesia aliquando iubet eos qui facta a se definita controvertunt, iudicio suo subscribere, quando eos mala fide & contra conscientiam ea controvertere existimat, concedo; quando censet eos bona fide ea controvertere, nego mai. concedo minorem, & nego consequentiam. Ecclesia neminem cogit vi solius suae auctoritatis assentiri factis a se definitis. Verum quoniam plurimum accidit, facta illa evidentissima esse, Praepositi supponunt eos qui illa negant, id malo animo, contra propriam conscientiam, & studio fovendi erroris agere, ideoque interdum gravissimis poenis in eos animadvertunt, non ut factorum convictionem, quae adesse supponitur, sed ut eorum confessionem haereticorumque damnationem extorqueant: quemadmodum iudices non ideo tormenta adhibent ut

reos compellant ad credendum se crimina admisisse, sed ut conscientiam criminum, quae mendaciter occultari supponunt, externa confessione in apertum depromant. Equidem aliquando contigit, ut viri apprime catholici sub hoc praetextu vexentur, sicut in iudiciis saecularibus nonnunquam viri probissimi tormentis subiecti sunt; sed nihilominus quod dixi, immotum manet. Nam quos Ecclesiae Pastores vexant vel mala fide de factis definitis dubitant, vel bona. Si constet eos mala & haeretica mente agere, merito poenis Ecclesiasticis compelluntur ad damnandum errorum auctores: si vero boni sunt, & bona fide agunt, ipsa sua constantia demonstrant quantum crimen sit, eius condemnationi subscribere, quem non credis perversa docuisse.

Instant 2.° Multi subscripserunt damnationi eorum, quos catholicos existimabant. Ioannes Antiochenus & alii Orientales subscripserunt damnationi Nestorii quem tamen catholicum putabant. Vigilius consensit damnationi trium Capitulorum, licet ad ea defendenda plurimum inclinaret. Orientales consenserunt in damnationem Acacii, quamvis eum pro catholico haberent: Ergo &c.

Respondeo exempla ius non constituere, nisi constet ea approbata fuisse ab Ecclesia & SS. Patribus; sed per ius expendi, & diiudicari debere. Verum quae proferuntur exempla, immerito proferuntur. Ioannes quidem Antiochenus & caeteri Orientales diu noluerunt Nestorii damnationi acquiescere; at nullo monumento probari potest eos, quo tempore Nestorium damnaverunt, catholicum illum interius credidisse. Pariter Vigilius diu haesit circa tria Capitula, modo illa approbans, modo damnans; sed temere affirmatur eum, quando iudicio quintae Synodi obsecutus est, tria Capitula sana existimasse. Demum Orientales credebant quidem Acacium haereticum non fuisse, sed eum haereticis communicasse non ignorabant: non ergo contra propriam conscientiam ipsum ut haereseos fautorem damnarunt.

Instant 3.° Saltem post Clementinam pacem, constat solam silentii reverentiam pro facto Iansenii ab Apostolica Sede exigi. Atqui illa pax etiamnum stat, nec revocata est; ergo saltem nunc licite subscribit Formulae, qui de facto Iansenii dubitat, modo circa hoc factum silentium obsequiosum sincere polliceatur.

Distinguo min. Clementina pax etiamnum stat, id est stare & observari debet, concedo; stat & observatur reipsa, nego minorem. Illa qui-

Illa quidem pax ex parte quatuor Episcoporum & Summi Pontificis sincerissima fuit, nulloque Decreto, eo quo data est rescissa aut abrogata fuit. Quocirca Summi Pontifices & Episcopi eam observare tenentur. At quotidiana experientia nimis compertum est eam a multis violari & exsufflari.

Respondeo 2.° Ex pace Clementina recte quidem concludi, definitioni facti assensum internum non deberi; male vero illos, qui de facto dubitant, Formulae pure ac simpliciter subscribere posse. Nam illa pax non in eo posita fuit, ut qui de facto dubitabant simpliciter subscriberent, sed ut subscriptionem suam explicare iusque a facto exterius distinguere permitterentur, quemadmodum quatuor Episcopi in actis Synodalibus, Moniales Portus-Regii, DD. Doiat & Vibet fecerunt. Nedum igitur haec pax, quam toto pectore amplector, adversariis faveat, e contrario illos condemnat, siquidem subscriptiones ab Apostolica Sede tunc approbatae, non purae ac simplices, sed explicatae fuerunt, fixumque ac ratum erat quatuor Praesulibus, Theologis, & Monialibus extrema omnia potius tolerare, quam pure & simpliciter subscribere: adeo illorum sinceritas ab opinione, quam refellimus, abhorrebat.

Instant 4.° Lovanienses Theologi obtinuerunt anno 1694. Breve seu Rescriptum Innocentii XII. quo reiectis additionibus, quas Archiepiscopus Mechliniensis Formulae fecerat, declaratum est eos, a quibus iuramentum vel subscriptio exigitur, *illud praestare debere damnando quinque propositiones in sensu obvio quem ipsamet verba propositionum prae se ferunt, prout sensum illum damnarunt Summi Pontifices damnatumque voluerunt*. Hocque Brevi suffulti in Formulam iuravere, licet Iansenii factum non crederent; & Antonius Arnaldus ac P. Paschasius Quesnel censuerunt hoc ab illis tuta conscientia fieri potuisse: Ergo &c.

Respondeo clarissimos viros ita censuisse respectu solorum Theologorum Lovaniensium, quorum mens obscura esse non poterat, qui de Iansenii facto quid sentirent, multoties declaraverant; qui Mechliniensis additionibus, quibus facti fides imperabatur, fortiter obstiterant; qui per D. Hennebel suos sensus Romae defenderant, solamque silentii reverentiam circa facti definitionem a se praestari multis declarationibus disertissime significaverant; quorum declarationes Romae approbatae fuerant, reiectis e contrario & explosis Mechliniensis, ita ut eorum iuramentum per adiuncta satis explicare-

tur. Quid inde concludi potest pro illis, qui simpliciter subscribunt, nec ulla publica professione mentem suam interpretantur? Utut sit, certe ille rerum status non diu ipsis Lovaniensibus mansit. Cum enim, novis motibus occasione casus conscientiae exortis, Clemens XI. ac fere omnes Galliarum Episcopi sanciverint eos *mendaces* ac *periuros esse*, qui Formulae pure ac simpliciter subscribunt, *quamvis interius non iudicent doctrinam haereticam Iansenii libro contineri*; profecto illud qualecumque praesidium, quod ex Brevi memorato mutuantur adversarii, ipsis omnino ablatum est.

Instant 5.° Constitutio Clementis XI. *VINEAM DOMINI SABAOTH* non adversatur Clementinae paci, nec distinctioni iuris & facti: Ergo non obstat quominus liceat subscribere absque facti certitudine.

Respondeo falso supponi Clementem IX. favisse opinioni quam refellimus. Aliunde quamvis Constitutio *VINEAM DOMINI* revera Clementinae paci non deroget, nec damnet distinctionem iuris & facti silentiique sufficientiam quoad facta definita ab Ecclesia; eos tamen impudentiae damnat, qui Formulae pure ac simpliciter subscribere audent, licet doctrinam haereticam in Iansenii libro extare non credant. Idem publicis Mandatis declararunt supra centum Galliae Episcopi.

Instant 6.° Nemo nescit factum Iansenii a iure distingui, proinde non idem submissionis genus utrique deberi. Cui bono igitur exprimeretur submissionis disparitas quae ab omnibus cordatis viris subintelligitur?

Respondeo, etiamsi illa distinctio ab omnibus agnosceretur (quod falsum est) mentem subscribentium omnibus compertam non esse, adeoque signo aliquo manifestari debere. Cum enim multi, quamvis factum a iure libenter distinguant, nihilominus fide humana facto assentiantur, hocque iuramento confirmare intendant: quo pacto credentem a non credente discernes, si uterque simpliciter & sine explicatione subscribat?

Instant 7.° Episcopi, qui Formulae subscriptionem exigunt, sunt meri ministri Ecclesiae, nec curandum est, quid privata voluntate intendant, sed quid Ecclesia praecipiat: atqui Ecclesia non assensum internum, sed solam silentii submissionem circa factum Iansenii exigit: Ergo qui subscribit, non aliam submissionem exhibere censetur.

Respondeo 1.° Semper confundi ab adversariis duo insigniter diversa, nimirum silentii obsequiosi sufficientiam ad satisfaciendum Constitutionibus, qua parte Iansenii factum decernunt, & eiusdem sufficientiam, ad pure & simpliciter subscribendum Formulae. Primum ultro admittimus; alterum cum Summis Pontificibus, & plerisque Episcopis Theologisque reiicimus.

2.° Frustra quaeritur quaenam sit circa Iansenianum factum Ecclesiae intentio, siquidem nec illud factum definivit, ut probavimus, nec Formulae subscriptionem imperat; nec approbat persecutiones, quas a nonnullis Pastoribus in Sanctissimos atque doctissimos viros quotidie concitari gemimus. Sponsi Christi viscera non cognoscit, quisquis omnia quae a Supremis Pastoribus quasi illius nomine aguntur, ipsi indiscriminatim attribuit. Verum, dato, non concesso Episcopos hoc in negotio agere Ecclesiae ministros.

Respondeo 3.° Intentionem Ecclesiae non esse ut quisquam mentiatur aut peieret: mentitur autem ac peierat qui Formulae exterius subscribit, quamvis non credat factum in ea contentum. Aliud enim scripto profitetur, aliud mente tegit. Sponsa veritatis sinceritatem colit & a levissima dissimulatione abhorret. Quaenam igitur illius intentio foret, posito quod ipsa Formulae subscribi iubeat? Certe pro iure fidem sinceram, pro facto submissionem pacificam, & a contentione alienam praescriberet; vellet ut qui factum certo credunt, id pura & simplici subscriptione testarentur, qui vero de facto dubitant, illud pura & simplici subscriptione non affirment, ne animus ab ore ac manu dissentiat; optaret ut Episcopi faciles se praebeant omnibus, qui cum propositiones sincere, absque ulla restrictione aut exceptione damnent, adduci non possunt ut certo credant eas a Iansenio traditas esse; Sinantque ius & factum debitamque utrique submissionem exterius secerni, sicut Clemens IX. quatuor Episcopis, aliisque Theologis, & Monialibus concessit. Demum si Episcopi votis suis hac in re non obsecundarent, praeciperet ut Deo potius quam hominibus obediatur, atque extrema potius perferantur quam subscribatur illi definitioni, cui animus contradicit.

Obiiciunt 3.° contra secundam Conclusionis partem: Senatus Praeses, subscribit sententiae quae se dissentiente pluralitate suffragiorum vicit; adeo ut subscriptio signum sit non consensus ab ipso dati, sed tantum latae sententiae: Ergo a pari qui Formulae subscribit non testatur factum Iansenii verum esse, sed ita visum fuisse Summis Pontificibus.

Nego paritatem. Nam publico & recepto usu, penes quem est verborum & Formularum significationem figere, ita notum est Praesidis chyrographum non significare consensum ab eo datum, ut nemo hinc in errorem induci possit: contra Theologi fere omnes, sive qui Formulae simpliciter subscribere detrectant, sive qui subscribunt, consentiunt subscriptionem esse consensus testimonium. Hinc qui olim S. Athanasii damnationi subscripsere, ab omnibus damnantur. Aliunde iudex gerit personam publicam, eiusque subscriptio est mera Formula ad firmitatem publicam latae sententiae a iure praescripta, ex qua proinde privatos eius sensus aestimare absurdum foret: E contrario qui Formulae subscribunt, privato suo nomine agunt, nec aliam ob caussam subscribere iubentur, quam ut consensum suum solemniter declarent. Adde sententias forenses totius communitatis seu curiae nomen & auctoritatem prae se ferre; contra Formulam Alexandri VII. ipso tenore verborum exprimere cuiuslibet subscribentis mentem: *Ego N. Damno*.

Obiicitur 4.° contra tertiam Conclusionis partem dictum hoc Hieronymo male attributum, *Ex verbis inordinate prolatis incurri haeresim:* Ergo, inquiunt, ad damnandum Iansenium sufficit quod prima e damnatis propositionibus in eius libro contineatur.

Respondeo dictum hoc omni ex parte verum non esse. Quamvis enim propositio male enuntiata saepe haeresim sonet, tamen qui per incogitantiam voce vel scripto eam profert, non ideo incurrit haeresim; quia in sensu, non in verbis, sita est haeresis. Praeterea si quis loquendi normam vocesque ab Ecclesia praescriptas reiiceret, negaretque penes eam esse auctoritatem huiusmodi praescribendi, haeresim quidem incurreret, sed non illam quae verbis male enuntiatis exprimeretur, ut subtiliter observant Melchior Canus locor. Theologicor. Lib. 2. Cap. 8. & Bannez in 2.^{am} 2.^{ae}. Verum cum de auctoris sensu quaeritur, SS. Patres & Theologi docent attendendum non esse ad nudas propositiones, sed ad libri contextum.

Obiicit 5.° Leodiensis Theologus contra quintam Conclusionis partem: Miles qui iubente Rege ad bellum pergit non declarat bellum iustum esse, sed tantum se illud praesumere. Ergo a pari qui Formulae subscribit non iurat factum Iansenii verum esse, sed se illud ex obedientia praesumere.

Respondeo nullam esse paritatem. Nam pergere ad bellum

actio est externa quae licite fieri potest modo bellum non sit manifeste iniustum. Sed subscriptio ex natura sua interni iudicii testimonium est, ideoque in ignotis dubiisque rebus sine mendacio fieri non potest. Ad paritatem deberet supponi lex, quae singulos milites iurare iuberet bellum iustum esse, sed hoc in casu milites tenerentur non obedire, nisi certi essent de belli aequitate.

Instat: minus est credere quinque propositiones esse Iansenii, quam homines trucidare: si ergo hoc facere liceat nesciendo an bellum iustum sit, & illud licet, etiamsi ignoretur an propositiones Iansenii sint.

Respondeo non esse in potestate nostra aliquid credere, nisi adsit motivum quo persuadeamur; in potestate vero militis esse ad pugnam pergere ac manus conserere. Quamobrem miles qui belli caussas ignorat licite in hostes irruit, perperam autem in belli iustitiam iuraret, quamvis specie tenus facilius sit iurare quam pugnare.

Quaeres utrum saltem quando Episcopus declarat se facti fidem non exigere, qui de facto dubitat, pure & simpliciter subscribere possit?

Respondeo non licere hoc etiam in casu simpliciter subscribere, quia cum subscriptio sit testimonium publicum, eius quoque explicatio, si qua datur, publica esse debet. Aliunde Formulae verba ex communi hominum instituto significant, eum qui subscribit, factum credere; ab uno autem Episcopo non pendet communem verborum usum & significationem mutare. Non privato nomine, sed tanquam publicam gerens personam, Episcopus subscriptionem exigit; nec refert, quid ipse privatim sentiat, sed quid publico nomine exigat, attendendum est. Atqui publico nomine imperat subscriptionem, quae ex publico condicto & ex vocum sensu habetur ut signum consensus interioris: Ergo quidquid privatim sentiat, quidquid declaret, subscriptio per se exprimit consensum in factum Iansenii, nisi contrarium expresse enuntietur. Et certe cur memoratus Episcopus distinctionem, quam viva voce approbat, scripto explicari non vult, nisi quia metuit ne res in publicam notitiam veniat? Hoc autem quid aliud est quam dissimulatione uti, hominum expectationem fallere, recteque non ingredi ad veritatem Evangelii?

QUAESTIO SECUNDA.

Utrum evidens sit quinque propositiones in libro Iansenii extare?

CUM modo demonstratum sit licite subscribi Formulae non posse nisi certo credatur Iansenium docuisse errores quinque propositionum, nunc quaeritur, utrum aliquid sit, quod hoc factum certum reddere queat: duo tantum assignari possunt, nempe facti evidentia, & Ecclesiae auctoritas. Primum hic attingam, de altero deinceps tractaturus.

Factorum evidentia vel interna est, vel externa. Interna ex factorum perspicuitate gignitur, & duplex est, ubi agitur de librorum sensu; vel enim nascitur ex tanta verborum claritate, ut prima libri lectione sensus eius innotescat; vel ex adiunctis, puta si auctor sensum sibi attributum pertinaciter tuetur, si eius asseclae de libri sensu consensione, si ab Ecclesia damnatus non acquiescat, & in perverso dogmate ad vitae finem perseveret. Sic evidens est Calvinum negasse transubstantiationis mysterium; quia hoc opera eius legentibus perspicuum est, quia hunc errorem pertinaciter defendit, fatenturque Calviniani eum revera sic sensisse. Evidentia externa oritur ex testimoniis, quibus factum aliquod affirmatur, & maxime ex communi omnium in illud consensu: sic omnibus doctis & indoctis evidens est Arium, Nestorium, Pelagium haereticos fuisse, & Romam existere.

His positis nemo non videt Iansenii factum nullo sensu evidens esse: 1.° non esse in se evidens constat tum ex Iansenii locis, quae pro ipso & contra ipsum ab eius defensoribus & accusatoribus prolata alibi retulimus; tum quia de libri sensu ab LXXX. annis non tantum eius accusatores ex una parte, eiusque patroni ex altera, sed ipsi quoque accusatores inter se litigant. Non est etiam evidens ex adiunctis, siquidem Iansenius ante libri sui publicationem fato functus quinque propositionum errores nunquam agnovit ut suos, & Theologi quos Iansenianos vocant semper negaverunt eos ab illo traditos esse. Demum non est evidens ex testi-

moniis externis; nam huiusmodi evidentiam, quae dubium omne excludat, solus omnium qui librum legerint consensus parere potest. Atqui non omnes consentiunt Iansenii librum continere dictos errores, immo qui eum haeresis arguunt, minime consentiunt, quinam eius error sit, aliis contendentibus gratiam quae voluntati necessitatem absolutam inferat ab eo admissam fuisse, aliis negantibus, ut suo loco ostensum est. Ergo factum Iansenii nullo modo est evidens.

Quonam ergo fundamento veteres Anti-Ianseniani dictitabant hoc factum ita manifestum esse, ut nisi mala fide controverti non possit? Qua fronte Annatus eo audaciae, ne dicam dementiae processit, ut assereret quinque propositiones totidem & individuis verbis legi in Iansenio? Apertum mendacium brevi convicit oculorum testimonium. Iudicet lector ex Iansenii excerptis, superius quanta fieri potuit fide relatis, quid de iactata illa evidentia sentiendum sit. Verum si Iansenii liber errores damnatos sponte offert legentibus, cur Anti-Ianseniani, qui bona fide se agere profitentur, circa eius sensum nondum consentire potuerunt? Cur solam Ecclesia definitionem incassum allegant, cum rem per se claram & evidentem, omnibus conspicuam ac certam facere facillimum sit? Cur in facti probatione adeo defecerunt, ut novum & ante hac inauditum infallibilitatis Ecclesiae circa facta non revelata dogma procudere opus habuerint? Cur Archiepiscopus Cameracensis & alii huius chimaericae infallibilitatis defensores contendunt factum adeo non esse evidens, ut seposita Ecclesiae auctoritate certo persuaderi non possit? Verum, esto factum Iansenii evidens sit adversariis: ideone omnibus legentibus evidens est? Nonne quotidie accidit de sensu librorum ita disputari, ut uterque contendentes bona fide testentur sensum quem alicui libro attribuunt, in eo evidenter expressum sibi videri? Cur ergo Anti-Ianseniani contra praeceptum Apostoli monentis, ne *ante tempus iudicemus quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium*, tam confidenter affirmant viros piissimos, qui errores omnes in quinque propositionibus ab Ecclesia proscriptos ex animo detestari se centies professi sunt, mala fide agere ac contra propriam conscientiam mentiri, quando affirmant hos errores in libro Iansenii a se non reperiri? *Charitas*, ut ait Apostolus, *non cogitat malum*. Demum (videant quam liberaliter agam) etsi supponerem Iansenii patronos mala fide egisse, saltem eorum mala fides intus

occulta soli Deo cordium scrutatori cognita fuit. Quid ergo? peccant tot simplices animae, tot sanctissimae Moniales, tot Clerici, quos vel latinae linguae inscitia, vel ingenii infirmitas, vel occupationum pondus grande Iansenii volumen legere eiusque sensum assequi non permittunt; quod Evangelicae legi obsequentes, viros eximiae pietatis laudabilisque vitae in religionis negotio pertinaciter mentitos esse temere credere & affirmare reformident, praesertim cum eos videant sine ullo suo temporali commodo, immo cum maximis incommodis Iansenium defendisse.

Nec respondeant Summorum Pontificum, Episcoporum, ac plerorumque Theologorum in Iansenii damnationem consensum parere evidentiam externam quae sola sufficiat ad persuadendum.

Nam etiamsi illa condemnatio in Generali Concilio post maturum examen facta fuisset, quemadmodum in quinta Synodo Theodoreti scripta, & in sexta Honorii Epistolae damnatae sunt; factum Iansenii non magis inde fieret evidens quam facta Theodoreti & Honorii, quae a plurimis negantur. Ut multorum consensus factorum evidentiam pariat, unanimem eum esse necesse est. Exempli caussa ideo certi sumus Romam existere, quia omnes uno consensu, nemine contradicente, absque spe ullius commodi id testantur. Ubi vero factum aliquod, quamvis a multis affirmatur, a viris probis qui loca inviserunt, aut qui librum diligenter expenderunt, omnino negatur; ubi qui negant, argumentis non contemnendis dicta sua confirmant, apparetque eos nullis privatis commodis ad negandam impellit: quis sapiens assensum suum non cohibeat? Porro tale est factum Iansenii.

Praeterea quando factum aliquod a variis testibus oculatos se dicentibus ita narratur, ut unius narratio narrationem alterius destruat, quam evidentiam horum testimonium parere potest? Sic autem est in praesenti negotio. Episcopi & Theologi nondum definire poterunt, quisnam praecise sit Iansenii sensus, & circa illum a sese mutuo dissentiunt.

Fateor tamen per iuridicam auctoris vel libri condemnationem gigni posse moralem certitudinem, quando nimirum facta mature discussa sunt, quando partes contradictorie auditae, quando absuit partium studium. At si omnia contraria fuerint, qualis, quaeso, certitudo procreari poterit? Porro Iesuitae omnium primi Iansenium accusarunt, cum ob perversam suam de gratia doctrinam, quam in

toto

ſuo opere Ianſenius confutavit, tum ob privata in illum odia legitime ſuſpecti: illorum clamoribus ac delationibus Roma reſonavit; Urbano VIII. Bulla per fraudem ſubrepta eſt, in qua contra ipſius voluntatem Ianſenii nomen, nullo examine praehabito, inſertum fuit. Poſtea nemini liberum fuit pro Ianſenio loqui, nec SS. Pontificibus integrum fuit cauſſam eius retractare, quamvis Lovanienſes & Dominicani ſummo ſtudio id efflagitarent. Innocentius X., nullo iuridico libri examine facto, tamen vel quia deceſſoris ſui Bulla ligatum ſe putabat, vel quia plures Epiſcopi Galliae contra Ianſenium ſcripſerant, vel demum quia quinque propoſitiones Ianſenii eſſe vulgo dicebantur, hoc factum in ſua Conſtitutione non definiendo ſancivit, ſed enuntiando protulit. Ut enim illa momenta Pontificis animum adverſus Iprenſem non praeoccupaverint, certe praeoccupare potuerunt; quod ſufficit ad excludendam evidentiam quae ex damnatione Ianſenii gigni ſupponitur. Qui ſecuti ſunt Romani Pontifices novum examen non inſtituerunt, ſed Deceſſorum ſuorum incaeptis abrepti ſunt, aut ſaltem abripi potuerunt. In Comitiis Cleri Gallicani omnia gerebantur iuxta vota Cardinalis Mazarini, qui illam occaſionem arripuit, ut Romani Pontificis ſibi ſubinfenſi gratiam ſibi acquireret, ut apparet ex nonnullis eius Epiſtolis. Tantas iu illis conventibus partes agebat D. *De Marca* Cardinali addictus, ut in actis & litteris ad Summum Pontificem portentoſam de Iuris & facti inſeparabilitate opinionem, a qua caeteri Praeſules remotiſſimi erant, ſaepius inſeruerit. Aulae favores ſolis Ianſenium damnantibus concedebantur; recuſantibus minae & terrores impendebant. Caeterum pauciſſimi librum eius legerant, caeteri facti veritatem vel ex Summi Pontificis fide ſupponebant, vel non tanti momenti eſſe credebant, ut propter illud aulae reſiſtere oporteret. Demum ſi privatos Clericos qui Iauſenii damnationi ſubſcripſerunt attendamus, quis neſcit pleroſque illorum qui factum crediderunt, illud non lectione convictos, ſed ex fama publica, vel propter Summi Pontificis auctoritatem crediſſe; alios varia ſyſtemata tempori opportuna procudiſſe, quorum ſubſidio & Ianſenii librum catholicum iudicare & tamen ſubſcribendo damnantium multitudini coniungi poſſent? Certe ſi in libro Ianſenii error aperte contineretur, ut quidam contendunt, quo pacto effugere potuiſſet tot Theologos, quibus ad acquirenda conſervandave beneficia Formulae ſubſcribere commodum viſum eſt, qui tamen nunquam ſibi perſua-

dere potuerunt quinque propositiones in eo exstare, & idcirco varia systemata confinxerunt, quorum ope sine facti persuasione subscribere possent?

QUAESTIO TERTIA.

Num Iansenii factum a iure, id est ab errore quinque propositionum separari possit?

ADeo absurda est quam nunc confutandam habemus opinionem, ut mirum sit eam in alicuius mentem venire potuisse. Primus eam excogitavit Illustr. *De Marca* Tolosanus Archiepiscopus, quem postea secuti sunt Petrus a Sancto Iosepho Fuliensis in *defensione Formularii* gallice scripta, D. Chamillard in tract. de Gratia Proleg. 3. Sect. 7. de Iansenio & eius defensoribus, Illustr. *De Foresta de Colongue* Aptensis Episcopus in Censura contra casum conscientiae data 4. Februarii 1703., sex Doctores Lovanienses in iudicio contra eumdem casum dato 10. Martii 1703. & alii. Horum sensus est factum Iansenii ita indivulso nexu cum iure coniunctum fuisse in Constitutionibus Apostolicis, ut unum convelli non possit, quin alterum quoque convellatur. Hinc D. *De Marca* dicere solebat factum *pertinere ad partem dogmatis*. Hoc commentum paucis refellendum est.

1.° Factum Iansenii ab errore quinque propositionum non minus tam seiungi potest, quam factum Honorii in sexta Synodo damnati ab errore Monothelitarum, & factum trium Capitulorum ab haeresi Nestorianorum: atqui haec facta a iure quotidie separant Theologi, qui Theodoretum atque Honorium ab haeresi vindicant. Factum & ius diserte secernebat S. Gregorius Magnus Lib. 3. Epist. 37. ubi loquens de quinta Synodo, quae tria Capitula damnavit, ait *in ea de personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum esse*. Ergo pariter factum Iansenii a fide separari potest.

2.° Illa separari possunt quorum unum negari potest altero concesso: atqui concesso iure factum negari, & vicissim facto concesso ius controverti potest. Revera Ecclesia per sexdecim saecula

damnavit errores quinque propositionum sine ullo ad Iansenii factum respectu; nec mirum, cum ius & factum toto caelo differant. Ius est revelatum, factum non revelatum: illud fidei & saluti necessarium est; hoc a fide prorsus alienum: illud Scriptura & traditione, hoc libri examine & criticae regulis adstruitur. Qua igitur arte sibi mutuo ita copulantur, ut divelli nequeant? Perinde est ac si quis contenderet homicidium damnari non posse, nisi credatur talem hominem morti adiudicatum homicidium perpetrasse.

3.° Si Iansenii factum a iure seiungi non potest, pertinetque ad partem dogmatis, eadem fide credendum esset, Iansenium docuisse quinque propositiones, qua credimus propositiones haereticas esse: atqui hoc absurdum est; tum quia fides divina non debetur nisi revelatis; tum quia hoc admisso haereticis accensendi forent plurimi Cardinales & Theologi, qui Origenem, Theodoretum, Honorium &c. defenderunt.

4.° Quaestio iuris definitur per principia generalia ex Patribus & Scriptura petita. At Ianseniani facti quaestio definiri debet ex libri scopo, ex antecedentibus & consequentibus, ex mutua diversorum locorum collatione. Ergo ambae illae quaestiones immenso intervallo separantur.

5.° Ut fatear nonnullas facti quaestiones intimam cum iure connexionem habere, v. g. cum disputatur de sensu alicuius edicti aut legis, qui ius quoddam constituit; certe non talis est quaestio facti Ianseniani, cum Iansenii liber non sit regula sentiendi aut dissentiendi.

6.° Innocentium X. & Alexandrum VII. damnasse quinque propositiones, vel Synodum sextum damnasse Monothelitarum errorem, facta sunt magis coniuncta cum iure quam facta Iansenii & Honorii. Qui tamen illa negaret, insanus fortasse haberetur, sed non ideo haereticus reputaretur, modo sincere damnaret errores quinque propositionum & Monothelitarum: Ergo a fortiori facta Iansenii & Honorii ad partem dogmatis non pertinent, & absque ulla erroris nota controverti possunt.

7.° Opinio contraria adeo absurda omnibus visa est, ut D. *De Marca* illius parens, quamvis aulae gratia plurimum posset, paucissimis eam persuaserit. Eo vix dum mortuo Illustr. *De Perefixe* Parisiensis Archiepiscopus in Mandato Pastorali e contrario confessus est, *malignum aut imperitum eum esse oportere*, *qui asserat per*

Constitutiones Apostolicas eamdem pro facto ac pro iure fidem exigi. Recentiores quoque Anti-Iansenianos tam inepti commenti puduit; D. Dumas. auctorque historiae quinque propositionum, nonnisi sub nova forma illud propinandum censuit. „ Cum dicunt, inquit, factum Iansenii „ a iure separari non posse, sensus non est discrimen nullum esse „ inter haec duo, quinque propositiones sunt haereticae, &, quin„ que propositiones sunt Iansenii; aut alterutrius veritatem aut fal„ sitatem ab altero pendere; aut factum negari non posse, quin „ ius quoque negetur; aut Ecclesiam non potuisse unum definire „ sine alio; aut utrumque eadem fide credendum esse: sed sensus „ est illa esse intime connexa, quemadmodum Ianseniani dicunt ne„ gari non posse doctrinam S. Augustini esse sanam, quin iuris „ certitudo labefactetur ". Latet hic aequivocatio in sequenti quaestione detegenda. Nunc observare satis est, hunc auctorem, licet iuris & facti inseparabilitatem defendat, non eodem ac veteres Anti-Iansenianos sensu eam defendere. Adeo illius pudebat.

Obiiciunt 1.° Haec quaestio, quis sit sensus propositionum; & illa, quis sit sensus libri, sunt unius eiusdemque generis: atqui cum agitur de sensu propositionum, quaestio est iuris: Ergo & cum agitur de sensu libri.

Data, non concessa maiore, dist. minorem. Cum agitur de sensu propositionum, qualis sit, haereticus an catholicus, quaestio est iuris, concedo; cum agitur de sensu propositionum quisnam sit, quaestio est iuris, iterum distinguo; quaestio est iuris grammaticalis, concedo; Theologici, sic iterum distinguo; quaestio est iuris Theologici quod Ecclesia constituere potest, sicut caetera quae ad disciplinam pertinent, concedo; quaestio est iuris Theologici revelati & ad fidem pertinentis, nego. Circa quamlibet propositionem quaestio duplex institui potest, nimirum quisnam sit eius sensus, hic an ille; & qualis sit ille sensus, catholicus an haereticus: haec iuris est, ad fidemque pertinet; illa facti, dependetque ab institutione hominum, quorum est significationem verbis & propositionibus indere; aut si velis, iuris est grammaticalis per Grammaticae & Logicae regulas discutienda. Porro licet Ecclesia de grammaticis quaestionibus non iudicet, tamen ius habet praescribendi certam normam loquendi de rebus fidei, seu voces quasdam consecrandi vel interdicendi, sicut ὁμοούσιον adversus Arianos sancivit. Verum haec decreta non ad fidem, sed ad disciplinam pertinent; quia non de-

clarant quid credendum sit, sed qua norma loquendum. Rursum ubi de libris agitur, vel constat quis sit eorum sensus, disputaturque, utrum ille sensus haereticus sit an catholicus; vel constat aliquem sensum catholicum vel haereticum esse, disceptaturque utrum sit libri sensus necne. Prior quaestio est iuris, & ad fidem pertinet; posterior est facti critici a fide alieni, & ab Ecclesia independentis. Licet enim Ecclesia auctoritate a Christo accepta loquendi modum figere possit, tamen ab ea non pendet, ut quivis auctor aut liber hunc vel illum sensum habeat. Porro in praesenti controversia Ecclesia non definivit quinque propositionum sensum esse sensum gratiae necessitantis; sed, hoc supposito, definivit doctrinam gratiae necessitantis esse haereticam. Quod vero librum Iansenii attinet, supposito quod doctrina gratiae necessitantis haeretica sit, ut omnes consentiunt, disputatur, an haec sit libri doctrina nec ne; quod est merum factum non revelatum & a fide independens, sicut quando quaeritur, utrum Honorii Epistolae doctrinam Monothelitarum contineant.

Instabat Petrus a Sancto Iosepho Fuliensis: haec quidem propositio, Iansenius docuit errores quinque propositionum, est propositio facti a iure separabilis: sed cum dicitur, quinque propositiones sunt haereticae in sensu Iansenii, vel, sensus Iansenii est haereticus; factum adeo stricto iuri connectitur, ut fiat pars dogmatis, quia ipse sensus Iansenianus haereticus pronuntiatur.

Respondeo hanc esse puerilem aequivocationem. Si enim Iansenii factum in priori propositione, quae simplex est, ad ius non pertinet; cur a iure divelli non poterit in posteriori, quae complexa est? Propositio complexa in duas resolvi debet: v. g. haec propositio, sensus Iansenii est haereticus, aequivalet istis duabus: hic sensus est haereticus, & est Iansenii: prima est iuris, facti altera: illa admitti potest, hac non admissa; & qui hanc negat, non propterea illam negare censendus est. Quemadmodum si dicas, sensus Honorii in sexta Synodo damnatus haereticus est, Theologi qui Honorium vindicant respondebunt doctrinam quidem, quae unicam voluntatem & operationem in Christo admittit, sed immerito Honorio attributam fuisse.

Instant: haec propositio, sensus Calvini circa Eucharistiam est haereticus, propositio est iuris: Ergo & ista plane similis, sensus Iansenii circa gratiam haereticus est.

Respondeo ambas illas propositiones, tametsi vocibus similes, sensu tamen dissimiles esse, eo quod apud omnes constet, quisnam sit Calvini de Eucharistia sensus, non autem pariter constet, quisnam sit Iansenii circa gratiam sensus. Qui dicit, doctrina Calvini circa Eucharistiam est haeretica, intelligit doctrinam, quae negat transubstantiationem & praesentiam realem, quam Calvini esse omnes consentiunt, haereticam esse: contra vero haec propositio, sensus Iansenii est haereticus, habita ratione controversiarum, aequivalet isti, sensus Iansenii est sensus gratiae necessitantis. Non ergo ex solis terminis accipi debent propositiones, sed ex intentione proferentium, ex subiecta materia, ex disputationibus quae actu vigent, aliisque adiunctis. Cum Calvinianis non disputatur, utrum Calvinus transubstantiationem negaverit, sed utrum haeretice negaverit. E contrario cum Iansenii defensoribus non disputatur, utrum dogma gratiae necessitantis sit haereticum, sed utrum a Iansenio traditum. Proinde prima propositio, doctrina Calvini est haeretica, reipsa iuris est; altera autem, doctrina Iansenii est haeretica, facti est.

Obiiciunt 2.° Adeo verum est factum a iure secerni non posse, ut omnia Concilia, quae haereses damnarunt, earum quoque auctores damnaverint.

Respondeo hoc non universaliter verum esse: Nam Concilium primum sub Apostolis, Arausicanum II. adversus Semipelagianos, atque, ut caetera omittam, Tridentinum errorum auctores non appellaverunt. Praeterea multa Concilia, damnatis errorum auctoribus, eorum damnationem suis canonibus non inseruerunt. Quae vero haereticorum damnationi subscribi iusserunt, non ideo factum iuri alligare voluerunt, quasi divelli nequeant, ut patet ex Concilio sexto, cuius definitiones circa fidem ab omnibus catholicis recipiuntur, quamvis Epistolae Honorii ad Sergium in eo Concilio damnatae, a multis Theologis, salva fide, defendantur.

QUAESTIO QUARTA.

Utrum Ecclesia in damnandis libris eorumque sensibus determinandis falli possit?

HAec opinio prius inaudita ab octoginta annis celeberrima evasit, praecipuumque caussae suae praesidium in ea collocant Anti-Iansenia-ni. Igitur operae pretium est hanc diligentissime pertractare, omniaque illius munimenta deiicere.

Observandum est 1.° iudicia Ecclesiae triplicis generis esse; alia circa fidem, alia circa disciplinam, alia circa facta non revelata. Iudicia circa fidem sunt, quibus definitur aliquam doctrinam catholicam vel haereticam esse. Iudicia circa disciplinam sunt, quibus statuitur, quinam sint observandi ritus, quaenam in Sacramentis administrandis caerimoniae adhibendae, aut quibus verborum formulis ad fidem profitendam uti oporteat. Iudicia circa facta sunt quibus pronuntiatur de moribus, vel doctrina personarum vel librorum.

Observandum 2.° Facta multiplicis esse generis. Alia a Deo revelata, qualia sunt Verbi Incarnatio, Christi passio & in Caelos ascensio: alia non revelata, qualia sunt omnia quae in saeculorum serie accidunt.

Haec rursus vel mere historica & personalia sunt, quae in rebus aliquibus gestis; vel in personarum doctrina, innocentia, sanctitate, criminibus, aliisve actionibus consistunt; vel doctrinalia sive dogmatica, quae librorum sensum spectant; sicut cum quaeritur, quinam sit sensus libri Ratramni *de Corpore & Sanguine Domini*.

Utraque facta vel clara sunt, omnibus conspicua & indubitata, quale est Donatistas Schismaticos fuisse, Pelagium negasse originale peccatum, Calvinum non agnovisse septem novae legis Sacramenta &c. Alia obscura, dubia, & controversa, v. g. Templarios commisisse scelera, propter quae in Viennensi Concilio eorum ordo extinctus est, Honorium fuisse Monothelitam, Iansenium docuisse quinque propositiones.

Observandum 3.° multas circa libros quaestiones agitari posse, nimirum 1.° an certus liber existat; 2.° utrum sit eius auctoris

cuius nomen praefert; 3.° utrum aliqua propositio individuis verbis in eo existat; 4.° utrum illa propositio auctoris manu, an aliena & inimica libro inserta sit; 5.° quis sit nonnullarum libri propositionum sensus; 6.° posito quod de illarum sensu conveniat, utrum ille sensus sit fidei consentaneus necne; 7.° utrum sensus obvius illarum propositionum seorsim spectatarum sit sensus proprius & germanus libri, seu quem scopus, contextus, principia, seriesque totius libri exhibent; demum utrum auctor illum sensum in mente habuerit, qui per sermonis texturam & seriem exprimitur. Harum octo quaestionum 1.ª 2.ª 3.ª 4.ª & 8.ª sunt factorum mere historicorum aut personalium, 6.ª est iuris & ad fidem pertinet, 5.ª & 7.ª sunt facti ut aiunt dogmatici seu doctrinalis.

His observatis certum est apud omnes catholicas 1.° Ecclesiam, quando quaestiones iuris definit, id est quando iudicat doctrinam aliquam haereticam vel catholicam esse, ex speciali Spiritus Sancti assistentia a Christo promissa falli non posse.

Certum est 2.° Ecclesiam errare pariter non posse quando iudicat de factis revelatis; quia huiusmodi facta pertinent ad ius Ecclesiae quod in Scripturis & traditione continetur.

Certum est 3.° Ecclesiam accepisse a Christo auctoritatem ea, quae ad disciplinam, divinum cultum, Sacramentorum dispensationem &c. spectant, praescribendi absque erroris periculo, quatenus Spiritu Sancto directa nihil praecipere potest fidei aut bonis moribus contrarium: adeoque habere ius determinandi quasdam voces vel propositiones, quae sint veluti fidei tessera, ut in Nicaeno Concilio I. ὁμοούσιον, in Ephesino I. θεοτόκον consecravit, alias vero interdicendi.

Certum est 4.° Ecclesiam accepisse a Christo potestatem damnandi personas, quas praehabito examine a fide catholica dissentire, aut gravium scelerum conscias esse iudicat, & libros quos moribus aut fidei adversari existimat, fidelesque teneri ipsius iudicio his in rebus obsequi.

Certum est 5.° facta historica & personalia ab Ecclesia non definiri absque erroris periculo, proinde Ecclesiam falli posse, cum declarat v. g. aliquem librum certi auctoris esse: certas propositiones in illo verbis individuis contineri; auctorem, cuius propositiones damnantur, perversum sensum in mente reipsa habuisse, quem eius verba prae se ferunt.

Quaestio igitur unice movetur de factis ut vocant dogmaticis & do-

& doctrinalibus, id est de illis quibus disputatur quis sit sensus alicuius libri, v. g. an Iansenii liber doceat gratiam necessitantem. Occasione namque praesentium disputationum multi asseruerunt Ecclesiae iudicia circa huiusmodi facta immota & irreformabilia esse.

Hanc opinionem Iesuitae omnium primi defenderunt in Thesibus anno 1661. Parisiis propugnatis, asseruerumtque Summum Pontificem ex Cathedra loquentem eamdem quam Christus habuit infallibilitatem habere, non solum in iuris, sed etiam in facti quaestionibus: proinde fide divina credendum esse quinque propositiones extare in libro Iansenii. Hos secuti sunt inprimis Illustr. *De Fenelon* Archiepiscopus Cameracensis, qui pluribus Mandatis, Litteris, Institutionibus Pastoralibus hanc sententiam acriter defendit; Illustr. *De Foresta de Colongue* Aptensis Episcopus in Censura Casus Conscientiae; Illustr. *Godet Des-Marets* Carnotensis in Institutione contra dictum casum, quam Archiepiscopus Mechliniensis & Episcopus Leodiensis adoptarunt; Illustr. De Tressan Cenomaunensis, & Rupellensis in Mandatis, Doctores Duacenses in Declaratione contra eumdem casum, & multi Theologi, inter quos eminuit Honoratus *Tournely* Doctor & Professor Sorbonicus in fine Tractatus de Ecclesia.

4. Febr. 1703.

An. 1704.

10. Febr. 1704.

Verum quamvis illi consentiant Ecclesiam circa facta dogmatica infallibilem esse, dissentiunt tamen circa fidem huiusmodi Decretis debitam. Iesuitae, Duacenses &c. fidem divinam requirunt; alii humanam, Ecclesiasticam, aut quovis nomine eam appellare libuerit, modo divina non sit; omnes tamen certam & immotam.

Caeteri Theologi nullum hac in parte discrimen agnoscunt inter facta historica vel personalia, & illa quae vocantur dogmatica, docentque Ecclesiam circa quaecumque facta non revelata falli posse. Horum sententiam modo adstruam, postquam nonnulla gravis momenti notavero.

1.^{um} est, ea quae apud omnes certa esse dixi, plane sufficere ad terminandam Formulae & Iansenii caussam. Nam si facta in Constitutionibus definita, & in Formulario contenta, sint facta historica & personalia, sequitur ea ex omnium Theologorum calculo irreformabili iudicio definita non fuisse. Porro res ita est: duo quippe definivit Alexander VII. primum quinque propositiones ex libro Iansenii excerptas esse; alterum eas in sensu a Iansenio intento damnandas esse. Primum est historicum, alterum personale. Propositiones enim ex libro excerptas esse, & eas in libro Iansenii totidem

verbis contineri, unum & idem est. Quod cum generatim verum sit, tum maxime in praesenti negotio, in quo propositiones & earum sensus distinguuntur. Cum enim Formula enuntiat quinque propositiones damnatas esse in sensu Iansenii, idem est ac si diceret illas penes sensum a Iansenio traditas esse. Cum ergo additur eas ex libro Iansenii excerptas esse, quid aliud significatur, quam eas quoad ipsa verba in eo libro contineri? Revera P. Annatus initio disputationum palam affirmavit eas individuis verbis apud Iansenium extare; & quales apud eum inventae fuerant, tales Romano Pontifici oblatas fuisse. Inde sic argumentor. Ecclesia, fatentibus adversariis, errare potest cum definit facta mere historica; atqui quinque propositiones quoad verba in libro Iansenii contineri factum est historicum in Constitutionibus Alexandri VII. & in Formulario definitum: ergo etiamsi Ecclesia errare non posset circa facta dogmatica, nihil inde concludi posset ad extorquendam hac in parte facti Iansеniani fidem.

Altera Constitutionum & Formulae pars, nimirum quinque propositiones *in sensu a Iansenio intento damnatas* esse, exprimit factum personale, scilicet intentionem ipsiusmet Iansenii, circa quam Ecclesiam falli posse adversarii confitentur. Porro ibi exprimi factum personale constat 1.° ex ipsis verbis; non enim dicitur, *in libri sensu*, sed *in sensu a Iansenio intento*, quod Iansenii intentionem aperte significat. Nec dicas illa verba intelligenda esse de sensu libri, non auctoris: nam gratis hoc dicitur; aliunde libri significationem habere possunt, intentionem non possunt, nisi in quantum auctoris intentionem exprimunt: germanus namque librorum sensus est quem auctor exprimere intendit; cum eo fine quisque scribat, ut sensus suos efferat, nec alio fine quisque legat, quam ut auctorum mentem & doctrinam assequatur. Quemadmodum igitur in mutuis hominum colloquiis tamdiu latet obscuri sermonis sensus, quamdiu ignoratur quid velit qui loquitur; sic de libris quoque iudicandum est. Quando libri textura aperta est, Scriptoris quoque intentio aperta est; quando illa obscura & ambigua, haec quoque obscura & ambigua est, atque ex adiunctis diiudicanda: verum sive liber obscurus sit sive perspicuus, sensum non habet a Scriptoris mente diversum. Quid v. g. volumus, dum SS. Patrum tractatus volvimus, nisi intimos illorum sensus assequi? Absurdum est igitur contendere Alexandrum VII. nihil definire voluisse circa Ianse-

nii intentionem, cum & Constitutionis verba reclament, & librorum sensus ab auctorum sensu distingui non possint. Hinc nascitur duplex argumentum. 1.^{um} Adversarii fatentur Ecclesiam falli posse circa facta personalia, v. g. circa sensum auctorum: atqui factum in Constitutionibus Alexandri VII. & in Formula expressum personale est, estque ipsamet Iansenii intentio: ergo ex Ecclesiae circa facta dogmatica infallibilitate, quam seu bene seu male asserunt, nullum Formulae subscriptioni subsidium accedit. 2.^{um} Adversarii fatentur Ecclesiam errare posse circa mentem auctorum. Atqui certo definiri non potest qui sit sensus librorum, nisi certo cognoscatur quae mens auctorum fuerit, cum genuinus libri sensus ille sit, quem Scriptor intendit. Ergo Ecclesia potest errare circa sensum librorum.

Alterum quod observo hoc est. Ut ex infallibilitate Ecclesiae, circa librorum sensum, probari posset eos qui Iansenii factum non credunt Ecclesiae rebelles esse, deberet haec opinio adeo certa esse, ut absque gravi errore negari aut controverti non possit. Si enim liceat salva fide contrarium asserere, manifestum est neminem vi huius opinionis cogi posse ad assentiendum facto Iansenii; & quemadmodum Archiepiscopus Cameracensis demonstravit, tyrannidem fore, posito quod Ecclesia in definiendis factis errare possit, factorum ab ea definitorum subscriptionem sub poenis quibuslibet exigere; ita tyrannicum foret vi illius infallibilitatis, quae ad fidem non pertineat, quemquam ad subscribendum compellere. Porro certum est opinionem, sive veram, sive falsam, quae privilegium non errandi circa sensum librorum Ecclesiae attribuit, ad fidem nullatenus pertinere; quandoquidem a maxima Theologorum parte etiamnum reiicitur, nec umquam definita fuit. Ergo iniustum est sub hoc praetextu quemquam ad subscribendum Formulae adigere, & si recuset, Beneficiorum spoliatione, exilio, aut aliis poenis vexare.

Observandum est 3.° quod supra probavimus, Ecclesiam proprie loquendo nunquam definiisse quinque propositiones extare in libro Iansenii; huius facti examen factum non esse, nec circa sensum Iansenii omnes Episcopos consentire; adeoque, etiamsi Ecclesiae iudicium circa istiusmodi facta irreformabile esset, nihil inde posse inferri pro facto Iansenii. His praemonitis rem ipsam aggredior.

Qq 2

PROPOSITIO.

Iudicium Ecclesiae circa facta, etiam dogmatica, hoc est circa librorum sensum errori obnoxium est.

Probatur 1.° ex SS. Patribus quorum concors sententia est sola fidei dogmata irreformabili iudicio ab Ecclesia definiri.

Tertullianus Lib. de velandis Virginibus, Cap. 1. „ Regula „ fidei, inquit, una omnino est, sola immobilis & irreformabilis „ .... Caetera iam disciplinae & conversationis admittunt novita„ tem correctionis ".

Pelagius II. in Epistola 3. ad Episcopos Istriae n. 1. idem S. Leonis Magni auctoritate confirmat: „ Aperte nobis licentia tribui„ tur, inquit, ut quidquid illic (in Synodo Chalcedonensi) extra „ fidei caussas de personis gestum est, retractetur. Specialis quippe „ Synodalium Conciliorum caussa est fides. Quidquid ergo praeter „ fidem agitur, Leone docente, ostenditur, quia nihil obstat, si ad „ iudicium revocetur ". Et paulo post de Epistola Ibae, quam in Chalcedonensi Concilio approbatam, & in quinta Synodo immerito damnatam esse contendebant Istriae Episcopi, sic loquitur: „ Quam„ vis quia approbata sit (Ibae Epistola) aut difficulter aut nulla„ tenus demonstretur; licenter tamen unusquisque eam reprehende„ ret, etiamsi Episcopi in eodem Concilio residentes, suis illam „ subscriptionibus approbassent ". S. Gregorius Magnus, Pelagii II. Successor, hanc Epistolam, quam ipsemet scripsisse creditur ad Hiberniae seu Scotiae Episcopos misit.

Tom. 2. Part. 2. Concil. edit. Venet. pag. 132.

Respondent Pelagium II. & Gregorium Magnum ita locutos fuisse, quia quae in Concilio Chalcedonensi circa Ibae Epistolam caeterasque personales caussas gesta fuerant, Sanctus Leo non probaverat; illa vero irreformabilia futura fuisse, si Summi Pontificis consensus accessisset.

Non diffiteor Pelagium II. ut facilius revocaret Schismaticos, qui Concilii Chalcedonensis auctoritati per damnationem trium Capitulorum derogatum fuisse querebantur, hoc momento usum fuisse quod S. Leo non approbasset quae in Chalcedonensi Concilio praeter fidem acta fuerant. Sed clarum est aliud quoque momentum ab eo

afferri, nimirum omnia quae praeter fidem in Conciliis sanciuntur retractari posse; *specialis* enim, inquit, *Synodalium Conciliorum caussa est fides. Quidquid ergo praeter fidem agitur, . . . nihil obstat si ad iudicium revocetur*. Profecto si adeo tantum caussae illae praeter fidem retractari poterant, ut contendit D. *Tournely*, quia Romani Pontificis & Ecclesiae consensus non accesserat, idem de fidei quoque quaestionibus dici posset. Quae enim in Conciliis circa fidem ipsam definiuntur, irretractabilia non sunt, nisi consensus Ecclesiae accesserit, ut demonstrant lapsus Conciliorum Ariminensis, Pseudo-Ephesini, & Constantinopolitani contra cultum Sacrarum Imaginum. Verum Pelagius & Gregorius Magnus aliquid caussis fidei attribuunt, quod caeteris praeter fidem quaestionibus non competat: Ergo mens illorum fuit solis caussis fidei exceptis, caeteras quascumque, & quocumque modo definitas, ad examen denuo redire posse. Hinc D. *De Marca*, in dissertatione de Decreto Vigilii Papae, pro confirmatione quintae Synodi, ex his Pelagii verbis concludebat caussas omnes quae extra fidem in Conciliis generalibus definiuntur iterum discuti & retractari posse.

At, inquiunt, hâc responsione nihil egisset Pelagius: nam Schismatici trium Capitulorum defensores aequo iure reposuissent, caussam trium Capitulorum non minus retractari posse post quintam Synodum quam post Chalcedonensem.

Respondeo: Pelagio propositum non fuisse, ut Schismaticos ad subscribendum quintae Synodo impelleret, sed ut ostenderet Chalcedonenses Synodi auctoritatem laesam non fuisse, ut illi contendebant, per trium Capitulorum damnationem. Aliunde cum Schismatici capitula in se considerata parum curarent, ac de sola Synodo Chalcedonensi solliciti essent; hoc solo, quod ostendebatur tria Capitula denuo tractari, salva Chalcedonensis Synodi auctoritate potuisse, tollebatur praecipuum impedimentum quo a recipienda quinta Synodo avocabantur.

2.° SS. Patres aliquibus factis doctrinalibus, ab Ecclesia iudicatis, vel ipsi obstiterunt, vel alios obsistere aequo animo tulerunt, quando fides in tuto fuit. Hoc videre est in Origenis, Marcelli Ancyrani, trium Capitulorum, & Honorii exemplis. SS. Patres circa facta dogmatica a definitione Conciliorum aliquando recesserunt.

Origenes, vir in Scripturis exercitatissimus, ob multa quae in eius scriptis durissima sunt, damnatus est, eiusque libri prohibiti & proscripti sunt. S. Hieronymus Lib. 3. Apolog. contra Rufinum Factum Origenis.

refert Ecclesiam libros Origenis toto terrarum orbe damnasse. Pamphilus Martyr in Apologia; Severus Sulpitius Dialogo 1. Anastasius Summus Pontifex in Epist. ad Ioannem Ierosolymitanum; S. Hieronymus Ep. 56. alias 76. ad Tranquillinum; Socrates Lib. 6. Cap. 7. & 10., & Sozomenus Lib. 8. Cap. 14. testantur eosdem libros prohibitos fuisse; tandem Origeni eiusque doctrinae anathema dictum est in Concilio generali V. Collatione 8. & renovatum in Synodo VI. actionibus 17. & 18. & in VII. actionibus 1. 3. & 7.

Nihilominus nemo nescit Origenem, damnatum licet, multos magnosque defensores habuisse, Pamphilum Martyrem, qui apologiam pro eo scripsit; Didymum Alexandrinum summae eruditionis & pietatis virum, qui teste S. Hieronymo Lib. 2. Apolog. contra Rufinum, „ non negavit ab Origene scripta quae scripta sunt, sed „ nos simplices homines non posse intelligere quae dicuntur, & „ quo sensu in bonam partem accipi debeant, persuadere conatur "; S. Gregorium Thaumaturgum, S. Athanasium, S. Gregorium Nazianzenum, & Basilium. Verum inter Origenis defensores, alii errores ipsi attributos tuebantur, alii purissimam fidem profitentes negabant eos esse librorum Origenis sensus, qui eis attribuebantur. Illos Ecclesia ut haereticos detestata est, hos pro Catholicis semper habuit; improbavitque persecutiones a nonnullis Episcopis zelo non secundum scientiam abreptis in viros sanctissimos sub Origenismi obtentu concitatas. Monachos Nitriae a Theophilo Alexandrino pessime vexatos, eo quod Origeni anathema dicere nollent, benigne excepit B. Chrysostomus, & ad communionem precum, excommunicatos licet, admisit, negata tantum, ne Theophilum a quo damnati fuerant offenderet, Sacramentorum participatione; in eorum gratiam ad Theophilum scripsit; omniaque humanitatis officia, quantum absque illius iniuria fieri potuit, eidem liberalissime impendit, uti referunt Palladius in eius vita pag. 50. & seqq., Socrates Lib. 6. Cap. 9., & Sozomenus Lib. 8. Capp. 12. & 13. Itane egisset sanctissimus canonumque observantissimus Patriarcha, si illos fratres ut contumaces, & Ecclesiae, quae libros Origenis damnaverat, rebelles habuisset? Non credebat igitur iudicium Ecclesiae circa librorum sensum adeo immotum esse, ut in eius obsequium fideles intellectum suum captivare teneantur. S. Hieronymus, quamvis ferventissimus Origenistarum debellator, numquam eos damnavit, qui Origenem eiusque libros ita vindicabant, ut errores illi attributos

Edit. Lugdunensis 1530. T. 2. pag. 212.

ſincere anathematizarent. Hinc in Epiſtola ad Pammachium adverſus errores Ioannis Ieroſolymitani, „ Aut nega, inquit, hoc dixiſſe eum (Origenem) qui arguitur: aut ſi locutus eſt talia, „ eum damna qui dixerit “. Et Lib. 1. Apolog. contra Rufinum: „ ſi non es, inquit, Origeniſtes, vel non fuiſti, credo iuranti; ſi fuiſti, ſuſcipio poenitentem “. Ibid. Tom. 2 pag. 164. Pag. 202.

Non minus varia fuit Marcelli Ancyrani fortuna. Huius libros Sabellianiſmi accuſarunt Euſebiani, eumque idcirco in Concilio Conſtantinopolitano anni 336. ab Epiſcopatu deiecerunt. Marcellus ſuae fidei profeſſionem Iulio Papae obtulit anno 342. haecque profeſſio Romanae Synodo, quae tunc habebatur, & Summo Pontifici probata, fideique catholicae conformis pronuntiata eſt, ut declarat ipſe Iulius in Epiſtola ad Orientales; poſtremo in Synodo Sardicenſi, quae Oecumenicae auctoritatem obtinuit, librorum eius cauſſa denuo retractata eſt; eius opus contra Aſterium, quod praecipua criminationum occaſio fuerat, diligenter examinatum & orthodoxum iudicatum eſt. „ Recitata ſunt, ait Synodus in Epiſt. Synodica ad omnes Epiſcopos, ſcripta Collegae noſtri in Sacris Marcelli . . . Recitata ſunt in illis, quae antecederent & ſubſequerentur, quaeſtionibus; & inventa eſt bona & recta fides iſtius viri “. En factum dogmaticum, de librorum ſenſu, a Concilio Oecumenicis proximo, poſt accuratiſſimum examen, definitum. Factum Marcelli Ancyrani.

Atqui non pauci Eccleſiae Doctores, tametſi Sardicenſis Concilii auctoritatem venerarentur, exiſtimarunt illud iudicium irreformabile non eſſe, & licere de Marcelli ſcriptis aliter ſentire. S. Baſilius Magnus Epiſt. 52. ad S. Athanaſium; S. Chryſoſtom. Hom. 2. in Epiſt. ad Hebraeos; Theodoretus Lib. 2. haereticarum fabularum Cap. 10. & Lib. 2. Hiſt. Eccleſiaſt. Cap. 12., Marcius Victorinus Lib. 1. adverſus Arium; Marius Mercator in Anathematiſm. XII. Neſtorii, non dubitarunt illa ſcripta Sabellianiſmi accuſare; S. Epiphanius haereſi 72. n. 1. refert Marcellum a multis damnari, defendi ab aliis; & n. 4. memorat S. Athanaſium a ſe interrogatum quid de Marcello ſentiret, neque illum purgaſſe, neque aſperius notaſſe, ſed ſubridendo ſignificaſſe illum non multum abfuiſſe ab impietate; ipſemet Epiphanius, relata Marcelli profeſſione: „ Caeterum, inquit ibidem, an libellus iſte recte ſe habeat, necne, legant qui poſſunt, & qui exactam eorum quae in „ eo ſcripta ſunt intelligentiam habere poſſunt “. Num, quaeſo,

tot Sancti & insignes viri, si Ecclesiam circa librorum sensum falli non posse credidissent, illud scriptum quod centum Episcopi Occidentales & LXX. Orientales ex Provinciis plus quam XXXV. congregati mature examinatum catholicum esse pronuntiaverant, erroris insimulassent? Quanta temeritas fuisset de sano illius sensu post definitionem adeo solemnem dubitare? Quanto cum scandalo S. Epiphanius peritum quemque lectorem, rectae vel perversae doctrinae Marcelli iudicem constituisset?

Tract. de Eccles. Tom. 2. pag. 622.

Respondet D. *Tournely* illos qui Marcellum damnarunt credidisse ipsum tanta arte occultasse errores suos, ut Pontifici & Sardicensi Concilio illusisset; maxime profitendo se, quae reprehendebantur non affirmasse, paratumque esse illa damnare si Synodus imperaret: verum nihil inde concludi posse contra privilegium non errandi circa librorum sensum Ecclesiae a Christo concessum. „ Quippe, inquit, cum libri alicuius auctor in vivis est, & viva „ voce catholicum in sensum inflectit si quae duriora in eo occurre- „ rint, potest pro sua prudentia Ecclesia dissimulare duriora haec „ & incauta verba; atque ad unam auctoris declarationem intendens „ eius absolvere librum, quem postea, detecta fraude ac cognito „ perverso auctoris consilio, debita Censura confixura esset ".

Verum hac responsione seipsum iugulat. Nam, si ita est, potuisset ergo Jansenius si in vivis fuisset, obtinere libri sui approbationem, sicut Marcellus solemnem approbationem sui adversus Asterium operis obtinuit. Qualis, amabo, infallibilitas quae ab auctoris morte vel vita dependet? Vivus fuerit Marcellus, an mortuus, quid hoc ad eius opus quod semper idem fuit? 2.° Si Marcellus Summo Pontifici & Sardicensibus Patribus circa libri sui sensum imposuit, ergo circa librorum sensum illudi Ecclesiae potest, adeoque ruit privilegium non errandi quod illam ab huiusmodi deceptionibus immunem facere asseritur. 3.° Si Sardicense Concilium decipi potuit librorumque Marcelli sensum non assequi, quia praecipue attendit ad signa catholici animi, quae ille prae se ferebat; quidni Alexander VII. decipi potuerit, magis attendendo ad accusationes Anti-Iansenianorum aliaque externa momenta, quam ad ipsum Iansenii librum? 4.° Falsum est Concilium Sardicense ad solam Marcelli declarationem attendisse, cum Epistola Synodica testetur, scripta quae accusata fuerant, recitata esse, eorumque sensum ex antecedentibus & subsequentibus aestimatum fuisse. Et certe Concilium

non

non ignorabat, quod centies dixerunt adversarii, librorum sensum ex ipsismet aestimari debere. Demum D. Tournely fatetur Ecclesiam nunc Marcelli scripta censura configere posse. Ergo primum iudicium, quo illa sanae & rectae fidei declaravit, non est irreformabile.

Scripta trium auctorum, Theodori Mopsuesteni, Theodoreti Cyrensis, & Epistola Ibae Edesseni ad Marim Persam, quae tria Capitula vulgo appellantur, velut Nestorianum virus spirantia, in quinta Synodo damnata sunt. Rem paucis referam. Theodorus Caesariensis Origenista & Eutychianus, moleste ferens, quod Origenes post mortem suam, adnitentibus Pelagio Romanae Ecclesiae Apocrisiario, & Mennâ Patriarcha Constantinopolitano, nuper damnatus fuisset, enisus est, ut Theodorus Mopsuestenus, qui multa adversus Origenem scripserat, damnaretur. Convenit Imperatorem Iustinianum, cui nihil placebat magis quam res fidei definire, suggessitque Acephalos ultro reversuros ad communionem Ecclesiae, si Theodorus Nestorii Magister, & Epistola Ibae, in qua Theodorus commendabatur, anathemate ferirentur; hoc quippe pacto illos Chalcedonensem Synodum tanquam correctam & retractatam facile suscepturos. Eo tendebat versipellis homo, ut sub obtentu damnandi illos auctores Chalcedonensem Synodum labefactaret. Fraudem non sensit Imperator, librumque adversus Theodorum & eius scripta, adversus Epistolam Ibae, & adversus scripta Theodoreti contra S. Cyrillum composuit, omnesque Episcopos horumce trium Capitulorum damnationi subscribere iussit. Qui consenserunt, muneribus ditati; qui renuerunt, depositi vel in exilium acti sunt, aut fuga latuerunt, ut refert Liberatus Breviarii Cap. 23. tantumque scandalum exortum est, ut ipse Theodorus publice clamitaret se & Pelagium cremari oportere, per quos eiusmodi malum in mundum intraverat. Facundus libro 4. testatur Iustinianum omnes Episcopos ditionis suae coegisse ad damnandum tria Capitula. Consensit Mennas Constantinopolitanus Patriarcha, eâ conditione, ut si haec Vigilio Pontifici Romano non probarentur, suum sibi chirographum redderetur. Vigilium ab Imperatore accitum Româque exeuntem obtestatae sunt, teste eodem Facundo, Ecclesiae Romanae, Africanae, Sardiniae, Hellados, & Illyrici, ut novitati resisteret. Statim atque Constantinopolim venit anno 547. Mennam caeterosque trium Capitulorum damnatores a communione suspendit; quam tamen quatuor aut quinque elapsis mensibus illis restituit. Tunc habita est Constantinopoli

Factum trium Capitulorum.

Facund. Lib. contra Mocian. pag. 203 Lit. B.

Praeside Vigilio Synodus LXX. Episcoporum, qui sententiam suam singuli scriptam miserunt ad Imperatorem. Confestim Imperator Constitutionem seu *Iudicatum* emisit, quo tria Capitula, illaesâ Synodi Chalcedonensis auctoritate, damnabantur. Elapsis aliquot annis Vigilius, compellente Iustiniano, ut tria Capitula simpliciter & absolute damnaret, fortiter obstitit, palamque denunciavit, si qui Graeci Episcopi de tribus Capitulis ante Synodum decernerent, se illos a communione Sedis Apostolicae amoturum. Africanis, Illyricianis & Dalmatibus Episcopis, qui pro Capitulis stabant, ad Synodum venire recusantibus, Graeci Vigilium compulerunt anno 550. ut ipse una cum Orientalibus Capitula condemnaret; cumque reniteretur, Imperatoris edicta pro Capitulorum damnatione Constantinopoli & aliis in locis affigi curarunt. E contrario Vigilius denunciavit se, si quis his edictis assentiretur, a sua communione suspensurum; asylumque diversis in Ecclesiis, ut Imperatoris iram declinaret, quaerere coactus est. Anno 552. mense Februario encyclicam de suis calamitatibus Epistolam scripsit, Theodorum Caesariensem deposuit, Episcoposque Constantinopoli agentes a communione suspendit. Sed paulo post, sublatis a Iustiniano edictis, oblatisque a Mennâ, Theodoro aliisque Episcopis poenitentiae libellis, censuras revocavit, rediitque Constantinopolim. Ipsum inter & Iustinianum convenerat, ut convocaretur Synodus, in qua Latinorum & Graecorum numerus aequalis sederet. Verum Imperator morae impatiens, non expectatis Latinis, Synodum congregavit; Vigilius huic adesse noluit, *Constitutumque* 14. Maii 553. publicavit, quo damnatis Scriptis Mopsuesteni, eius personam, & Epistolam Ibae, & scripta Theodoreti defendebat. Interim habebatur Synodus. Ibi lecta & examinata sunt tria Capitula; demum in actione 8.ª & in ultima anathema dictum est personae & scriptis Theodori Mopsuesteni, libris Theodoreti contra S. Cyrillum, & Epistolae Ibae, iisque qui illa defenderent. Consenserunt huic Synodo Vigilius & subsequentes Romani Pontifices, & postea totius Ecclesiae consensu inter Oecumenicas numerata est. Nihilominus multi pro tribus Capitulis diu steterunt, horumque duo genera distingui debent: alii Nestoriani erant, eâque mente tria Capitula tuebantur, ut eorum ope errores suos facilius disseminarent; alii catholici erant, catholicoque sensu illa defendebant, hique hâc praesertim caussâ movebantur, quod cum Patres Chalcedonenses Theodoretum velut catholicum recepissent,

Ibamque, lecta & probata eius Epistola ad Marim Persam, in integrum restituissent, Theodorum quoque in Epistola Ibae commendatum, hoc ipso pro catholico agnovisse viderentur; horum trium auctorum scripta sine Chalcedonensis Synodi iniuria damnari non posse crederent. Ex his trium Capitulorum orthodoxis defensoribus, alii unitatem Ecclesiae servaverunt, scilicet Hispani & Galli Episcopi; alii lugendum schisma fecerunt, inprimisque Istriae, Venetiae, Liguriaeque Episcopi.

Audistis factum, ut aiunt, dogmaticum a Concilio Oecumenico definitum. Nunc videndum, an iudicium illud habitum sit, ut infallibile ac tale, cui omnes assentiri tenerentur; & utrum qui tria Capitula, post quinque Synodi definitionem defenderunt, tanquam haeretici vel Ecclesiae rebelles habiti fuerint. Non loquor de Nestorianis, sed de illis, qui Capitula catholico sensu interpretabantur, sive unitatem Ecclesiae servando, sive illam scindendo. Porro constat hos ad damnanda tria Capitula nunquam compulsos esse, immo Romanos Pontifices quaestionem illam ut superfluam & a fide alienam semper habuisse.

Primum quidem Catholici, qui servata unitate Capitula defendebant, ad ea damnanda nunquam compulsi sunt. Hispanos & Gallos Episcopos ad IX. usque saeculum quintam Synodum admittere triaque Capitula damnare noluisse probat auctor libri cui titulus, *Obedientiae credulae vana religio*. Revera Cassiodorus Instit. Divinar. Lib. 1. Cap. 2. sola se quatuor prima Concilia agnoscere profitetur. Idem declarant Concilia illo temporis intervallo in Hispania habita. Isidorus Hispalensis Lib. de Script. Eccles. Facundum Hermianensem, quamvis acerrimum Capitulorum patronum, magnis laudibus extollit. Theodelinda, Longobardorum Regina, quintam Synodum respuebat. Secundinus, eximiae sanctitatis Monachus, tria Capitula scripto defendit, Sanctusque Columbanus eadem semper asseruit. Porro tantum abest, ut Romani Pontifices de illis conquesti sint, ut e contrario seipsis excusandis unice intenti fuerint. Pelagius I. in Epistola VII.ª ad universum populum Dei fidei suae professionem proferens, quatuor Synodos recipere se professus est, quintâ praetermissâ; & in Epistolis 10. & 16. ad Childebertum Regem Francorum, de sola Ecclesiae unitate sollicitus, non praecepit, ut damnarentur tria Capitula, immo illa appellavit *Capitula extra fidem*.

S. Gregorius Magnus cum Hispaniae & Galliae Episcopis, quintam Synodum non recipientibus, semper communicavit. De Hispanis constat ex plurimis Epistolis ad Ruharedum Regem & S. Leandrum Hispalensem ab eo scriptis; de Gallis vero constat ex Epistolis ad Simplicium Parisiensem, Syagrium Augustodunensem, Palladium Santonensem, Virgilium Arelatensem, Theodorum Massiliensem, ad Reges Childebertum, Clotarium, Theodoricum, Theodebertum, & ad Brunechildem Reginam. 2.° Cum a Constantii in Archiepiscopum Mediolanensem consecrati communione tres Episcopi recessissent, Theodelindamque Reginam abduxissent, eo quod trium Capitulorum damnationi Romae subscripsisse diceretur quod tamen falso dicebatur, S. Gregorius, Constantii amicus, duas ad eum Epistolas scripsit, quae sunt Libri 3. 2.° & 3.° in quibus a tribus illis Episcopis nihil exigit praeter unitatis studium; de quinta autem Synodo & tribus Capitulis ne verbum quidem profert. Scripserat simul ad Reginam Theodelindam, ut eam ad Constantii communionem revocaret. Sed quia in his litteris mentionem quintae Synodi fecerat, noluit Constantius eas reddere, ne Reginae animus magis offenderetur quam reconciliaretur; & S. Gregorius ultro alias misit, nihil huiusmodi continentes. Hoc constat ex Epistola 37. Lib. 3. „ Quod autem scripsistis, inquit, quia „ Epistolam meam Reginae Theodelindae transmittere minime vo- „ luistis pro eo quod in ea quinta Synodus nominabatur; si eam „ exinde scandalizari posse credidistis, recte factum est, ut minime „ transmitteretis. Unde nunc ita facimus, sicut vobis placuit, ut „ quatuor Synodos solummodo laudaremus“. Regina communionem Constantii amplexa est, sed nunquam potuit adduci ad damnandum tria Capitula; immo librum Secundini Monachi pro illorum defensione ad S. Gregorium misit, de quo videte Epist. 7. Lib. 12. Eam post mortem S. Gregorii in eadem sententia perstitisse probat Mabillonius Tom. 1. Annalium Benedictinorum Lib. 12. pag. 300. licet Norisius, nulla ratione allata, contrarium asserat in Dissertat. Hist. de quinta Synodo Cap. 9. paragrapho 5. Demum quanto in pretio apud S. Gregorium fuerit Secundinus Monachus, qui librum pro tribus Capitulis scripserat, declarat Epistola 54. Lib. 7. indict. 2. ad ipsum data.

Secundo. Erga Schismaticos trium Capitulorum defensores Summi Pontifices sic egerunt, ut eos ad unitatem redire hortarentur,

sed ad recipiendam quintam Synodum non compellerent. Facundus Hermianensis, qui inter illos eminuit, testatur Lib. 2. Cap. 3. communionem sibi, tametsi in Capitulorum defensione perseveranti, oblatam fuisse: „ Cum constituerint, inquit, ut si quis non „ anathematizet memoratam venerabilis Ibae Epistolam, anathema „ sit; considera, quaeso, cuius sit levitatis, cuius confusionis atque „ dedecoris, ut nos sibi communicare compellant, permanentes in „ ea sententia qua non solum anathema eis non dicimus, sed ne„ gamus esse dicendum ". Idem probant Epistolae Summorum Pontificum eo tempore scriptae. Pelagius I. Vigilii Successor totus est in omnibus suis Epistolis, ut suam fidem purget, Schismaticosque ad unitatis studium revocet, approbationem vero quintae Synodi vel trium Capitulorum damnationem nusquam requirit, ut videre est in Epist. 2. & 3. ad Narsen Patricium & Ducem, in *6.*ᵃ ad Episcopos Tusciae, in *7.*ᵃ ad universum populum Dei, in *10.*ᵃ & *16.*ᵃ ad Childebertum Regem, in alia ad Valerianum Patricium, & in ultima ad Viatores & Pancratium, ubi de Schismaticis loquens: „ Si etiam ipsi, inquit, licet in suo sensu abundantes, in„ tra materna tamen positi viscera quaererent veritatem, a nobis „ repellendi non erant, donec apud eos, ratione duce, veritas cla„ ruisset. Sed quia se ab universali Ecclesia diviserunt &c. ". Licebat ergo, teste Pelagio I., circa hanc controversiam in suo sensu abundare: licebat post generalis Concilii definitionem veritatem adhuc quasi incertam quaerere, eamque non caeca credulitate amplecti, sed ratione duce inquirere.

Pelagius II. tres de hoc negotio Epistolas scripsit ad Eliam caeterosque Istriae Episcopos. In prima resarciendae unitati unice incumbit, nullam exigit quintae Synodi acceptationem, hortaturque, ut si quid eos offenderet, illud in unitate constituti pacifice perquirerent: „ Si quid forte caussae est, inquit, unde vestri scandalizati „ animi videantur, manentes in unitatis caritate eligite de fratri„ bus ac filiis nostris quos ad nos transmittere debeatis, & parati „ sumus . . . . & cum caritate eos suscipere, & cum humilitate „ ad placita satisfactionis reddere rationem ". Verum illis in schismate permanentibus, alteram dedit, in qua mentionem quidem facit quintae Synodi, sed tantum ut ostenderet eam fidei Chalcedonensis Concilii contrariam non esse, nec obstare debere, quominus ad viscera materna redirent. Caeterum illas quaestiones vocat *super-*

fluas. Demum Schismaticis pertinaciter obnitentibus, tertiam Epistolam seu apologiam dedit quam Gregorius Magnus Lib. 2. Epist. 51. alias 36. *librum* appellat; ibique n. 1. sic loquitur. „ Ecce in „ cunctis mundi partibus sancta & universalis Ecclesia unitatis suae „ radiis fulget, sed tamen adhuc umbram suae divisionis sustinet. „ Ubique in fide statu perdurat; sed gaudere eam de sua salute „ prohibet vulnus quod de vestra abscissione tolerat “. Non ignorabat S. Pontifex Hispanos & Gallos quintae Synodo nondum acquievisse; sed quia facti quaestionem, ubi absque schismatis dissidio agitatur, nullius ad fidem & bonos mores momenti esse sciebat, solo schismatis malo Ecclesiam dividi affirmat. Cum autem Schismatici opponerent auctoritatem Vigilii & Occidentalium qui quintae Synodo diu fortiter obstiterant: „ Res, inquit n. 7., quae provocare vos ad „ assensum debuit, a consensu vos ipsa divellit. Latini quippe ho„ mines & Graecitatis ignari, dum linguam nesciunt, errorem tar„ de cognoverunt; & tanto eis celerius credi debuit, quanto eorum „ constantia, quousque verum cognoscerent, a certamine non quie„ vit “. Quid porro ad excusandum Vigilium aliosque Latinos valuisset Graecae linguae inscitia, si Conciliorum de sensu librorum iudicia sint per se infallibilia?

S. Gregorius Magnus, qui dum Apocrisiarius esset, illam Pelagii II. Epistolam scripsisse creditur, eamdem Pontifex factus ad Hiberniae Episcopos misit.

Praeterea in suis ad Schismaticos Epistolis nihil aliud curabat, quam ut eos ad Ecclesiae communionem reduceret. Raro de tribus Capitulis loquebatur, & si quando loquebatur, non eo fine commemorabat, ut eorum damnationem exigeret, sed ut ea sine Chalcedonensis Concilii iniuria damnari potuisse demonstraret. Legi possunt Lib. 1. Epist. 16. Lib. 2. 46. & 51. Lib. 3. Epist. 10. Lib. 5. Epist. 46. & 47. Lib. 6. Epist. 39. & 47. Lib. 9. Epist. 9. 10. 53. 66. 93. 94. 95. Hinc in eius vita, quae praemittitur postremae operum ipsius editioni, Lib. 2. Cap. 12. n. 3. sic habetur: „ Schisma occasione condemnationis illorum Capitulorum exor„ tum, non in eo positum erat, quod ab illis condemnandis absti„ neretur, sed quod a condemnantium communione secessio fieret. „ Gregorius enim pro veris Ecclesiae filiis semper habuit eos, qui, „ cum tria illa Capitula reiicere formidarent, in unitate tamen „ Ecclesiae remanserunt “. Attendant, quaeso, quantum a SS. illo-

rum Pontificum sensibus alienos sese demonstrant, qui hoc unum in votis habere videntur, ut qui ex peccandi metu in factum Iansenii iurare formidant sacrilego schismate, vel Pastorum sententia, ab unitate Ecclesiae exscindantur.

Legitur etiam in Diurno Romanorum Pontificum tit. 8. & Lib. 10. Epistolar. S. Gregorii Magni Epist. 31. Formula a Schismaticis ad Ecclesiam redeuntibus subscribenda; in qua ad servandam tantummodo unitatem sese obligabant, non autem ad damnandum tria Capitula.

Reponunt adversarii Summos Pontifices indulgentia & prudenti oeconomia, erga illos usos esse, tum ne animos eorum magis exasperarent, tum quia Synodus quinta Ecclesiarum omnium consensu nondum approbata erat: postquam vero a maiori Ecclesiarum parte quinta Synodus recepta est, neminem ad communionem admissum fuisse, nisi tria Capitula damnaret.

Verum nullius indulgentiae aut oeconomiae mentio fit in memoratis Pontificum Epistolis, sed clarum esse eorum agendi rationem in eo fundatam fuisse, quod non de fide ageretur, sed de facto non revelato, circa quod liberum erat, etiam post Synodi iudicium, aliter, salva unitatis compage, sentire. Pelagius I. *Capitula praeter fidem* esse dicebat, Pelagius II. *quaestiones superfluas* appellabat, & in Epist. 3. ad Episcopos Istriae: *Nihil nunc aliud*, aiebat, *nisi de personis agitur*. Gregorius Magnus Lib. 2. Epist. 36. ad Episcopos Hiberniae: „ In Synodo, inquit, in qua de tribus Capitulis actum est, aperte liquet nihil de fide convulsum „ esse, vel aliquatenus immutatum: sed, sicut scitis, de quibusdam „ illic solummodo personis est actitatum &c. “. Aliunde si hanc quaestionem infallibili iudicio terminatam esse credidissent, eorum conniventia & indulgentia erga dissentientes gravi peccato non caruisset. Quamvis enim fatear malum tolerari debere ubi multi sunt delinquentes, tamen non ideo permitti vel contemni debet. Qui tolerat, non punit quidem, non anathemate ferit, sed monet, increpat, urget, salutis discrimen ante oculos ponit, non tacet, quam grande piaculum sit iudicio Ecclesiae non obsequi. Porro in omnibus Pelagii I. & II. & Gregorii Magni Epistolis, sive ad Catholicos sive ad Schismaticos occasione illius disputationis scriptis, nihil huiusmodi reperies.

Falsum est quoque S. Gregorium Magnum aliquandiu tantum

diſſimulaſſe, donec quinta Synodus a maiori Eccleſiae parte recepta fuiſſet. Nam & ante ipſius Pontificatum maior pars Eccleſiae quintam Synodum receperat, & quandiu vixit, eamdem agendi rationem conſtanter tenuit. Quid quod etiamnum, licet quinta Synodus tot ſaeculorum approbatione recepta ſit, tamen catholici Theologi Theodoreti ſcripta impune defendere ſinuntur?

Factum Honorii.

Tom. 6. Conciliorum p. 936.

IV.^um^ Exemplum eſt Honorii Summi Pontificis, cuius duae ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum Epiſtolae in ſexta Synodo Oecumenica damnatae ſunt. In actione 12. huius Concilii authographum illarum litterarum ex ſcriniis Eccleſiae Conſtantinopolitanae allatum plenaque in Synodo lectum eſt. Et act. 13. „ Retractantes, ait Synodus, dogmaticas Epiſtolas a Sergio tam ad „ Cyrum quam ad Honorium quondam Papam antiquae Romae; „ ſimiliter autem & Epiſtolam ab illo, id eſt Honorio, reſcriptam „ ad eumdem Sergium; haſque invenientes omnino alienas exiſtere „ ab Apoſtolicis dogmatibus & a definitionibus SS. Conciliorum & „ probabilium Patrum, ſequi vero falſas doctrinas haereticorum, „ abiicimus & tanquam animae noxias execramur". Deinde anathema in ipſum ſicut in caeteros haereticos pronuntiatum eſt: „ Cum „ his vero ſimul proiici a Sancta Dei Eccleſia Catholica ſimulque „ anathematizari providimus & Honorium qui fuerat Papa anti„ quae Romae, eo quod invenimus per ſcripta quae ab eo facta „ ſunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem ſecutus eſt & „ impia dogmata confirmavit". In fine eiuſdem actionis altera Honorii Epiſtola igni tradita eſt, eo quod videretur „ in unam eam„ demque impietatem concurrere". Iterum in actione 18.^a^ *Honorio haeretico anathema* dictum eſt. Videtis ibi actum eſſe de facto, ut aiunt, textuali, eoque facto quod tanto facilius diſcuti potuit quanto Honorii Epiſtolae breviores ſunt.

Tamen Anaſtaſius Bibliothecarius, qui medio IX. ſaeculo, centum circiter & octoginta poſt ſextam Synodum annis florebat, in praefatione ad collectanea, commemorans Apologiam a Ioanne IV. ſcriptam pro Honorio antequam damnatus fuiſſet, „ quae apologia, „ inquit, ſatis, ut reor, hunc excuſabilem reddit, licet huic ſexta „ Sancta Synodus quaſi haeretico anathema dixerit". Non ergo exiſtimabat iudicium Synodi ſextae de Honorii Epiſtolis immotum & infallibile eſſe.

Theologorum conſenſus unanimis.

Probatur II.° ex conſenſu omnium Theologorum qui ante Ianſenia-

fenianas controverfias floruerunt. Nullus ex his proferri poteft qui docuerit Ecclefiam circa librorum fenfum errare non poffe: Multos e contrario proferimus qui diferte negaverint.

S. Thomas quodlib. *9.* Art. *16.* „ Si confideretur, inquit, „ divina providentia, quae Ecclefiam Spiritu Sancto dirigit ut non „ erret, ficut ipfe promifit Ioan. *16.* quod *Spiritus* adveniens *docebit omnem veritatem*, de neceffariis fcilicet ad falutem, certum „ eft quod iudicium Ecclefiae univerfalis, errare in his quae ad fidem „ pertinent, impoffibile eft... In aliis vero fententiis quae ad facta particularia pertinent, ut cum agitur de poffeffionibus, vel „ de criminibus, vel de huiufmodi, poffibile eft iudicium Ecclefiae „ errare, propter falfos teftes ". Licet de factis textualibus fpeciatim non loquatur, Doctor Angelicus, de factis particularibus fine exceptione loquitur, promiffionemque non errandi Ecclefiae a Chrifto factam ad folas fidei quaeftiones reftringit.

Ioannes Gerfon Parifienfis Ecclefiae Cancellarius in tract. cui titulus, *an liceat in cauffis fidei a Papa appellare*, docet *iudicium Ecclefiae, circa ea quae facti funt, fallere & falli poffe*. Tom. 2. p. 423.

Nicolaus De Clemangis, Doctor Parifienfis, in difputatione cum quodam Scholaftico Parifienfi pag. *61.* & in collatione ad eumdem pag. *65.* & *66.* idem affirmat.

Almaïnus Parifienfis Doctor apud Richerium in vindiciis Lib. 4. pag. *167.* ait, *Ecclefiam in facto quod non poteft trahi ex Sacris Litteris, errare poffe, & in fola fide & bonis moribus non poffe errare*. Et in libello de auctoritate Ecclefiae & Conciliorum Cap. 10. apud eumdem Richerium pag. *65. De errore facti*, inquit, *quod quidem factum ex Sacris Litteris trahi non poteft, Concilium poffe errare, nemo eft qui dubitet, nec illuftratur a Spiritu Sancto fpeciali illa affiftentia, nifi in neceffariis: & ex hoc fequitur non oportere quamlibet fententiam definitivam Concilii effe veram; aliqua enim eius fententia in facto confiftit*. Viden hanc doctrinam proponi, velut apud omnes receptiffimam: *Nemo eft qui dubitet*.

Idem docet Dionyfius Carthufianus Lib. 3. de auctoritate Papae & Conciliorum General. Art. *16.*

Cardinalis Stanislaus Ofius Varmienfis Epifcopus, Lib. 4. de legitimis iudicibus, idem fentit.

Alphonfus a Caftro, ex Ordine Minorum, Lib. *6.* adverfus haerefes, verbo *Ecclefia:* „ Certum eft, inquit, in talibus rebus

„ quae nec fidem nec mores ſpectant, Eccleſiam poſſe errare . . .
„ cum haec res minimum ad ſalutem pertineat animarum “.

Franciſcus Davemportus a Sancta Clara, ex eodem Ordine, apud Duacenſes Lector primarius, in ſyſtemate fidei Cap. 2. n. 10. & 11. Cap. 3. n. 9. & in expoſitione paraphraſtica articulorum Confeſſionis Auguſtanae pag. 360. eamdem *ſententiam* tradit ut *communiſſimam*.

Cardinalis Baronius ad annum 681. n. 30. „ In his, inquit, „ quae fidem ſpectant, religio eſt vel latum unguem ab iis quae „ in Sancta Synodo ſunt ſtatuta recedere. At in iis quae ad per- „ ſonas attinent & ſcripta earum, non ita rigide reperitur cuſto- „ dita cenſura. Nam potens eſt exemplum in quinta Synodo . . . „ In his enim quae facta ſunt, unumquemque contingere poſſe falli, „ nemini dubium eſt “. Diſerte loquitur de factis textualibus quae *ad ſcripta attinent*, qualia ſunt facta trium Capitulorum & Honorii; doctrinamque ſuam velut indubitatam aſſerit.

Cardinalis Bellarminus Lib. 4. de Summo Pontifice Cap. 2. „ Conveniunt, inquit, omnes Catholici & Haeretici, poſſe Pon- „ tificem, etiam ut Pontificem & cum ſuo coetu Conſiliariorum, „ vel cum Concilio Generali, errare in controverſiis facti parti- „ cularibus, quae ex informatione teſtimoniiſque hominum prae- „ cipue pendent “. Affert in exemplum Epiſtolas Honorii.

Michaël Elizaldus, Ieſuita Hiſpanus, libro De ratione verae religionis quaerendae & inveniendae, dicere non dubitat, „ ad hae- „ reſim pertinere, ſi quis dicat Romanum Pontificem eſſe in diiu- „ dicandis facti quaeſtionibus infallibilem “.

Ieſuitae in libello ſupplici quem Paulo V. ſub finem Congregationum *de auxiliis* obtulerunt, dicebant quaeſtionem ſe inter, & Dominicanos agitatam, ſupremo iudicio terminari non poſſe eo quod verſaretur in mero facto, quid ſcilicet SS. Auguſtinus & Thomas ſenſerint. „ Quis autem dicat, inquiebant, pertinere ad fidem quid „ hic & ille . . . vel exiſtimaverit vel docuerit “? Eorum verba retulimus alibi.

Tannerus Ieſuita, in anatomia Confeſſionis Auguſtanae Diſſert. 5. n. 201. de facto Honorii agens. „ In quaeſtionibus facti, in- „ quit, Pontifex in iudicando errare poteſt, ex communi Docto- „ rum ſententia “.

Dominicus Gravina, Dominicanus, a Gregorio Laudenſi in

defensione Abbatis Ioachimi laudatus, affirmat Synodos Oecumenicas, cum propositiones damnant, errare non posse, posse autem cum eas alicui auctori attribuunt.

Duvallius, Doctor Sorbonicus, de infallibilitate Summi Pontificis Part. 2. quaest. 1. „ Certum est apud omnes tam haereticos „ quam catholicos, inquit, Pontificem ut Pontificem, nec non cum „ Generali Concilio agentem, in quaestionibus facti particularibus „ . . . errare posse “. Producit in exemplum Epistolas Honorii.

Cardinalis Richelius, in Methodo controversiarum fidei, idem docet Lib. 1. Cap. 13. Lib. 3. Cap. 5. Lib. 4. Cap. 14.

Idem quoque docet Cardinalis Pallavicinus Lib. 1. histor. Concilii Trid. Lib. 7. Cap. 14.

Tyrinus Iesuita, in fine Comment. in scripturam controv. 6. de Summo Pontifice dicit eum *in quaestionibus facti* posse errare, *excepta canonizatione Sanctorum & approbatione Ordinum Religiosorum.*

Annatus Iesuita, in Cellotii defensione anno 1645., aiebat „ infallibilitatem iis solis definiri, quae in Scripturis aut Traditione „ continentur: nihil enim novi Ecclesiae revelari, nec ab ipsa ut „ fidei dogma proponi “. Idem docuit in confutatione libelli *de fide humana.*

Franciscus Veronius, Iesuita, in Regula fidei catholicae Cap. 1. & 2. eamdem doctrinam asserit & Honorii exemplo confirmat.

DD. *De Wallembourg*, in egregio Opere de controversiis fidei, librum illum Veronii adoptarunt, hancque doctrinam *apud omnes indubitatam esse* testantur.

Petrus *De Marca*, Archiepiscopus Parisinus, in Dissertat. De Vigilii Constitutione, doctrinam eamdem tuetur.

D. *Godeau*, Vencicnsis Episcopus, Tom. 6. Historiae Ecclesiast. anno 553. n. 12. asserit hanc doctrinam in Scholis omnibus catholicis universaliter receptam fuisse, nec nisi aetate nostra a quibusdam Theologis in dubium revocatam.

D. De Chioseuil, Convenarum primum, dein Tornacensis Episcopus in Epistola ad Regem Ludovicum XIV. anno 1664., hoc ipsum certissimum esse affirmabat. Acceptis autem ab Episcopo Apamiensi quibusdam Cadurcensis Praesulis difficultatibus, eas Epistola aurea confutavit, quae legi potest in Relatione pacis Clementis IX. Docet inprimis Ecclesiae circa facta fallibilitatem principium esse a quovis Catholico admittendum; observat non sine sin- Tom. 1. p. 193.

gulari providentia contigisse, ut in eiusmodi quaestionibus Summi Pontifices & Ecclesia interdum erraverint, & occurrit argumentis quae postea Cameracensis Archiepiscopus in contrarium proposuit.

Cardinalis De Laurea, in suo voto, hanc sententia Bellarmini, Baronii, & Pallavicini testimoniis confirmata, addit: „ Superfluum puto alios sic docentes adducere, cum omnes nationes omnesque universitates, nulla excepta, sic doceant ".

Cardinalis D' Aguirre Tom. 2. Concil. Hispaniae pag. *669.* Col. 1. n. 50. in Notis ad Concilium Toletanum II. exponens cur multae Synodi Hispanicae nullam quinti Concilii mentionem fecerint: „ Neque enim, inquit, tractabatur quaestio iuris divini sive „ dogmatis, sed solius facti non revelati circa scripta quaedam Theo„ doreti, Theodori Mopsuesteni, & Ibae . . . Haec vero iuxta „ Cardinales Baronium, & Bellarminum omnesque Theologos ali„ cuius nominis, nullatenus definit Ecclesia iudicio irreformabili, & „ infallibili, etiam intra Concilium Generale ".

Ludovicus *Ellies Dupin*, Doctrinae Christianae Lib. 1. Cap. 13. Theologos omnes in hoc capite consentire affirmat.

Holdenus eruditus Doctor Parisiensis in libro cui titulus *Defensio Formularii*; „ Evidens est, inquit, Summos Pontifices, Epi„ scopos & Pastores Ecclesiae, sub hac inquam ratione considera„ tos privatos habendos esse Doctores, nullamque infallibilitatem „ eorum personis, in huiusmodi perquisitionibus faciendis adnexam „ esse: immo nec illis potius quam aliis hisce in rebus magis ver„ satis, fidem adhibendam esse . . . huius ratio evidentissima est: „ certa enim & indubitata veritatis cognitio, in rerum particularium „ quotidie gestarum perquisitionibus, nec a Pastorali aliqua auctori„ tate dependet, nec ab ea profluit, sed ab humanae scientiae & „ cognitionis principiis, nempe ab ingenio, doctrina, lectione, ac„ curata diligentia, ac denique aequa & insigni iudicandi facultate „ inquisitorum ". Haec ille initio motuum Formularii opponebat Anglis Heterodoxis, Ecclesiae Romanae calumniose imputantium, quod humana facta ut fidei articulos proponeret.

Contensonius Dominicanus, Lib. 5. Dissertat. praeambula Cap. 2. Coroll. 2. idem adstruit: „ Sententia nostra, inquit, ita certa „ est, ut nullus alicuius nominis Theologus ante quindecim circi„ ter annos inveniatur qui non solum oppositum senserit, sed qui „ eam etiam vel in dubium unquam revocaverit ".

Steyaertius, Lovanienſis Anti-Ianſenianus, idem docet Aphoriſmorum 2. Part. Diſp. 18. n. 3. Dupin.

Liberius a Ieſu, Carmelita diſcalceatus, Lector Theologiae & Praefectus Studiorum in Collegio Romano de propaganda fide, in opere quod Romae edidit anno 1701. ſub hoc titulo: *Controverſiae dogmaticae adverſus haereſes utriuſque orbis* Tom. 1. pag. 192. Col. 1. n. 16. hanc ſibi obiectionem ſectariorum proponit: „ Inſtabis ex Vedraſio: „ Nequit dari doctrinae unitas, ubi utraque „ pars litigans, ſententiae iudicis non ſtat. Sed ita venit inter Pontificios. Nam cum in contradictionibus illis graviſſimis in materia divinae gratiae, inter Ianſeniſtas & Ieſuitas, Innocentius X. „ moventibus Ieſuitis damnaverit quinque propoſitiones, tamen Ianſeniſtae reclamaverunt & quotidie reclamant, appellaveruntque „ a Papa male informato ad Papam bene informatum, immo ad „ Concilium ". Hoc appellationis figmentum e ſuo cerebro cudebat haereticus. Verum quid Theologus Romanus reſpondeat attendamus. „ Reſpondeo, inquit, Theologi qui Ianſeniſtae dicuntur, cum omni humilitate ſubmittunt ſe Romano Pontifici in damnatione „ quinque propoſitionum prout ſonant, & ſecundum quaeſtionem „ iuris (audiant &, ſi fieri poteſt, obmuteſcant qui contendunt errores quinque propoſitionum a Ianſenii Patronis ſemper aſſertos & defenſos fuiſſe); „ ſed audiri poſtulant in quaeſtione facti: an videlicet illae reperiantur in libris Ianſenii de verbo ad verbum, „ & an in eo ſenſu intellexerit Ianſenius. Porro in quaeſtione facti „ Apoſtolica Sedes non admittitur infallibilis iudex ". D. De Maranda, ardentiſſimus Anti-Ianſenianus, in Regulis ad intelligentiam doctrinae S. Auguſtini Gallice editis anno 1656. Cap. 1. Sect. 3. pag. 75. „ Si Decretum Summi Pontificis, inquit, nullius eſt momenti, quia errare poteſt in quaeſtione facti, non erit maioris „ roboris definitio Concilii Oecumenici. Concilium enim Oecumenicum tam errare poteſt in factis, quam Summus Pontifex. De „ hoc inter doctos non controvertitur ".

Demum Cardinalis Bentivoglius, Regis Catholici Romae Legatus, in Memoriali quod 6. Iulii 1727. obtulit Benedicto XIII. ut eum deterreret a propoſito promulgandi Bullam quae incipit *pretioſus*, inter alia momenta hoc utitur: „ Quod Sanctus Thomas doctrinam hanc (de gratia per ſe efficaci) docuerit, merum eſt factum, nulla cum ullo fidei dogmate connexione coniun-

„ ctum, quod consequenter definiri non potest. Aliunde a grandi „ magnorum sanctorumque cuiusvis ordinis Theologorum numero „ impugnatur. Decetne S. Sedis dignitatem tale factum declarare, „ atque Bulla declarare ". Sic ille Iansenii patronos dum persequitur absolvit.

Multi Theologi controvertunt facta ab Ecclesia definita.

Hactenus Theologorum testimoniis probatum est omnes unanimi suffragio consensisse Ecclesiam circa facta non revelata etiam textualia errare posse. Nunc eos commemorare oportet, qui huiusmodi facta, solemniter definita, in dubium revocarunt, vel apertissime negarunt.

Factum Origenis.

Primum factum est Origenis, cuius, uti narravimus, libri tanquam haeretici, saepissime ac potissimum in quinta Synodo Oecumenica damnati sunt. Eos tamen defenderunt Picus Mirandulanus in apologia, Art. de salute Origenis; Iacobus Merlinus, & Gibbertus Genebrardus, ambo Doctores Parisienses non infimae notae; Sixtus Senensis Dominicanus; Desiderius Erasmus; Claudius Espensaeus; Halloixius & Binetus e Societate Iesu; Huetius Abrincensis Episcopus &c.

Marcelli Ancyrani.

Secundum factum est Marcelli Ancyrani, cuius scripta in Concilio Sardicensi post maturum examen approbata & sanae fidei pronuntiata sunt, quae tamen erroribus scatere visa sunt Baronio ad annum 347. & Petavio Lib. 1. de poenitentia publica Cap. 2. n. 4. & Lib. 1. de Trinit. Cap. 13. n. 2.

Trium Capitulorum.

Tertium est factum trium Capitulorum, de quibus supra. Ea autem defendi posse docent Pallavicinus Tom. 2. Lib. 11. Cap. 18., Baronius ad ann. 553. & 681., Sirmondus in Monito ad libros Facundi, Binius in notis ad quintum Concilium, Petavius de Incarnatione Lib. 1. Cap. 18. n. 7., Petrus *De Marca* in Dissertatione de Decreto Vigilii &c. n. 5. & 19. D. *Godeau* Episcopus Venciensis in Hist. Eccles. ad an. 553. ubi observat iuris & facti *distinctione, solvi plurimas obiectiones quas adversus infallibilem Ecclesiae in Conciliis Oecumenicis auctoritatem haeretici movere solent;* Lupus in notis ad Concilium quintum pag. 725. ubi quaestionem de Ibae Epistola in medio relinquit, & Card. D'Aguirre Tom. 2. Conciliorum Hispaniae ad Concilium Toletanum II. Revera Theodoreti scripta defenderunt Sirmondus in eius vita, & Petavius uti supra, ut omittam Theodoreti & Ibae scripta saepe defensa esse publicis Thesibus in facultate Parisiensi propugnatis.

Quartum factum est Honorii, cuius ambae ad Sergium Episto- Honorii.
lae in sexta Oecumenica Synodo post diligens examen ut haereticae damnatae sunt. Eas nihilominus defenderunt 1.° Emmanuel Calceas inter Graecos eruditus & Catholicus Scriptor, cuius verba referunt Cardinalis a Turre-Cremata, & Combesisius infra laudandi; 2.° Ioannes a Turre-Cremata, qui Lib. 2. de Ecclesia Cap. 93. dicit sextum Concilium erraffe *ex non intellectis Honorii Epistolis;* 3.° Turrianus Iesuita, apud Combesisium infra; 4.° Didacus Payva Andradius Doctor Lusitanus, qui Tridentino Concilio interfuit, & Lib. 2. defensionis fidei Tridentinae pag. 245. & seqq. probat Concilia circa facta errare posse; 5.° Stapletonius Anglus qui Tom. 1. Controv. 3. 9. 4. ait, *in facti quaestionibus hallucinari Concilium posse, absurdum non esse;* 6.° Baronius ad an. 681. n. 33.; 7.° Bellarminus Lib. 4. de Romano Pontifice Cap. 11. „ Quamvis enim, inquit, Concilium Generale legitimum non possit . . . errare in „ dogmatibus fidei definiendis, tamen errare potest in quaestionibus „ de facto. Itaque tuto dicere possumus, hos Patres deceptos ex „ falsis rumoribus & non intellectis Honorii Epistolis immerito „ cum haereticis connumerasse Honorium ". 8.° Duvalius de infallibilitate Summi Pontificis Part. 2. 9. 4.; 9.° Severinus Binius in notis ad vitam Honorii, Tom. 5. Conciliorum Labbaei pag. 1679. „ Addo, inquit, Concilium Oecumenicum, quod fieri posse conve- „ niunt omnes Catholici in quaestione facti aberrasse ". 10.° Iacobus Sirmondus Tom. 5. Conciliorum pag. 1758.; 11.° Philippus Labbaeus Tom. 5. Concil. pag. 1782. & 1768.; 12.° Ioannes a Sancto Thoma Dominicanus in 2. 2.^ae de auctoritate Summi Pontificis Disp. 1.; 13.° Ioannes *Iaubert De Barault*, Episcopus Vasatensis postea Arelatensis Archiepiscopus, Clypei fidei Tom. 1. Cap. 10. paragrapho 17. pag. 86.; 14.° Gretserus, Iesuita Germanus, qui in defensione Bellarmini Lib. 4. de Summo Pontifice Cap. 12. censet Honorium a sexta Synodo damnatum fuisse „ ex mala informatio- „ ne & non intellectis eius Epistolis, neque enim inconveniens est, „ inquit, affirmare Synodos etiam Oecumenicas in quaestione ali- „ cuius particularis facti, decipi posse "; 15.° Tannerus Iesuita in anatomia Confessionis Augustanae, demonstrat. 5.° pag. 198.; 16.° Dominicus Gravina, in libro cui titulus *Cherubim Paradisi;* 17.° Malderus Episcopus Antuerpiensis, Disp. 7. de fide quaest. 1.; 18.° Matthias *Hauseur*, Franciscanus, *in Collatione totius Theologiae* Cap.

5.; 19.° Wigers, Lovanienſis Doctor, in 2.ª 2.ª Diſput. de Summo Pontifice num. 222. 226. 227.; 20.° Becanus, Ieſuita, in *Summa controv.* pag. 793. Col. 1.; 21.° Nicolaus Coeffeteau, Dominicanus, Epiſcopus Maſſilienſis electus, in lib. Gallico cui titulus, *examen des progres & des oppoſitions* pag. 388.; 22.° Franciſcus Combefiſius, Dominicanus eruditiſſimus, in apologia pro actis ſextae Synodi Cap. 2. Sect. 3. pag. 123. & Cap. 3. Sect. 1. pag. 167.; 23.° D. *Godeau* Epiſcopus Vencienſis in Hiſt. Eccleſiaſt. ad annum 681.; 24.° P. *Veron* Ieſuita, in Regula fidei; 25.° Petavius Ieſuita, *Dogmat. Theologicor. de Incarnatione* Lib. 1. Cap. 21. n. 11. 13. & 14.; 26.° Halloixius Ieſuita, Lib. 4. pro Origene Cap. 10. pag. 390. & 391.; 27.° Brietus Ieſuita in *parvis Annalibus* ad an. 681.; 28.° Ioannes Baptiſta Gonetus, Dominicanus, in Academia Burdigalenſi Anteceſſor in *Clypeo Theologiae Thomiſticae*, de virtutibus Diſp. 4. Art. 1. Sect. 3. & in Manuali Thomiſtarum Tract. 8. Cap. 5. Sect. 3. & 4.; 29.° Wallemburgici Fratres de controverſiis fidei Tom. 2. Cap. 1. Sect. 4. n. 12.; 30.° De Pirot Profeſſor Sorbonicus in tract. de Incarnat. quaeſt. 3. Art. 3. paragrapho 2. Recentiores omitto.

Abbatis Ioachimi.

Quintum factum eſt Abbatis Ioachimi, cuius liber & doctrina damnata ſunt in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. „ Si quis, ait Synodus Can. 2., ſententiam ſive doctrinam praefati „ Ioachim in hac parte defendere vel approbare praeſumpſerit, tan„ quam haereticus ab omnibus confutetur". Factum hoc mere textuale eſt. Non enim Ioachimi perſona, ſed liber damnatus eſt. Atqui Franciſcus Bivarius Ciſtercienſis, in apologia pro Lucio dextro, librum Ioachimi ab errore vindicavit. Gregorius De Laude, Abbas Benedictinus & Doctor Theologus eumdem defendit in ipſius vita an. 1660. Neapoli edita. Sic autem loquitur Cap. 67. pag. 281. „ Sciendum eſt aliud eſſe defendere ſententiam proſcriptam & „ . . . fidei contrariam, . . . & aliud eſſe defendere Ioachim Flo„ ris Abbatem non fuiſſe huiuſmodi proſcriptae ſententiae". Poſtea addit: „ Bene intendimus Ioachimi Abbatis innocentiam de„ fendere, & eum a tali labe & ignominia vindicare". In hoc

Anno 1664.

libro iuſſu Inquiſitionis nonnulla immutata ſunt, ac circa praeſens caput, nihil quicquam immutatum eſt, niſi quod loco horum verborum, *bene intendimus*, poſitum ſit, *conabimur tamen Ioachimum defendere*.

Sex-

Sextum factum est Iansenii. Quamvis enim perpauci Iansenium aperte defenderint, tamen certum est plurimos ambigere, utrum quinque propositiones reipsa docuerit; multos etiam qui subscribunt aut subscribi faciunt Formulae, non infallibilitatis Ecclesiae circa huiusmodi quaestiones, sed obedientiae, humilitatis, aliisve momentis ad id impelli. Clemens XI. a nonnullis Galliae Episcopis excitatus, ut definiret Ecclesiam, quando de librorum sensu iudicat, errare non posse, nihil decernere voluit. Galliarum Episcopi, si Cameracensem, Carnotensem, Aptensem, Caenomannensem, Rupellensem, & alios paucos excipias, vel infallibilitatem illam diserte exsufflant, vel aliis fundamentis, subscribendi debitum adstruunt. Theologorum modo appellatorum plurimi post exortos Iansenismi motus scripserunt, & de Iansenii facto diserte locuti sunt, ut Holdenus; D. De Choiseuil Convenarum Episcopus in Epistolis ad Regem & ad Episcopum Apamiensem, Contensonius, Cardinalis Laurea, Liberius a Iesu; quibus addi possunt Theologi Lovanienses, qui per deputatum suum D. *Hennebel* hanc doctrinam velut indubitatam Romae asseruerunt. Hinc Doctores Parisienses, qui Censuram contra Antonium Arnaldum tulerunt anno *1656.*, illius propositionem non ut falsam, uti debebant si credidissent Ecclesiam in huiusmodi quaestionibus errare non posse, sed ut *temerariam* tantum damnaverunt. Iansenii.

Haec omnia demonstrant, sententiam quam tuemur, non aliquorum, nec obscuri nominis, sed omnium omnino Theologorum, ante praesentes disputationes fuisse (Quos enim appellavi, non opinando locuti sunt, sed affirmando, haucque doctrinam non ut privatam tradiderunt, sed ut talem in quam omnes catholici & haeretici consentiant): motis vero Iansenismi disputationibus, Doctores omnes in eadem perstitisse, paucissimis exceptis, quos Iesuitae & Illustr. *De Fenelon* in partes suas traxere.

Tentant tamen adversarii, hunc Theologorum consensum, nobis eripere. Aiunt illos locutos esse, non de factis dogmaticis, sed de personalibus, circa quae Ecclesia falsis testimoniis ac rumoribus, reipsa falli potest.

Miror, si hacce responsione, hominibus satisfieri posse, existimant. Quid enim evidentius, quam Theologos memoratos, loqui primo generatim de omnibus factis, nulla facta exceptione vel distinctione; 2.° expresse loqui, de omnibus factis, quae ex scripturis trahi non

tendebant enim, Summos Pontifices, in ferendis Decretis, errare non posse; adeoque non tam personalem Honorii, quam dogmaticum Epistolarum eius sensum, purgandum habebant. Demum diserte dicunt sextam Synodum errasse, circa sensum ipsum Epistolarum, quem ipsi defendunt.

Alio confugit D. *Tournely* Tract. de Ecclesia Tom. 2. pag. 596. asserit errorem facti non universae Ecclesiae a Bellarmino attribui, sed solis Graecis. Idque probare conatur his Bellarmini verbis: „ Dices: Ergone tu melius intelligis Honorii Epistolas, quam „ intellexerint tot Patres? Respondeo: non quidem a me, sed a „ Ioanne IV., Martino I., Agathone, & Nicolao I. Summis Pontificibus, & a toto Concilio Romano sub Martino congregato, „ eas Epistolas melius esse intellectas, quam a Graecis in Concilio „ VI. Cur ergo, inquies, legati Agathonis non reclamarunt, cum „ Honorius damnaretur? Respondeo id factum esse ad evitandum „ maius malum: verebantur enim legati, si reclamarent, ne impediretur definitio rectae fidei, & non posset tolli schisma quod „ annis sexaginta iam duraverat ".

Verum nec ista responsio satisfacit. Nam 1.° modo audivimus Bellarminum aperte profitentem, omnes tam catholicos quam haereticos consentire, Summos Pontifices cum Concilio Generali, adeoque totam Ecclesiam circa eiusmodi facta errare posse. 2.° Quos Honorii defensores ibi commemorat Bellarminus, eius damnationem praecesserant; huicque damnationi non Graeci tantum, sed Latini quoque consenserunt. Nemo tunc fuit qui Honorium defenderet, ipsique Romani Pontifices, eum pro iuste damnato habuerunt. Leo II. in Epistola ad Imperatorem testatur se „ anathematizare novi „ dogmatis inventores Theodorum . . . Cyrum , . . nec non & „ Honorium, inquit, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicae traditionis doctrina, sed profana proditione, immaculatam, maculari permisit ". Idem ait in Epistola ad Episcopos Hispaniae & ad Ervigium Regem. Qui deinceps secuti sunt Romani Pontifices, in sua inauguratione, Honorio, una cum caeteris haereticis, anathema dicebant, ut patet ex Diurno Romanorum Pontificum a Garnerio edito. Idem anathema in VII. & VIII. Oecumenicis Conciliis, ratum & confirmatum est. Nec quisquam reperitur ante Anastasium Bibliothecarium, qui ferme ducentis post sextam Synodum annis vixit, qui Honorium defenderit. Absurdum

Eamdem doctrinam tuiti sunt novemdecim Episcopi in Epist. ad Clementem IX., quae statim typis edita, ab omnibus, sive Romae, sive in Gallia lecta est. „ Quid, inquiebant, in illis Mandatis quatuor Episcoporum, quod vel a Catholicae doctrinae norma, vel a Romanae Sedis reverentia tantillum deflectat? Novum „ & inauditum apud nos nonnulli dogma protulerant, Ecclesiae „ nempe Decretis, quibus quotidiana, nec revelata divinitus facta „ deciduntur, certam & infallibilem constare veritatem: adeoque „ ipsa, non minus quam revelata in Scripturis & Traditione dogmata fide esse tenenda. Hoc vero dogma, Beatissime Pater, quod „ ab omnibus antiquis recentibusque Theologis, peraeque damnatum „ est, ex Decessoris vestri Constitutione iidem, qui illud invexerunt, temere stabilire conabantur. Huic malo ut occurrerent „ praedicti Episcopi, simul ut quorumdam scrupulis mederentur, „ oppositam huic manifestissimo errori doctrinam, communissimam „ simul & certissimam, in Mandatis suis exposuerunt, humana nimirum, nec divinitus revelata facta, non omnimoda & infallibili certitudine, ab Ecclesia definiri; adeoque in huiusmodi rebus „ nihil aliud ipsam a fidelibus exigere, quam ut sua Decreta reverenter, ut par est, habeant. Quid in hac doctrina, B. P. in „ Romanam Sedem irreligiosum & iniurium? Cum non modo a „ Sedis Apostolicae veneratoribus, eiusque acerrimis vindicibus Baronio, Bellarmino, Pallavicino asserta & tradita sit; sed eo nomine potissimum constabilita, quod eam ad vindicandam Ecclesiae „ auctoritatem in sanciendis fidei dogmatibus, & ad haereticorum „ criminationes repellendas, pernecessariam iudicarint. Ita sentire, si „ criminosum existimetur, non hoc proprium ipsorum, sed omnium nostrum, immo totius Ecclesiae crimen fuerit". Hanc Epistolam, dogmaque tam asseveranter in ea expressum, nullus vel Theologus, vel Episcopus refellere aggressus est. Certe, nulla efficaciori via cognosci potest quid Ecclesia circa quodvis doctrinae caput, aliquo tempore crediderit, quam testimonio illorum, qui eodem tempore vixerunt, hocque testimonium est omnino ineluctabile, quando certa doctrina Ecclesiae attributa, nemo reclamat, maxime in illis circumstantiis in quibus comperta omnibus est huiusmodi attributio, multorumque interest, eam falsi convincere. Atqui tale est testimonium novemdecim Episcoporum adversus dogma infallibilitatis Ecclesiae circa sensum librorum: ergo certum est, hoc dogma ab universa Ecclesia ultimo saeculo reiectum esse.

Sub idem tempus Illuftr. Harlaeus, in Epift. ad Card. Rofpigliofum, teftabatur unanimem ea de re omnium Theologorum fententiam effe.

Conventus Generalis anni 1681. approbavit librum D. Gerbais *de cauffis maioribus* in quo dicta XIX. Epifcoporum Epiftola, integra defcribitur: auditifque querelis adverfus D. David, qui in libro *de canonicis Epifcoporum iudiciis* dixerat, Summum Pontificem in quaeftionibus facti errare non poffe, iuffit eum mentem fuam ea de re declarare; quod praeftitit fcripto conteftans, *tam infolentem opinionem, in nullius hominis mentem cadere, fiquidem talis infallibilitas, ne toti quidem Ecclefiae conceffa eft.*

Equidem poft damnationem Cafus, nonnulli Epifcopi illud dogma defenderunt, quod velut *novum & inauditum, ab omnibus antiquis recentibufque Theologis peraeque damnatum* exploferant XIX. Praefules: At caeteri numero longe plures, vel illud expreffe reiecerunt, vel aliis momentis fubfcribendi legem fanciverunt.

Demum hifce temporibus, cum Monfpefulanus & Senecenfis Epifcopi, Clementinam pacem publicis documentis commendaffent, ac docuiffent, definitionibus facti, folam filentii reverentiam deberi, eo quod fatentibus omnibus Theologis, huiufmodi definitiones errori obnoxiae fint; nec Epifcopi Ebredunum convocati, nec alius quifpiam hoc principium convellere aufus eft: immo Caftrenfis Epifcopus in Epift. ad Regem Ludovicum XV. 8. Decembris 1727., afferuit nihil hac de re a duobus praefatis Epifcopis dictum effe, quod *omnes pene Epifcopi*, ubi occafio poftulat, *viva voce non declarent*; opinionemque quam refellimus, appellavit *omnium falfiffimam, abfurdiffimam, atque etiam haereticam.*

Conftantiffima igitur Cleri Gallicani doctrina eft, Ecclefiam, cum iudicat de librorum fenfu, falli poffe. Quamobrem merito Epifcopus Pontis-Poleos, teftis omnium, quae olim in Ianfenii cauffa acta funt, dicebat in Epiftola ad Archiepifcopum Cameracenfem, *ferventibus controverfiis, doctrinam Gallicanae Ecclefiae pene unanimem fuiffe, omnefque varias locutiones ad obfequiofum filentium collimaffe.*

Probatur IV.° Rationibus Theologicis.

Oppofitae opinionis novitas. 1.^um Suppeditat, fententiae adverfariorum novitas. Cum enim in Theologicis, novitas, certiffimum erroris iudicium fit, iuxta hoc Stephani Romani Pontificis effatum, *nihil innovetur nifi quod tradi-*

tum est ; merito erroris notatur adversa opinio, quam nemo SS. Patrum, aut Theologorum tenuit, immo quam universi Theologi ante LXXX. annos unanimi consensu reiecerunt, maxime cum agatur de privilegiis Ecclesiae concessis, quae ab hominum arbitrio non pendent, nec humanis coniecturis, sed sola Dei revelatione cognosci possunt.

Eadem adversatur analysi fidei.

II.° Ratio desumitur ex resolutione fidei. Si enim Ecclesia, quando de sensu librorum iudicat, divinitus illustratur, ne falli possit, eius de huiusmodi factis iudicia fide divina credenda forent, utpote divinae auctoritati, quae sola falli nequit, innixa: atqui hoc consectarium cum perabsurdum est, tum ipsa fidei fundamenta convellit. Nam ut ait P. Veronius in regula fidei, quam adoptarunt Wallemburgici fratres, *illud omne & solum est de fide catholica, quod est revelatum in verbo Dei, & propositum omnibus ab Ecclesia catholica, fide divina credendum*, qualia certe non sunt facta textualia, in Scriptura vel traditione, quae sunt duo soli revelationis fontes, nullo modo contenta.

Hic adversarii in diversas partes abeunt, suoque dissidio demonstrant, quam invicta sit huius argumenti vis: Alii qui cum pervideant, quam importunum sit pro factis humanis nec revelatis fidem divinam exigere, negant illud ex sua opinione consequi; nam, inquiunt, fidei divinae obiectum, debet esse revelatum, eiusmodi vero facta licet infallibilia definiantur, non sunt revelata. Verum sibimet manifeste illudunt. Nam fides illa divina est, quae divina auctoritate nititur: atqui fides quae nititur infallibilitati Ecclesiae, nititur auctoritate ipsius Dei, qui per Ecclesiam loqui supponitur: Ergo illa fides divina est. Fateor equidem id solum quod divinitus revelatum est fidei obiectum esse; sed inde concludo, veritates revelatas solas esse, quas Ecclesia iudicio infallibili definiat. Si enim non errandi privilegium, ad aliqua, quae revelata non sunt, extendatur, ea quoque fide divina credi oporteret. Alii, cum dissimulare nequeant, illud ex sua sententia evidentissime consequi, respondent, nihil absurdi esse, si textualia facta, fide divina credenda proponantur; quia etsi non immediate & directe, tamen mediate & indirecte revelata sunt, quatenus revelatum est, Ecclesiam circa illa falli non posse, & quatenus ex mutua textuum cum Scripturis & Traditione comparatione, definiuntur. Sic pro veritate, quam dimidiatam, ut ita loquar, singuli tenent, secum invicem pugnant adversarii.

Verum si facta textualia divina fide credi deberent, sequeretur eadem fide ea credi oportere, qua credimus fidei mysteria; quod absque impietate & Christianorum omnium offensione dici non potest. Hinc cum anno 1707. D. *Derveau*, Parisiensis Doctor, in Thesi quam Resumptam vocant, inter respondendum dixisset, se eadem fide credere factum Iansenii qua credebat adorandam esse Sanctissimam Eucharistiam, omnium animos adeo commovit, ut, re ad Emin. Card. Noallium delata, impiam propositionem retractare coactus fuerit. Paulo post, cum Sacra Facultas, comperisset quemdam Baccalaureum inter respondendum idem protulisse, unanimi consensu illud damnavit, vetuitque, nequis *hanc comparationem*, & *similes odiosas institueret inter res revelatas* & *non revelatas*, *res definitas de fide ab Ecclesia*, & *non definitas*, *articulos fidei*, & *opinionis scholae*. 2.° Illustr. *De Perefixe*, licet caeteris arctius, ne dicam inhumanius subscriptionem exigeret, hoc tamen fidei divinae monstrum damnavit in Mandato 7. Iulii 1664. dato his verbis: „ E „ quibus Constitutionibus, sicut ex Formulario, certum est, non „ posse absque malitia aut ignorantia occasionem sumi dicendi, fla„ gitari submissionem fidei divinae, pro facto, sed exigi duntaxat „ quoad illum respectum, fidem humanam & Ecclesiasticam “. 3.° Hoc semel admisso, sequeretur, Theologos qui scripta Theodoreti, Ibae, & Honorii &c. defenderunt, contra fidem divinam peccasse, adeoque haereticos fuisse. 4.° Facta mere humana, quorum discussio ex grammaticae vel criticae regulis tota pendet, nullatenus posse esse, obiectum fidei divinae, nisi velis ima summis, humanaque divinis miscere: Porro facta textualia, quale est Iansenii, humana sunt, & ex grammaticae regulis, ex communi vocum significatione, ex antecedentibus & consequentibus, ex multorum locorum collatione, ex privato libri, ut ita loquar, dictionario, caeterisque criticae regulis diiudicanda. Ergo nullatenus esse possunt, obiectum fidei divinae. 5.° Ex opposita opinione sequeretur, condi ab Ecclesia novos fidei articulos, eorumque numerum crescere, quoties aliqua facti quaestio definitur; cum tamen certum sit, Ecclesiam novos fidei articulos non condere, sed id tantum quod ab initio revelatum est, declarare.

Ecclesiae inutilis est.

III.° Ratio petitur, ex inutilitate illius privilegii. Constat nempe Deum, sicut Ecclesiae suae non deest in necessariis, ita in superfluis, pro hominum arbitrio non abundare. Atqui facta textualia non

non sunt necessaria ad salutem. Quid enim ad salutem refert nosse v. g. an Theodoreti scripta Nestorianismum doceant nec ne, modo mens, ab illa haeresi, sincere abhorreat? Haec scire, inquies, non prorsus inutile est. Esto: abhorreat; quot commoda Ecclesiae suae praestare potuit Deus omnipotens; quae tamen non praestitit? Quis neget utilissimum fore, si omnia fidei dogmata, tam perspicue traderentur in Scripturis, ut nullis nebulis obscurarentur? Si de sensu Conciliorum, nulla controversia esset; si Scripturarum sensus ita dilucidus esset, ut ad perversas expositiones, non traheretur? Haec tamen & alia innumera non est largitus Ecclesiae Deus optimus: & quis dicet ei: quare sic fecisti? Non enim viae Dei viae nostrae, neque cogitationes Dei, cogitationes nostrae: sed sicut exaltantur caeli a terra, sic exaltatae sunt viae Dei a viis nostris, & cogitationes Dei a cogitationibus nostris, ut ait Propheta.

Et certe, concedunt adversarii, Ecclesiam circa facta personalia errare posse, & quandoque errasse. At nulla ratio exigit, ut in textualibus minus, quam in personalibus factis falli possit: sicut enim Ecclesia, auctoritate a Christo accepta, de libris iudicat; ita & de personis; nec gravioris momenti sunt pleraque facta, quae librorum sensum spectant, quam ea, in quibus hominum existimatio vertitur. Quilibet enim facile perspicit, longe maioris ponderis esse facta, propter quae Ordo Templariorum a Concilio Viennensi extinctus est anno 1311. quam criticam de sensu Epistolarum Honorii, aut libri Iansenii controversiam. Cum igitur falli potuerit Ecclesia in caussa Templariorum, cur in criticis quaestionibus falli non posset?

Solvuntur Obiectiones.

Obiicit I.° Cameracensis ea Scripturae loca, quibus Ecclesiae tribuitur docendi auctoritas, ut Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes . . . Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi:* Matth. 18. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus:* Lucae 10. 16. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* His & aliis huiusmodi verbis, inquit, Christus dedit Ecclesiae potestatem docendi, & docendo, non errandi: atqui iudicium ferre de librorum doctrina est docere: Ergo &c. Satisfit argumento ex Scripturis.

Distinguo mai. Christus dedit Ecclesiae privilegium non erran-

di, docendo doctrinam fidei, concedo: docendo quodlibet, etiam criticum vel grammaticum librorum sensum, nego. Dist. pariter minorem: Iudicium ferre de librorum doctrina, declarando qualis illa sit, v. g. doctrinam Arii negantis Verbi Divinitatem, esse haereticam; est docere, concedo: Iudicium ferre de doctrina librorum, declarando quaenam illa sit, est docere, subdistinguo; est docere aliquod a fide alienum, concedo; est docere doctrinam fidei, nego. Nemo Catholicorum non agnoscit, in Ecclesia ius docendi fideles absque erroris periculo; sed quaestio est, ad quaenam hoc non errandi privilegium extendatur, ad sola dogmata, an etiam ad facta non revelata. Porro hanc quaestionem nullatenus attingunt loca allata. I.us *Euntes docete &c.* Spectat solas veritates fidei, Apostolis a Christo revelatas, ut demonstrant verba, quae statim sequuntur, *Docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.* Alter, *si Ecclesiam non audierit &c.* ad facta quidem extenditur, sed personalia, ut patet ex Sermonis serie, *si peccaverit in te frater tuus*, ait Christus, . . . *dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Porro circa facta personalia, iudicium & censuram Ecclesiae falli posse, consentiunt adversarii; adeoque Ecclesiam circa haec facta audire, non esse ipsius definitioni tanquam infallibili assentiri, sed exterius obsequi, nec aperte contradicere. Idem tertii loci sensus est.

Instant: Ecclesia non potest infallibiliter tradere doctrinam fidei, quin de librorum quoque sensu infallibiliter iudicet. Nam ut recte tradatur fidei doctrina, non sufficit, eum qui docet, recte cogitare, nisi etiam recte loquatur, unde Paulus ait 1. Tim. 6. 20. *O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates;* & Tim. 1. 13. *formam habe sanorum verborum:* atqui Ecclesia non potest recte loqui, quin circa sensum librorum infallibilis sit: Ergo &c.

Dist. maiorem: Ad recte tradendam doctrinam fidei, necesse est ut Ecclesia recte loquatur de ipsa fide, concedo; ut recte loquatur de critica vel grammatica, nego. Ut Ecclesia nunquam non recte loquatur circa fidem, minime requiritur, ut in grammaticali verborum significatione, errare non possit, multo minus, ut semper recte iudicet de librorum sensu; non enim ab huiusmodi quaestionibus Christiana fides dependet. Sive Theodoreti scripta unicam in Christo personam, sive duplicem asserant, quid hoc ad fidem, qua

indubitanter credimus, unicam esse in Christo personam? Potuit ergo quinta Synodus recte loqui de Christi Incarnatione, & Theodoreti scripta, male interpretari.

Textus Apostoli, quos laudat Cameracensis, a nullo interprete hactenus eo modo expositi sunt, quo illos exponit, sed a plerisque intelliguntur de ipsa doctrina, cuius veluti formam & exemplar, Timotheum esse volebat Apostolus: sic exponunt Cornelius a Lapide, Menochius, Tyrinus, Estius, Emmanuel; vel de methodo docendi, ut exponit Gagnaeus.

Obiiciunt II.° Ecclesia a primis saeculis consuevit libros haereticos condemnare, & exigere a fidelibus, ut eorum condemnationi subscribant: atqui Ecclesia id non egisset, nisi se in determinando librorum sensu falli non posse, certo cognovisset: tum quia internum mentis obsequium non debetur nisi auctoritati infallibili; tum quia, ut ratiocinatur Bellarminus Lib. 3. de Ecclesia militante Cap. 4. *iniquum esse sub gravi poena anathematis obligare fideles, ad assentiendum rebus incertis, & interdum dubiis:* Ergo Ecclesia circa librorum sensum falli non potest. Solvitur argumentum a librorum damnationibus petitum.

1.° Retorqueo argumentum. Ecclesia a primis saeculis consuevit, errorum auctores, personasque haereticorum condemnare, & sub anathematis poena praecipere, ut fideles eorum damnationi subscribant: Atqui hoc non ageret sponsa Christi, nisi certo nosset se circa facta personalia auctorumque intimum sensum errare non posse: Ergo. Quidquid huic argumento respondebunt adversarii, contra ipsos valebit.

2.° Dist. mai. Ecclesia consuevit exigere a fidelibus, ut librorum damnationi subscribant, quando evidens est, vel esse putatur, libros esse haereticos, nec de facto, sed de solo iure contenditur, concedo: quando factum ipsum controvertitur, subdistinguo; consuevit exigere subscriptionem ab iis, quos mala fide illa facta controvertere censet, concedo; ab iis qui fidem sincere & aperte profitentes, de veritate facta bona fide ambigunt, iterum subdistinguo; Ecclesia abusive accepta, id est aliqui Ecclesiae Pastores, ab Ecclesia ipsa minime approbati, concedo; Ecclesia ipsa, nego.

Observandum est igitur, antequam ad singula exempla veniamus, 1.° Ecclesiam, cum sit visibilis societas, habere regimen externum, potestatemque iudicandi & damnandi sive libros, sive homines, qui ad eius tribunal erroris vel criminis nomine accusantur.

2.° Ecclesiam, quando aliquem librum vel hominem ut haereticum condemnat, duo iudicia ferre; unum quo iudicat talem doctrinam esse huius libri vel auctoris, v. g. Arium eiusque libellum, cui titulus *Thalia*, verbi Divinitatem negare; alterum quo iudicat talem doctrinam, quam ab auctore assertam, vel in libro contentam existimat, haereticam esse.

3.° Secundum iudicium multo principalius esse, primumque alicuius momenti non esse, nisi quatenus secundo praesupponitur.

4.° Ecclesiam vulgo non exigere, ut librorum vel auctorum damnationi subscribatur, nisi factum, sive personale sive textuale, certum atque evidens sit, qualis fuit Arii, Pelagii, Nestorii, Eutichetis impietas.

5.° Eo posito, Ecclesiam non eo fine subscriptionem imperare, ut facta illa credantur, sed ut supposita eorum cognitione, error ab auctore, vel in libro aperte traditus damnetur.

6.° Contingere interdum posse, ut haeretici, eorumve libri, defendantur animo haeretico, cum intentione, errorem facilius retinendi ac disseminandi, huius fraudis haud immerito suspecti sunt, qui errores libro vel auctori attributos, clare & distincte non damnant, sed ambiguis & aequivocis professionibus, fidem suam involvunt.

7.° Hoc in casu subscriptionem ab Ecclesia exigi, non ut assensus facti definitioni detur, quem intus dissimulari arbitratur, sed ut haeresis, quam in corde occultari credit, damnationem sinceram & apertam eliciat.

8.° Ecclesiae attribui non debere, quidquid Praesules caeco partium studio abrepti faciunt; proinde ipsi imputandum non esse, si qui Episcopi, vel olim vexaverint, vel etiamnum vexent viros Catholicos qui accurata & dilucida fidei professione edita, de factis personalibus aut textualibus bona fide dubitant.

Ex his sequitur Ecclesiae intentionem, quando imperat ut librorum haereticorum damnationi subscribatur, non esse, ut facta alioqui dubia, propter suam solum auctoritatem certo credantur; sed ut, supposita factorum certitudine & evidentia, sub auctorum nominibus, error ipse securius damnetur. Id demonstratur 1.° ex eo quod Ecclesia auctorum non minus, immo saepius quam librorum, damnationem imperaverit; quamvis adversarii fateantur Ecclesiam, quando de personis iudicat, falli posse, nec exigere posse vi solius suae definitionis, ut personalibus factis, a se definitis, fides habeatur: 2.°

Ex eo, quod quando viri Catholici bona fide dubitarunt, utrum is revera librorum sensus foret, qui illis attribuebatur, nullam circa hoc querelam moverunt Summi Pontifices, ut in negotio trium Capitulorum accidisse narravimus: 3.° ex eo, quod Ecclesia haud agere fert, si quae facta a se definita, sine Schismatis vel erroris periculo, in dubium revocentur, vel etiam aperte negentur; ut quotidie contingit, respectu factorum Theodoreti & Honorii, quod certe Ecclesia non sineret, si huiusmodi quaestiones, infallibili iudicio a se terminatas crederet. Hinc Baronius ad an. 681. n. 39. *In iis*, inquit, *quae ad fidem spectant, plane religio est vel latum unguem, ab his, quae in Sancta Synodo sunt statuta recedere: at in iis quae ad personas attinent & scripta earum, non ita rigide reperitur custodita censura.*

Instant: Ex dictis sequeretur iudicium Ecclesiae circa facta istiusmodi inutile esse: vel enim aperta est librorum impietas, vel controversa; si aperta, frustra declaratur; si controversa, iudicium quoque Ecclesiae controvertetur.

Nego sequelam: Nam ubi manifesta est librorum pernicies, superfluum quidem est declarare talem errorem in eis contineri, non tamen supervacaneum est eos damnari; quia haec damnatio maiorem haereseos & haereticorum terrorem incutere potest. Ubi vero controversa est libri impietas, Ecclesiae definitio interdum utilis est ad regimen externum; quemadmodum supremae Curiae, etsi falli possunt, non tamen frustra iudicant: verum hoc in casu Ecclesia non exigit ut captivetur intellectus in ipsius obsequium, sed vetat tantum ne Decreta sua contemnantur aut aperte impugnentur.

Obiiciunt III.° Concilium Nicaenum non tantum fidei professioni, sed Arii quoque damnationi subscribi iussit, ut testatur oculatus testis Eustachius Antiochenus apud Theodoretum Lib. 1. Hist. Cap. 8. „ Ariani, inquit, metuentes ne tot Episcopis in unum „ congregatis ipsi Ecclesia eiicerentur, in medium prosilientes, dog„ ma quod improbatum fuerat, anathemate damnarunt, & libello „ qui unanimi omnium consensu conscriptus fuerat, propria manu „ subscripserunt “. Respondetur facto Arii.

Respondeo 1.° non scripta tantum, sed personam quoque Arii in Nicaena Synodo damnatam esse; adeoque inde adstrui non posse infallibilitatem Ecclesiae quoad facta textualia, quin quoad personalia quoque adstruatur.

Respondeo 2.° Arii impietatem adeo apertam & evidentem fuisse, ut de illa dubitari nullo modo posset. Ipse Arius in Synodo praesens dixerat, filium Dei esse, ex non extantibus, aliasque blasphemias vomuerat quarum horrore Episcopi aures sibi obturaverant: Libellus eius, *Thalia* cognominatus, manifestos errores prae se ferebat. Igitur audiri non debuit, quando specie tenus Catholicum agens declarabat, solum Pauli Samosatheni ac Sabellii errorem in voce *consubstantialis* a se impugnari. Unde etiamsi Synodus Nicaena eius condemnationi omnes subscribere iussisset, non facti obscuri fidem, sed manifesti haeretici damnationem imperasset.

Respondeo 3.° Synodum Nicaenam nunquam imperavisse (quod tamen in re manifesta pro suo iure poterat) ut anathema diceretur Ario; sed tantum ut fidei professioni subscriberetur. Nihil aliud significant Eustachii verba: Libellus enim cui Arianos Episcopos subscripsisse testatur, ipsa fidei professio est, non Arii damnatio. Hinc S. Basilius Epist. 78. nihil aliud ab Arianis ad Ecclesiam redeuntibus exigendum decernit, quam ut professioni fidei Nicaenae subscriberent; & Epist. 75. testatur eamdem B. Athanasii sententiam fuisse.

Instant: Eusebius Nicomediensis, & Theognis Nicaenus, in libello supplici quem refert Socrates Hist. Eccles. Lib. 1. Cap. 10., referunt, ideo se damnatos fuisse, quod fidei professione subscripta, Arii damnationi consentire noluissent. „ Significamus vobis, inquiunt, nos fidei quidem subscripsisse, anathematismo vero noluisse subscribere; non quod fidem reprehenderemus, sed quia minime credebamus illum qui accusatus fuerat eiusmodi esse, cum partim ex iis quae ad nos per litteras scripserat, partim ex eius Sermonibus, in conspectu nostro habitis, compertum haberemus illum talem non esse “: Ergo Ecclesia non passa est ut factum a iure distingueretur.

Respondeo 1.° Ad summum sequi, Ecclesiam id passam non esse, quando factum fuit evidens, & a viris legitime suspectis negatum, non autem quando facta obscura & a viris catholicis optima fide controversa fuerunt.

Respondeo 2.° Memoratum libellum aut supposititium esse, aut si germanus est demonstrare, distinctionem iuris & facti tunc admissam fuisse. Hic libellus multis suspectus fuit, eo quod multa falsa de Eusebio & Theogni a Socrate referantur: refert namque Lib. 5. illos una cum tribus aliis Episcopis subscribere noluisse.

ideoque a Synodo Nicaena depositos, & a Constantino in exilium missos, quamvis certum sit omnes Episcopos, exceptis Theona Marmaricae & Secundo Ptolemaidis, Synodo consensisse, fideique professioni subscripsisse, ut testantur Patres Concilii in Synodica Epistola, S. Athanasius Lib. de Decretis Synodi Nicaenae, & Eustachius apud Theodoretum Lib. 1. Cap. 8. &c. Fatetur D. *Tournely*, Socratem in eo graviter lapsum esse: fatetur etiam Eusebium & Theognim teste Philostorgio nonnisi tribus post Concilium mensibus damnatos fuisse caussam vero eorum depositionis non fuisse, quod Arii damnationi subscribere noluissent, sed *ipsorum impietatem & communionem quam cum Arianis a Concilio Nicaeno reprobatis habuerant*, docet Epistola Synodica Concilii Alexandrini anni 339. Eamdem ipsorum exilii caussam memorat Constantinus Imperator in Epist. ad Nicomedienses Tom. 2. Concil. pag. 283. „ Quosdam Alexandrinos, inquit, qui a fide nostra defecerant, hac „ mitti iusseram, quandoquidem eorum operâ dissidii flamma in„ censa erat. Sed illi honesti bonique scilicet Episcopi (Eusebius & Theognis) „ quos vera Concilii diiudicatio ad poenitentiam re„ servaverat, non solum eos admiserunt ad se, & secum tuto col„ locarunt, verum etiam depravatis illorum moribus, communica„ runt. Quamobrem ingratos istos aliquo modo puniendos esse cen„ sui, & iussi, ut a suis abrepti sedibus, longissime relegarentur „. Socrates igitur parum perspecta habuit quae duos illos Episcopos spectant; ideoque Antonius Arnaldus, Apologiae Monialium Portu-Regiensium Lib. 4. Cap. 9. D. *Hermant* in Elucidationibus in vitam S. Athanasii, D. *De Tillemont* adnotat. 8.ª in Historiam Arianorum, & P. Natalis Alexander Tom. 8. Hist. Eccles. libellum supplicem supra memoratum spurium esse opinati sunt. Verum aliter sentiunt Valesius, & postremus editor operum S. Athanasii, quorum sententiae libentius adhaererem. Ut sit, ex hocce libello adeo nihil adversus propositionem nostram concludi potest, ut e contrario non parum roboretur.

Postrem. edit. p. 210 & sequ. Tract. de Eccles T. 8. p 487.

Ibid. pag. 484.

Certum est enim, Eusebium & Theognin, oblato illo libello, statim in suas sedes restitutos esse, quamvis Ario anathema, non dicerent, sed postularent, ut quoniam ille iam receptus fuerat, ipsi quoque in integrum restituerentur: „ Quoniam, inquiunt, eum „ qui de his reus agebatur, reverentiae vestrae visum est cum huma„ nitate recipere, & ad vos accersere; alienum a ratione esset, si „

„ illo qui crimine implicatus videbatur accersito, & ab his quo- „ rum insimulabatur purgato (μὴ δοκοῦντος εἶναι ὑπευθύνου ἀνακεκλημένου, καὶ ἀπολογισαμένου ἐφ' οἷς ἐβάλλετο) „ nos silentio nostro nosmetipsos „ criminis convincere videremur“. Tunc ergo non agebatur de Arii damnatione, utpote qui subdole admissus fuerat in Ecclesiam, sed de sola fidei professione, cui cum dudum subscripsissent ambo Episcopi, nihil caussae esse dicebant, cur non statim Sedes suas recuperarent. Et sane hi Episcopi damnationi Arii in Synodo Nicaena subscripserat: testatur enim Sozomenus Lib. 1. Hist. Cap. 10. „ Eusebium Nicomediae & Theognim Nicaenae Episcopum, „ quamvis Formulae fidei consentirent, minime tamen Arii appro- „ basse abdicationem, nec ei (in Concilio) subscripsisse“. Et Socrates, relato eorum libello: „ Coniicio, inquit, istos fidei qui- „ dem quae in Concilio edita fuerat subscripsisse; depositioni autem „ Arii consentire noluisse“. Atqui certum est eos in Synodo Nicaena depositos non fuisse: Ergo Nicaeni Patres censuerunt, damnari non debere, qui fidei subscriberent, etiamsi Arii damnationi consentire dubitarent, seu qui factum a iure secernerent. Si autem ita se gesserunt in facto manifesto & evidenti, quanto magis in factis obscuris & inter doctos disputatis, eadem agendi ratio tenenda est?

At, inquiunt, Eusebius & Theognis in dicto libello Arium damnaverunt. Postquam dixerunt idcirco se eius damnationi non subscripsisse, eo quod persuasum haberent talem illum, qualis existimabatur, non fuisse (πεπληροφορημένοι μὴ τοιοῦτον εἶναι) addunt; „ Quod si persuasum fuerit Concilio vestro Arium, talem esse, „ qualis accusatus fuit, non repugnantes sed consentientes iis quae „ a vobis decreta sunt, etiam hoc libello consensum nostrum con- „ firmamus, non quod exilium graviter feramus, sed ut haereseos „ suspicionem declinemus, si in conspectum vestrum nos venire „ patiemini, invenietis nos in omnibus concordes, & Decretis ve- „ stris mordicus inhaerentes“.

Respondeo hanc versionem non accuratam esse. In Graeco habetur: εἰ δὲ πεισθείη ἡ ἁγία ὑμῶν Σύνοδος, οὐκ ἀντιτείνοντες, hoc est, *si vero persuasa fuerit Sancta vestra Synodus, non renitentes &c.*; quae verba, cum sint indefinita, ex adiunctis exponi debent. Porro evidens est, Eusebium & Theognim non alloqui Nicaenam Synodum, cui perspecta fuerat Arii impietas & blasphemia. Sed aliam Synodum quae tum habebatur, aut recens habita fuerat, & in qua Arii

caussa

caussa denuo iudicata, ipse tanquam catholicus receptus fuerat. Dicunt autem, quod notandum est, non Arium resipuisse, poenitentiam egisse, erroresve suos retractasse, sed *purgatum esse ab illis, quorum insimulabatur* (απολογισαμενε εφ οις εξεβαλλετο) id est, innocentem esse repertum; adeoque Synodum Nicaenam, circa illius mentem errasse. Quod igitur addunt: „ *Si persuasa fuerit vestra Synodus*, seu, ut Valesius vertit, *quod si Sanctissimo vestro Concilio satisfactum fuerit*, vel, ut Christophorsonus, *quod si Sanctum vestrum Concilium verbis nostris fidem adhibere volueris*, hunc sensum habere videtur: Si iam persuasum est vestro Concilio, Arium non talem fuisse qualis creditus est (μη τοιουτον ειναι), si ab eo vobis satisfactum est, utpote iam recepto & purgato, in nullo amplius a vobis dissentimus; siquidem illud unum de quo disputatio esse videbatur, Arii nempe damnationem, de medio sustulistis. Aliunde adversariorum interpretatio admitti non potest, quin Eusebius & Theognis secum ipsis pugnent dicendo: ex una parte se Arii damnationi consentire, ex altera Arium, facta doctrinae suae apologia, catholicum repertum fuisse.

Obiiciunt 4.° Licet Origenis factum a multis controverteretur, Ecclesia tamen praecepit sub poena excommunicationis, ut eius damnationi subscriberetur. Id constat, inquiunt, 1.° ex S. Hieronymi Epistola ad Pammachium, & Oceanum: „ ad subscriptionem, inquit, tergiversantur (Origenistae) quaeruntque suffugia . . . si „ quando urgeri coeperint, & aut subscribendum eis fuerit, aut „ exeundum de Ecclesia, miras strophas videas. Sic verba tempe„ rant, sic ordinem vertunt, & ambigua quaeque concinnant &c.“, 2.° Posthumianus apud Severum Sulpicium, Dialogo 1.° narrans dissidia, quae Alexandriae inter Episcopos & Monachos Nitriae, occasione librorum Origenis orta fuerant: „ Septimo die, inquit, Ale„ xandriam pervenimus, ubi foeda inter Episcopos & Monachos „ certamina gerebantur, ex ea occasione, quia congregati saepius in „ unum Sacerdotes, frequentibus decrevisse Synodis videbantur, ne „ quis Origenis libros legeret vel haberet, qui tractator Sacrarum „ Scripturarum peritissimus habebatur. Sed Episcopi, quaedam in „ libris ipsius insanius scripta memorabant, quae adsertores eius „ defendere non ausi, ab haereticis potius fraudulenter inserta dice„ bant: & ideo non propter illa, quae in reprehensionem merito „ vocarentur, etiam reliqua esse damnanda, cum legentium fides

Respondetur facto Origenis.

Edit. Lugdun. an. 1530. T. 2. pag. 192.

„ facile possit habere discrimen, ne falsata sequeretur". Addit „ saevo exemplo, ad regendam Ecclesiae disciplinam Praefectum assumptum esse, cuius terrore dispersi fratres, ac per diversas oras „ Monachi sunt fugati, ita ut propositis edictis, in nulla consistere „ sede sinerentur". Porro, pergunt, illos Monachos, solam Origenis personam, non vero eius errores defendisse, testis est praeter Posthumianum S. Hieronymus in Epistola ad Pammachium & Marcellam 87. olim 78. „ En, inquit, Papa Theophilus, tota arguit „ libertate haereticum esse Origenem; nec illi (eius defensores), „ verba defendunt, sed fingunt ab haereticis immutata, multorumque dicunt libros similiter depravatos". Ergo Ecclesia circa facta textualia & dogmatica, falli non potest.

Respondeo adversarios nimis probare. Consentiunt enim Ecclesiam falli posse, ubi de personis & de librorum interpolatione agitur. „ Prima quaestio, ait D. Tournely, utrum hic vel ille liber, „ sit huius vel istius auctoris, integer & sincerus, an vitiatus, & „ interpolatus, est facti puri, simplicis, & mere, ut vocant, personalis, quam supponit Ecclesia, non definit, & in qua falli absolute potest, & fallere, cum pendeat ex testimonio hominum." Atqui in disceptatione cum Origenianis orthodoxis de sola persona Origenis, & de librorum eius sinceritate vel interpolatione agebatur, ut demonstrant testimonia quae proferuntur ab adversariis. Ergo vel nihil probant, vel contra seipsos probant.

Tract. de Eccl. T. 2. p. 496.

Triplicis generis fuerunt Origenis defensores. Primi errores illius defendebant, negabantque esse errores: secundi, clare & aperte damnabant errores ei attributos, sed ipsum purgabant, dicebantque vel hos errores aliena manu libris eius insertos, vel ipsius verba in sensu catholico accipienda esse: tertii, Origenis personam ita tuebantur, ut errores ei attributos non aperte damnarent, sed obscuris implicatisque professionibus fidem suam involverent. Primos Ecclesia tanquam haereticos merito damnavit. Secundos pro Catholicis semper habuit, ut patet ex S. Hieronymo, qui, licet Epist. 59. & 61. & in Apologia 1. contra Rufinum, plurimas impietates contra fidem SS. Trinitatis Origeni attribuerit, Dydimum tamen, Origenis de illo mysterio dicta catholice exponentem, Catholicum fuisse pronunciat. „ Dydimus certe", ait Apologiae 2. contra Rufinum Cap. 4. „ in Trinitate Catholicus est . . . Non negat ab „ Origene scripta, quae scripta sunt, sed nos simplices homines, non

Edit. Lugdun. 1530 Tom. 2. pag. 212.

„ posse intelligere quae dicuntur, & quo sensu, in bonam partem „ accipi debeant, persuadere conatur". Et Apologiae 3. Cap. 7. Ibid. pag 145. „ In Dydimo & memoriam praedicamus, & super Trinitate fidei „ puritatem": Tertios ut suspectos merito habuit Ecclesia: „ Cur „ aliud interrogatus, aiebat S. Hieronymus in Epist. adversus erro„ res Ioannis Ierosolymitani, respondes aliud"? Et postea: „ Tu Ibid. pag. 167. „ igitur aut libere nostra profitere, aut constanter tua loquere". Pag. 172. Et in Apologia 2. contra Rufinum Cap. 1. „ Fatere simpliciter, & Ibid. pag. 216. „ nos libera scrupulo". Videte 2.^{am} Apologiam Cap. 9. & Epist. 65. ad Pammachium. Verum cessabat omnis suspicio, quando hi fidem suam aperte & sine ambagibus declarabant, etsi Origenis sensum defendere non desisterent. Hinc S. Hieronymus in Epist. adversus errores Ioannis Ierosolymitani, „ aut nega, inquit, hoc di- Ibid. pag. 165. „ xisse eum (Origenem) qui arguitur; aut si locutus est talia, „ eum damna qui dixerit". Igitur Ecclesia non alios coegit Origenem damnare, quam qui errores ipsi attributos defendebant, caeteros vero de Origenis sensu bene existimare permisit, modo fidem catholicam, sine ambagibus profiterentur.

S. Hieronymum de solis haereticis, Origenis defensoribus, in locis memoratis locutum esse constat, tum ex verbis, quae adversarii proferunt, tum ex indiciis quae profert, subdolae ac perversae illorum doctrinae.

Monachis Nitriae imputabat Theophilus in Epist. ad S. Hieronymum, quod Origenis erroribus adhaererent: verum partium Tom. 1. Operum S. Hieron. pag. 314. & 315. studio vel praeoccupatione, vel ut duritiem, qua cum eis egerat, excusaret, id effutiit. Nam Posthumianus apud Severum Sulpicium asserit, illos omnino alienos fuisse a tuendis erroribus, sed existimasse hos errores libris Origenis extranea manu, assutos fuisse. Cur ergo, inquies, tam dure a Theophilo excepti sunt? Respondeo 1.° illos, iuxta Posthumiani narrationem, non ideo praecise vexatos esse, quod Origenem damnare nollent, sed quod a librorum eius lectione, desistere recusarent, ut patet, tum ex verbis in obiectione allatis, tum ex iis, quae paulo post sequuntur: „ Adversus haec, inquit, Epi„ scopi, obstinatius renitentes, pro potestate cogebant, recta etiam uni„ versa, cum pravis, & cum ipso auctore damnare; quia satis super„ que sufficerent libri, quos Ecclesia recepisset: respuendam penitus „ esse lectionem, quae plus esset nocitura insipientibus, quam profu„ tura sapientibus". Porro, a lectione Origenis, salva conscientia

abftinere poterant, immo debebant illi Monachi, maxime cum fa-terentur multos errores, licet aliena manu infertos, in illius libris reperiri. Refpondeo 2.° in Theophilo effe quod merito reprehendas; cum Monachis enim Sanctiffimis, licet forfan hoc in capite pertinacioribus, benigne agi poftulabat, charitas Ecclefiae: „ Etfi „ fortaffe videantur Epifcopis parere debuiffe “, ait Pofthumianus ibidem, „ non ob hanc tamen cauffam multitudinem tantam, fub „ Chrifti confeffione viventem, praefertim ab Epifcopis, oportuit „ affligi “. Illam duritiem in Theophilo non mirabitur, nec excufare curabit, quifquis attenderit quam inique S. Ioannem Chryfoftomum, coacto apud Quercum Conciliabulo depofuerit, & in exilium amandari fecerit.

Refpondetur facto Pelagii.

Obiiciunt 5.° Pelagius & Caeleftius, tanta arte errores fuos occultabant, ut vix deprehendi poffent; tamen Ecclefia praecepit, ut lato in eos anathemati, omnes eorum affeclae fubfcriberent: „ Damnent “ inquiebat S. Leo Epift. 6. olim 86. ad Nicaetam Epifcopum Aquileienfem, loquens de Pelagianis in communionem recipiendis, „ damnent apertis profeffionibus fuis, fuperbi erroris auctores, & quidquid in doctrina eorum univerfalis Ecclefia exhorruit, „ deteftentur; omniaque decreta Synodalia quae ad excifionem huius „ haerefeos, Apoftolicae Sedis confirmavit auctoritas, amplecti fe & „ in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propria manu fubfcriptis proteftationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obfcurum, „ nihil inveniatur ambiguum “. Ergo &c.

Refpondeo: adeo evidens fuiffe Pelagium & Caeleftium negaffe peccatum originale, aliofque errores docuiffe, propter quos ab Ecclefia eiecti funt, ut de hoc facto, nulla cum eorum difcipulis difputatio fuerit. Non enim hi, de Pelagii mente dubitabant, fed eius errores pertinaciter defendebant, ut conftat ex S. Auguftini cum Iuliano concertationibus; adeoque quaeftio non facti, fed iuris fuit; quo in cafu falubriter praecipitur, ut qui de haerefi fufpecti funt, haereticorum damnationi fubfcribant. Aliunde S. Leo, ipfos erroris auctores, id eft Pelagii & Caeleftii perfonas, damnari iubet, quod eft factum perfonale, circa quod Ecclefiam falli poffe, concedunt adverfarii. Quod aiunt, Pelagium Caeleftiumque fumma cum fraude errores fuos occultaffe, non inficior, fed eos Ecclefiae & Catholicis Epifcopis, non fuis difcipulis occultabant; & ita occultabant, non ut fcripta fua catholice exponerent, fed ut negarent fe dixiffe aut fcripfiffe, quae dixiffe

aut scripsisse accusabantur. Sic se gessit Pelagius in Concilio Diospolitano, unde anathematizatus exiisset, nisi errores suos anathematizasset, ut narrat S. Augustinus in libro de gestis Pelagii. Hinc Aurelius & alii Episcopi, in Epist. ad Innocentium I. inter Augustinianas 177. alias 195. n. 15. „ Anathematizet, inquiunt, Pelagius scripta sua . . . aut si sua esse negat, aut Scriptis suis ab inimicis suis dicit immissa esse quae sua esse negat, anathematizet ea tamen & damnet “. Igitur manifesta erat Scriptorum Caelestii & Pelagii impietas, ac si qua obscuritas erat, haec non librorum, sed auctorum erat, in quantum aliquandiu incertum fuit utrum libri qui eis attribuebantur, revera illorum essent. At brevi frontem retexerunt, Ecclesiaeque decretis pertinaciter obsistendo, quos ad tempus dissimulaverant errores, publicam in lucem protulere.

Obiiciunt 6.° De mente & sensu Nestorii, diu multumque dubitatum est, plurimis contendentibus eum in solo loquendi modo incaute peccasse, non in sensu. Apparet ex eius Serm. 5. n. 4. Serm. 13. n. 7. & Epist. 3. ad Caelestinum n. 2. eum non omnino recusasse B. Virginem, Θεοτόκον, Deiparam appellare. Personae Christi unitatem videbatur agnoscere Serm. 2. & Epist. 2. ad Sanctum Cyrillum. Revera Ioannes Antiochenus, Theodoretus, aliique Orientales, licet orthodoxi, ipsum pro catholico, & inique damnato, diu habuerunt; immo etiamnum inter heterodoxos non desunt, qui data opera illum vindicent, & contendant, de solo nomine tunc disputatum fuisse, ut videre est in historico & critico Dictionario D. *Bayle* ad vocabula, *Nestorius*, & *Rodon*. Nihilominus anathema Nestorio dixit Synodus Oecumenica Ephesina; Ioannesque & caeteri Orientales, non prius ad pacem admissi sunt, quam eius condemnationi consensissent. In Act. 1. Concilii „ Omnes Episcopi simul clamaverunt: Quicumque Nestorium non anathematizat, anathema sit . . . Omnes Nestorii Epistolam & dogmata anathematizamus . . . Impiam Nestorii fidem anathematizamus . . . Quicumque hunc non anathematizat, anathema sit “. Deinde quando Paulus, Emesenus Episcopus, Ioannis & Orientalium nomine, S. Cyrillum convenit, cum eo de pace acturus, non prius ad communionem admissus est, ut testatur S. Cyrillus in Epist. ad Theognostum & Charmosynum, quam „ obtulisset chartam, confitens quia Dei genitrix est Sancta Maria, & quia anathematizat Nestorii dogmata. Quia vero, addit, non venit chartam habens, quod

Respondetur facto Nestorii.

Tom. 1. Concil. Binii Part. 1. pag. 190.

In Collect. Concil. Baluz. Cap. 85. pag. 793.

„ anathematizaret Ioannes, Neſtorii dogmata . . . dixi quia non ei „ poſſumus communionem reddere, antequam faciat haec". Demum tunc demum concluſa pax eſt, cum Orientales damnationi Neſtorii ultro ſubſcripſerunt, ut refert idem S. Cyrillus in Epiſt. ad Donatum: „ Non prius, inquit, illum (Ioannem) ad Synaxim recepi, quam dato libello Neſtorii dogmata, ſuo ſcripto anathematizaſſet, ſeque illum pro depoſito habere confeſſus eſſet . . . Cum „ igitur piiſſimus Ioannes ſubſcripſiſſet, caeterique qui cum illo illuſtriores erant, cumque Neſtorii doctrinam anathematizaſſent, & „ quod ipſum pro depoſito haberent profeſſi eſſent, ac Maximiani „ religioſiſſimi piiſſimique Epiſcopi ordinationem approbaſſent, communionem illis reſtituimus". Qui vero ſubſcribere noluerunt, a communione excluſi manſerunt, inprimis Theodoretus, qui non niſi poſt biennium conſenſit. Multo poſt, cum Theodoretus ad Ioannem Antiochenum ſcripſiſſet, poſtulans ne Alexander Hierapolitanus, qui ſubſcribere conſtanter recuſavit, deponeretur, „ quia, „ inquiebat, quae docet ſunt orthodoxa, & ſilentium ſervat, Eccleſiae pacem in nullo contaminans", nihil obtinere potuit, ſed Alexander & caeteri Neſtorii defenſores damnati ſunt, & in exilium amandati, ut colligitur ex Synodico Cap. 148. 185. & 190. Demum Caeleſtinus Summus Pontifex, in Epiſt. ad Synodum Epheſinam, loquens de Neſtorianis ad Eccleſiam redeuntibus. „ In noſtro, „ inquit, Collegio noverint ſe non futuros, niſi ſecundum Eccleſiaſticum & Chriſtianorum Principum conſtitutum, damnata cum „ auctoribus ſociiſque damnantes, ſe profiteantur catholicos Sacerdotes". Ex his ſic arguunt: ſenſus Neſtorii dubius & obſcurus fuit: atqui tamen pax data non eſt Orientalibus, donec Neſtorii damnationi ſubſcripſiſſent: Ergo Eccleſia certo & infallibili iudicio definit, quaeſtiones etiam obſcuras, factorum textualium.

Conc. Binii Tom. 1. Part. 3. pag. 447.

In Collect. Conc. Baluzii.

Concil. Binii Tom. 1. Part 3. pag. 414. Col. 2.

Diſt. maiorem: Neſtorii ſenſus dubius & obſcurus fuit, id eſt obſcurus viſus eſt Patribus Epheſinis, nego; in ſeipſo, iterum diſtinguo; dubius & obſcurus fuit aliquandiu, concedo; ſemper, nego.

Minorem pariter diſtinguo: Orientalibus pax conceſſa non eſt, donec Neſtorii damnationi ſubſcripſiſſent; eo quod crederentur mala fide Neſtorium defendere, Eſto; quia Patres Epheſini credebant ſe in Neſtorii intelligentia ex Spiritus Sancti aſſiſtentia falli non poſſe, nego; adeoque nego conſequentiam.

Fateor Neſtorium haereſis virus non ita manifeſte propinaſſe,

quia quibusdam catholice sentire videretur: verum Patribus Ephesinis aliter visum est, persuasumque, de perversa illius mente, nisi mala mente, & haeretico animo, dubitari non posse, sic loquebantur in Epistola ad Imperatorem: „ Erant illa (Nestorii perversa dogmata) „ minime obscura, ut quae in Epistolis & libris eius di- „ lucide extarent expressa, & ex publicis eius Sermonibus clare au- „ dita fuissent . . . Neque enim dictitare cessabat, Deum dici non „ debere illum, qui nostri caussa, homo factus est &c. “. Illi ipsi qui Nestorio favere videbantur, non negabant multa in eius scriptis & Sermonibus durissima, immo haeretice contineri, sed credebant eius intentionem catholicam fuisse: v. g. Acacius Beroensis, in Epist. ad S. Cyrillum, fatebatur excidisse Nestorio quasdam voces minus accuratas, sed sensum ipsius, sanum & catholicum esse contendebat. Unde apparet, Orientales de personali Nestorii sensu, magis sollicitos fuisse, quam de illius scriptis. Caeterum, utut mens Nestorii obscura esse aliquandiu potuerit, certe post Ephesinum Concilium, neminem nisi admodum pertinacem, latere potuit. Contumax enim ad mortem usque mansit, nec pravos sensus sibi iniuste affingi conquestus est, sed Ecclesiam ipsam erroris insimulavit. Demum conclusa pace, quaestionibus maxima in luce positis, cum S. Cyrillus quidquid in suis anathematismis obscurum videbatur, catholice exposuisset, duasque in Christo naturas aperte professus esset, & absque ambagibus exclusi fuissent omnes vocis, *Deipara*, suspecti sensus, propter quos ab illa se abhorrere simulabat Nestorius; nihilominus & apertissimae veritatis luci, & amicorum monitis, & universae Ecclesiae concordissimae auctoritati, restitit. Hinc Ioannes Antiochenus, qui eius damnationi per aliquod tempus assentiri noluerat, re melius perspecta, ultro consensit; Theodoretusque, vir summae sinceritatis, qui in bona de Nestorio opinione diutius perstitit, tandem convictus, eum penitus abiecit, in libro *haereticarum fabularum*, eique in Concilio Chalcedonensi anathema pronuntiavit.

Tom. I. Concil. Binii Part. 2. pag. 215.

Tom. I. Concil. Binii pag. 136. & 147.

Iam vero, ideo Patres Ephesini Ioannem Antiochenum, aliosque Orientales damnarunt, quod eos Nestorii erroribus implicari, animoque haeretico Nestorium defendere, non sine fundamento supponerent. Hoc constat 1.° ex eo, quod haeresis tam clare a Nestorio tum in libris & Epistolis, tum in Sermonibus asserta esse eis videretur, ut de illa vix ambigi posse crederent. Constat 2.° ex relatione Synodi ad Imperatores per Palladium missa: „ Erat, in- „ quiunt, haec nostra de Ioanne Episcopo suspicio, non inanis, nec

Ibid. pag. 288.

„ vana. Nam cum primum appuliſſet, Neſtorii ſententiae ſeſe „ adhaerere aperte Sanctae Synodo declaravit; ſive hoc inde evenerit, quod amicitiae gratificaretur, ſive inde quod in dogmatis errore cum eo communicaret". In alia relatione ad eoſdem miſſa per Comitem Ioannem, aiunt ideo ſe in communionem Orientales recipere noluiſſe, „ quod aperte cum Neſtorio ſentirent". In alia cui titulus *De ſubſcriptione:* „ Neſtorium vindicant, inquiunt, eo „ quod eiuſdem cum illo ſententiae exiſtant". Demum in Epiſt. ad Clerum Conſtantinopolitanum, inter caeteras anathematis in Ioannem & ſocios lati cauſſas, iſtam memorant: „ Quod cum Neſtorio ſentire nunquam ceſſarent". Ideo igitur Orientalibus anathema dictum eſt in Synodo Epheſina, quod in Neſtorii errore verſari exiſtimarentur.

Ibid. pag. 292.

Ibid. pag. 295.

Ibid. pag. 297.

Huic ſuſpicioni non modicam occaſionem praebuerat ipſorum agendi ratio. Ioannes Antiochenus, cum quinque poſt Neſtorii damnationem diebus Epheſum adveniſſet, vehementer excandeſcens, quod non expectato ſuo adventu, nimia, ut putabat, feſtinatione familiaris ſuus damnatus eſſet, Concilium ingredi noluit, ſed una cum iis qui ſecum advenerant, numero circiter triginta, Pſeudo-Synodum habuit, in qua, depoſitis B. Cyrillo & Memnone Epheſino, caeteros Patres a ſua communione removerunt, donec anathematiſmos S. Cyrilli adverſus Neſtorium anathematizaſſent. Eam ob rem ab Epheſina Synodo, actione quinta, excommunicati ſunt „ donec „ ſeipſos condemnantes proprium delictum confiterentur". Suſpectos igitur Orientales non immerito faciebat: 1.° quod B. Cyrilli anathematiſmos damnaſſent: 2.° quod declaraſſent fidem Synodi Epheſinae ſibi non probari: 3.° quod nullam fidei ſuae profeſſionem emiſiſſent: 4.° quod Neſtorium aperte defenderent, nec exponerent quo in ſenſu illum tuerentur: 5.° quod etſi reipſa catholici, accurate tamen non loquerentur, ut apparet ex ſcriptis Theodoreti adverſus anathematiſmos S. Cyrilli, quae in quinta Synodo velut Neſtoriana poſtea damnata ſunt.

Ibid. pag. 249.

Igitur mirum non eſt, quod inter pacis conditiones poſtulatum fuerit, ut Ioannes Antiochenus Neſtorii damnationi aſſentiretur; verum aſſenſus ille in depoſitionem Neſtorii non ita rigide imperatus eſt, quin multi, quamvis de facto dubitarent, pace tamen potiti ſint. Theodoretus, Cyrenſis Epiſcopus, ad communionem, etſi Neſtorium damnare nollet, admiſſus eſt: „ Collocutus ſum", inquit

quit in Epist. ad Helladium Tharsensem, Synodici Cap. 160. „ Domino meo, Deo amicissimo Episcopo Ioanni, & inveni eum „ pro orthodoxia studiose certantem, & Ecclesiae unitionem fieri „ festinantem, & depositionis (Nestorii) subscriptionem, minime „ exigentem ab eis, qui facere nollent“. Et in Epist. ad Cyrillum Adanensem, ibid. Cap. 161. „ Secum nos iniustitiam facere „ nullus compellit, nec ad damnationem quisquam cogit insontis. „ Et haec manifeste cognovi, colloquens Domino meo ... Ioanni, „ & subtiliter eius intentionem comperiens“. Eodem modo secundae Ciliciae Episcopos admissos esse testatur idem Theodoretus, ibidem Cap. 160. Hocque momento Alexandrum Hierapolitanum, Helladium Tharsensem &c. ad amplectendam unionem adhortabatur. Tunc ergo admissa est iuris & facti distinctio, ubi salva fide fieri, dogmaque in tuto esse visa sunt. Hanc Ioannis Antiocheni indulgentiam, S. Cyrillus minime reprehendit, immo in Epistola ad Aristolaum Tribunum, Synodici Cap. 194. aiebat: pacifice ac paulatim adducendos esse qui possent ad damnandum Nestorium: „ Dignare, inquit, omnium iuvando opinionem, praeparare illos „ anathematizare Nestorium, & polluta eius dogmata“. Equidem in Epist. ad Ioannem Antiochenum, Synodici Cap. 210. queritur quod Theodoretus admissus fuisset, non subscripta depositione Nestorii; sed peculiaris caussa erat, id a Theodoreto exposcendi, qui contra S. Cyrillum scripserat, quemque Cyrillus mala fide pacem amplexum esse, suspicabatur. Unde ait ibidem: „ Permanet forsan in „ eius blasphemiis. Et clarum est, si nec anathematizavit eas, quod „ neque pertulit eius deiectioni subscribere“. Ex quo apparet S. Cyrillum, Ioannem Antiochenum, & alios de Nestorii sensu parum sollicitos fuisse, & consensisse ut ille catholicus crederetur, modo ipsa fides sincera & orthodoxa foret, adeoque hoc exemplo, Ecclesiae in factis definiendis infallibilitatem everti potius quam evinci.

Collect. Concil. Baluz. pag. 859.

Ibid. pag. 916

At, inquiunt, Alexander Hierapolitanus & alii depositi sunt & sedibus suis eiecti, quia omnibus in damnationem Nestorii consentientibus, ipsi consentire noluerunt.

Respondeo hoc esse insigniter falsum. Non enim quia Nestorium damnare renuebant, depositi sunt; sed quia in schismate pertinaciter steterunt, quia modis omnibus invitati & rogati unionem amplecti constanter noluerunt, quia Cyrillum ut haereticum semper habuerunt, & cum eo communicare detrectarunt, quia ab ipsius

Ioannis Antiocheni, caeterorumque qui paci consenserant communione ultro recesserunt. Id patet ex Synodici Capp. 93. 94. 96. 100. & 104. ubi Alexander Andraeam, qui ad S. Cyrilli communionem
Ibid. pag. 809. redierat, sic alloquitur: „ Impius Cyrillus haereticus est, & qui „ ei, sicut scripsit, illam chartulam obtulerunt (Ioannes & alii) „ cooperatores facti sunt magisque Principes perditionis contra orthodoxam fidem “. Et postea: „ Nec vobis nec Cyrillo communico, non anathematizanti evidenter hanc haeresim, neque communicantibus ei “. Frustra Theodoretus, multis Epistolis ad eum scriptis, conatus est ad unitatem, & pacem amplectendam eum adducere; nunquam viri obstinationem vincere potuit. E contrario Ale-
Ibid. pag. 845. xander in Epistola ad Theodoretum, Synodici Cap. 147. „ Spero, „ inquit, quod nullius metuam minas, ut aut impio Cyrillo communicem, aut orthodoxiae proditoribus . . . Nec si mihi totum „ caelorum regnum Ioannes dederit . . . ei communicare sustinebo, nisi prius correcta fuerint consequenter illa, quae per orbem „ terrarum sunt operata hoc naufragium fidei “. Quid mirum, si vir adeo pertinax; & qui cum ipso schisma fecerunt, depositi sunt? Sane si Cyrillo & Ioanni communicare voluissent, tam in gradu mansissent, quam ipse Theodoretus, Helladius, & Secundae Ciliciae Praesules qui, licet de Nestorii sensu dissentirent, ad pacem admissi sunt. Quin immo eorum nonnulli postea in integrum restituti sunt, etiamsi Nestorii depositioni nondum assentirentur, ut Agilinus Bar-
Ibid. pag. 886. balissi Euphratesiae ex Synodici Cap. 190.

Addo: adversarios nihil proficere, etiamsi probarent omnes qui Nestorio anathema dicere recusarunt, depositos fuisse. Factum Nestorii erat personale: Ipsemet damnatus & depositus fuerat in Synodo Ephesina: solam eius personam defendebant Orientales: scripta vero & dicta, parum accurata esse, non inficiabantur: Demum qui anathemati subscribebant non sola Nestorii scripta damnabant, sed ipsummet merito depositum fuisse declarabant: proinde hoc exemplum aut nihil probat, aut probat Ecclesiam circa facta personalia falli non posse: Atqui adversarii confitentur eiusmodi iudicia non esse infallibilia: Ergo ex Nestorii damnatione, nullum praesidium caussae ipsorum accedit.

Respondetur expostulationibus Conc. Chalcedonensis adversus Theodoretum.

Obiiciunt 7.° illud quod Theodoreto in Concilio Chalcedonensi contigit. Quamvis velut sanae doctrinae Episcopus a S. Leone agnitus fuisset, tamen statim atque Synodum ingressus est, Aegy-

ptii, Illyriciani, & Palaestini Episcopi clamaverunt Act. 1.ª „ Miseremini, fides perit. Istum canones eiiciunt; hunc foras mittite: Magistrum Nestorii foras mittite ". In Actione 8.ª caussa eius examinata est, ac tandiu pro haeretico habitus est, donec dixisset „ clare anathema Nestorio ". Ergo Synodus Chalcedonensis censuit, consentiendum esse factis ab Ecclesia definitis.

Tom. 1. Concil. edit. Binii pag. 44.

Ibid. pag. 274.

Respondeo 1.º factum Nestorii, ut modo observatum est, personale fuisse; huiusmodi autem facta, certo & irreformabili iudicio ab Ecclesia, fatentibus adversariis, non definiri: Proinde totum hoc argumentum in fumum abire.

2.º Factum Nestorii, adeo notorium erat tempore Concilii Chalcedonensis, ut vix nisi malo animo negari posset; cum & ab eius damnatione viginti anni effluxissent quibus in contumacia perstiterat, & omnes, qui prius eum excusaverant, de perversa eius mente convicti, in eius depositionem demum consensissent.

3.º Theodoreti fidem, plurimis suspectam faciebant scripta illius adversus S. Cyrillum, quae postea in quinta Synodo damnata sunt; adeoque quod cum eo gestum est, vim legis non obtinet.

4.º Quae tunc erga Theodoretum acta sunt, approbari, & in totam Synodum, absque gravi illius iniuria, refundi non possunt. Sic in actis Concilii factum refertur: „ Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Theodoretus modo anathematizet Nestorium ". Tum ille suam fidei professionem obtulit, legique postulavit; in quo certe nihil est quod iuste reprehendas. „ Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Nihil relegi volumus: modo anathematiza „ Nestorium. Theodoretus dixit, Ego . . . non solum Nestorium „ & Eutychem, sed & omnem hominem qui recte non sapit, aversor & alienum existimo. Et dum diceret haec, Reverendissimi „ Episcopi clamaverunt: Clare dic anathema Nestorio, & dogmatibus eius ". Quasi iam non dixisset, profitendo se aversari. Nestorium & Eutychem. Tam inurbana agendi ratione exasperatus „ Theodoretus, dixit: vere non dico nisi quomodo novi Deo placere. Prius satisfacio vobis . . . me esse orthodoxum, . . . & „ quia Nestorium & Eutychem, & omnem hominem dicentem vel „ opinantem duos filios, anathematizo ". En iterum anathema in Nestorium clare prolatum. „ Et cum diceret, Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Dic aperte anathema Nestorio, & qui ea, „ quae eius sunt sapiunt. Theodoretus . . . dixit: Ego, nisi expo-

Ibid. pag. 274. & 275.

„ ſuero quomodo credo, non dico. Credo autem. Et cum diceret, „ Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: *Iſte haereticus eſt, iſte Ne-* „ *ſtorianus eſt: haereticum foras mitte:* Theodoretus . . . dixit: „ Anathema Neſtorio, & ei qui non dicit Dei genitricem Virgi- „ nem Mariam, & qui in duos filios partitur, filium Dei unigeni „ tum . . . Glorioſiſſimi iudices dixerunt: omnis iam dubitatio d „ Theodoreto . . . ſoluta eſt; quippe & Neſtorium coram nob „ anathematizavit &c. . . . Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clam „ verunt: Theodoretus dignus eſt Sede". Profecto hic agendi m dus nimis turbulentus eſt, quam ut univerſae Synodo attribui pc ſit. Quid enim peccabat Theodoretus? Non renuebat Neſtoriu anathematizare, immo bis eum anathematizaverat; ſed prius le optabat ſuam fidei profeſſionem; quod procul dubio ad fidem ei purgandam, multo efficacius erat, quam anathema vagum & indefinitum. Probabile eſt igitur, confuſos illos clamores, non ab omnibus Epiſcopis, ſed a ſolis Illyrianis & Palaeſtinis Theodoreto infenſis, quique iam in prima actione, tumultum eius occaſione concitaverant, ſublatos fuiſſe. Hinc acta Concilii non referunt omnes Epiſcopos clamaſſe adverſus Theodoretum, ſed *Reverendiſſimos Epiſcopos;* cum vero admiſſus eſt, dicunt, *omnes Reverendiſſimos Epiſcopos clamaviſſe: Theodoretus dignus eſt Sede.*

5.° Attendendum eſt quod in praeſenti controverſia veluti lidius lapis eſt, quo fine illi Epiſcopi voluerint ut Theodoretus Neſtorio nominatim anathema diceret. Si enim eo fine, ut Theodoretus agnoſceret Eccleſiam circa Neſtorii ſenſum errare non potuiſſe, vicerunt adverſarii, vel potius ipſi nobiſcum victi ſunt; quandoquidem utrique ſentimus, circa auctorum mentem, Eccleſiae iudicium falli poſſe: Si vero ut, ſuppoſita facti veritate tanquam certa & evidente, de orthodoxa Theodoreti fide conſtaret; iam non facti, ſed iuris confeſſionem poſtularunt, vicimuſque adverſarios. Porro ex iis quae modo retulimus apparet, Theodoretum compulſum eſſe ad Neſtorium anathematizandum, non ut profiteretur Epheſinam Synodum in facti quaeſtione decipi non potuiſſe; ſed ut ſe a Neſtoriana haereſi purgaret. Hoc apparet, inquam, tum ex Epiſcoporum clamoribus, tum ex iudicum ſententia, tum ex Synodi iudicio. Epiſcopi clamabant, *Iſte haereticus eſt.* Quid ita? An quia non credebat, Eccleſiam circa facta infallibilem eſſe? Nequaquam: ſed quia ex illius, ut putabant, tergiverſatione ſuſpicabantur, eum

Nestorii errores occultare: *Iste*, aiebant, *Nestorianus est*. Posquam vero Theodoretus clare dixit anathema Nestorio, iudices dixerunt, *omnis iam dubitatio de Theodoreto soluta est*, id est, nullum de orthodoxa eius fide dubium superest: & universa Synodus, *Theodoretus dignus est Sede . . . orthodoxum Doctorem, Ecclesia recipiat*. Ergo illa concertatio non circa factum, sed circa ius solum versabatur.

Obiiciunt 8. Flavianus iussit Monachos sententiae adversus Eutychem latae subscribere; & Concilium Chalcedonense, Act. 4. Episcopos Aegyptios, etsi se in omnibus Ecclesiae catholicae consentire, & haereticos omnes aversari profiterentur, tamen Eutycheti nominatim, & absolute anathema dicere coegit.

Respondetur facto Eutychetis.

Tom 4. Concil. Binii pag. 233. 234. 235.

Respondeo 1.° Manifestam fuisse Eutychetis impietatem; nec de facto, sed de solo iure controversiam fuisse. Aliunde Aegypti Episcopi, circa fidem non leviter suspecti erant, quippe qui cum Dioscoro Alexandrino, maximas in latrocinio Ephesino partes habuissent. Demum non de scriptis proprie agebatur, sed de ipsa persona Eutychetis, adeoque de facto personali, in cuius disquisitione, ex omnibus Theologis, Ecclesiae iudicium errare potest.

Resp. 2.° Aegypti Episcopos non abnuisse Eutychetem damnare, sed distulisse, donec in locum Dioscori alius Archiepiscopus creatus esset. Dicebant enim sibi non licere aliter quam praeeunte Archiepiscopo sententiam ferre, moriturosque se cum in Aegyptum revertissent, si quidquam aliter decernerent, quia, inquiebant, *de fide est certamen*. Non ergo mera facti quaestio tractabatur. Demum ex iudicum sententia fideiussoribus datis, promiserunt se non egressuros urbem, donec sibi Archiepiscopus datus esset, tuncque Synodi iudicio libenter assensuros. Porro Synodum de iure tantummodo sollicitam fuisse hinc apparet, quod permiserit Carosum Archimandritam hoc modo subscribere, *si non credit Eutyches sicut credit universalis Ecclesia, anathema sit*.

Resp. 3.° Concilium Chalcedonense Dioscori damnationem non minus quam Eutychetis imperasse; cum tamen Dioscorus non propter errores, sed propter crimina depositus fuerit, & circa huiusmodi facta iudicium Ecclesiae, fatentibus omnibus, non sit irreformabile. Ergo ex Concilio Chalcedonensi nihil contra nos concludi potest.

Obiiciunt 9.° factum trium Capitulorum. Cum, inquiunt, Theodori, Theodoreti, & Ibae scripta, in varios sensus exponeren-

Respondetur facto trium Capitulorum.

tur, aliis Nestoriana, aliis catholica esse asserentibus, habita est an. 553. Synodus quinta, non alium in finem, quam ut controversia illa definiretur. Ibi non solum tria Capitula damnata sunt, sed etiam anathematizati omnes, qui ea sive haeretico, sive catholico sensu defenderent. Id constat 1.° ex Canonum contextu: Collatione 8. Can. 12. „ Si quis, ait Synodus, defendit impium Theodorum & „ impia eius conscripta, . . . & non anathematizat eum & impia „ eius conscripta, & omnes qui suscipiunt & defendunt eum, & di- „ cunt orthodoxe eum exposuisse, & qui scripserunt pro eo, vel „ impiis eius conscriptis, & eos qui similia illis sapiunt, . . . ta- „ lis anathema sit “. Can. 13. „ Si quis defendit impia Theodo- „ reti conscripta . . . & non anathematizat ea, . . . talis anathe- „ ma sit “. Can. 14. „ Si quis memoratam impiam Epistolam „ (Ibae) defendit, & non anathematizat eam, & defensores eius, „ & eos qui dicunt eam rectam esse, vel partem eius, & eos qui „ scripserunt vel scribunt pro ea, . . . anathema sit “: Et post Canones sic addit. „ Facta autem a nobis, & condemnationem contra „ haereticos & eorum impietatem, necnon etiam contra eos qui „ defenderunt vel defendunt praedicta tria Capitula, & permanse- „ runt in suo errore vel permanent; si quis conatus fuerit contra „ haec quae pie disposuimus, vel tradere, vel docere, vel scribe- „ re, si Episcopus vel Clericus sit, iste . . . denudabitur Episco- „ patu, vel Clericatu: si autem Monachus, vel Laicus sit, anathe- „ matizabitur “. Constat 2.° ex Vigilio qui postquam quintae Synodo consensit, sic loquitur in Epist. ad Eutychium. „ Praedi- „ cta tria Capitula anathematizamus & damnamus ... Quin etiam „ quemcumque, qui crediderit, aliquo tempore ea Capitula debere „ suscipi aut defendi, vel conatus fuerit hanc praesentem condem- „ nationem subvertere, simili anathemati subiicimus “. Constat 3.° ex Edicto sive confessione Iustiniani Imperatoris, in cuius fine sic habet: „ Si quis igitur post huiusmodi rectam confessionem, & „ haereticorum condemnationem, salvo manente pio intellectu, de „ nominibus, vel syllabis, vel dictionibus contendens, separat se „ a Sancta Dei Ecclesia, tanquam non in rebus, sed in nominibus „ solis, & dictionibus posita nobis pietate, talis utpote disputatio- „ nibus gaudens, rationem pro semetipso, & pro deceptis & deci- „ piendis ab eo, reddet magno Deo & Salvatori nostro Iesu Chri- „ sto in die iudicii “. Constat 4.° ex confessione Catholicorum

Tom. 2. Concil. Binii pag. 116. Col. 2.

Ibidem.

Concil. Labb. Tom. 5. p. 599

Concil. Binii Tom. 2. Part. 2. pag. 167.

qui tria Capitula defendebant. Facundus Lib. 2. Cap. 3. „ Omittimus dicere, inquit, quoniam si communicamus iis qui nobis „ dixerunt anathema, non solum condemnationi Synodi Chalcedonensis communicabimus, verum & sententias in nos eorum, ipsa „ eorum communicatione firmabimus “. Et postea: „ De medio tollant illud anathema, quod velut magnum chaos interiacens dividit „ &c. “. Idem repetit in libro contra Mocianum. Constat 5.° ex eo quod ipsimet Catholici coacti fuerint, trium Capitulorum damnationi subscribere, teste eodem Facundo Lib. 3. Cap. 1. „ Talis, „ inquit, data est contra consuetudinem, contraque humanitatem „ Formula subscribendi, quasi nemo aliter probari Catholicus posset, „ nisi Theodoro Mopsuesteno & eius dogmatibus anathema dixe- „ rit “. Testatur pariter S. Gregorius Magnus Schismaticos ad Ecclesiae communionem admissos non fuisse, nisi prius Capitulorum damnationi subscripsissent. Libro enim 3. Epist. 2. ad Constantium Mediolanensem refert. „ Laurentium Decessorem Constantii districtissimam cautionem Apostolicae Sedi emisisse, in qua viri nobi- „ lissimi & legitimo numero subscripserunt. Inter quos ego quo- „ que, inquit, Urbanam Praeturam gerens, pariter subscripsi: quia „ postquam talis scissura pro nulla re facta est, iustum fuit ut Se- „ des Apostolica curam gereret, quatenus unitatem universalis Ec- „ clesiae, in Sacerdotum mentibus per omnia custodiret “. Et in alia ad eumdem Epist. quae est 37. eiusd. libri, „ Cives Brixiae, „ ait, vobis mandant, ut eis Epistolam transmittatis, in qua iurare „ debeatis vos tria Capitula minime damnasse. Quod si decessor „ vestrae fraternitatis non fecit, a vobis quaeri non debet: si au- „ tem fecit, aut cum universali Ecclesia non fuit, aut cautionis „ suae iuramenta transcendit. Sed quia eumdem virum sua credimus „ Sacramenta servasse, atque in unitate Catholicae Ecclesiae per- „ mansisse; dubium non est quod nulli Episcoporum suorum iura- „ verit, se tria Capitula minime damnasse “. Et in Epist. *66.* Lib. *6.* alias *64.* Lib. 5. ad Athanasium Presbyterum de Isauria. „ Eam „ quoque Synodum, inquit, quae Iustiniani Imperatoris tempori- „ bus, de tribus Capitulis facta est, & suscipere & custodire pro- „ misisti “. Igitur quintae Synodi subscriptio, illi Presbytero imperata fuerat. Constat *6.°* quia quaestio de tribus Capitulis quaestio inter Catholicos praesertim agitata est: Qui enim pro illis Capitulis scripserunt, Liberatus, Facundus, Ferrandus, & aliquando

Vigilius, orthodoxi fuere; Summique Pontifices ut Schiſmaticos revocarent, nunquam dixerunt, quod tamen efficaciſſimum fuiſſet, nimirum quintam Synodum non ipſos, ſed ſolos Neſtorianos anathemate perculiſſe.

Ex illis omnibus ſic concludunt. Synodus quinta anathematizavit eos, qui, tametſi orthodoxam fidem profitentes, tria Capitula orthodoxe expoſita defendebant. Atqui eos illos non anathematizaſſet, niſi crediddiſſet, ſe controverſiam illam infallibili iudicio definiviſſe: Ergo revera in factis dogmaticis iudicium Eccleſiae falli non poteſt.

Reſp. 1.° In quinta Synodo non de ſcriptis tantummodo, ſed etiam de perſona Theodori actum eſſe, ipſique poſt mortem anathema dictum eſſe. Hoc quidem ab Illuſtr. Fenelonio Cameracenſi negatur in Documento 3. pag. 186. 263. & 265. Sed ex tota actorum ſerie certiſſimum eſt: Nam Iuſtinianus in Epiſt. qua agendorum in Synodo methodum, materiamque praeſcripſit, quaeque in Collatione prima lecta eſt, iuſſit ut ſedulo inquireretur non ſolum in Theodori ſcripta, ſed & in externa ipſius impietatis argumenta. Quoniam vero multi opinabantur, neminem poſt mortem anathematizari poſſe qui in Eccleſiae communione obierit, id quoque expendi iuſſit. „ Hortamur autem, inquit, etiam illud diſceptare, quod „ vane profertur ab iis, qui dicunt: non oportere poſt mortem hae„ reticos anathematizari ". Quamobrem in quarta Collatione lecta ſunt ſcripta Theodori, quorum manifeſta impietas identidem Epiſcopos concitavit, ut auctori anathema dicerent. In quinta lecta ſunt teſtimonia SS. Patrum, Imperatorumque Edicta adverſus eumdem Theodorum: Deinde inquiſitum, num haeretici poſt mortem anathematizari poſſint: Demum in octava Collatione Theodorus una cum ſcriptis ſuis anathemate perculſus eſt; cum e contrario ſola Theodoreti & Ibae ſcripta damnata ſunt, intactis eorum perſonis, eo quod in Concilio Chalcedonenſi, pro Catholicis agniti fuiſſent. Inde conficitur hoc argumentum invictiſſimum: Anathema quintae Synodi non ſola ſcripta, ſed ipſam Theodori perſonam ferit: atqui ex anathemate in Theodorum lato male concluderetur Synodum falli non potuiſſe circa facta perſonalia: Ergo ex anathemate adverſus Capitula pronuntiato male concludunt, Eccleſiam circa facta textualia falli non poſſe.

Concil. Binii Tom. 2. Part. 2. pag. 48. Col. 1.

Reſpondeo 2.° Solos Neſtorianos trium Capitulorum defenſores, anathemate perculſos eſſe. Id conſtat. 1.° Ex

1.° Ex actis Synodi. Epistola Iustiniani, seu formula Imperialis, quae caussam convocandae Synodi exponit, lectaque est in prima Collatione, expresse declarat eam habitam fuisse contra Nestorianos, qui errores suos ope trium Capitulorum disseminabant. „ Nestorii sequaces, ait Imperator, propriam impietatem applicare volentes Sanctae Dei Ecclesiae, & non potentes hoc per Nestorium facere, festinaverunt eam introducere per Theodorum Mopsuestenum Doctorem Nestorii, . . . nec non & per impia scripta Theodoreti, . . . & insuper sceleratam Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse, quae plena est omni impietate Theodori & Nestorii ". Et postea: „ Quoniam vero haeretici per omnia Theodorum & Nestorium & eorum impietatem vindicare volentes, sicut praedictum est, & susceptam esse dicunt a Sancto Chalcedonensi Concilio impiam Epistolam &c. hortamur vos considerare ea quae a Theodoro &c. ". Auditis Concilii habendi caussam fuisse Nestorianorum tribus Capitulis abutentium impietatem, non vero Catholicorum de illorum sensu disceptationem. Con. 1. 5. Tom. 1. Part. 2. pag. 17. Col. 1. Ibid. pag. 48. Col. 1.

Patres initio octavae Collationis: „ Quoniam videbamus, inquiunt, quod Nestorii sequaces conati sunt per Theodorum impium, & impia eius conscripta, & insuper per ea, quae impie Theodoretus conscripsit, & per Epistolam sceleratam quae ab Iba dicitur ad Marim Persam scripta esse, suam impietatem Dei Ecclesiae applicare; ideo ad eorum quae movebantur correctionem surreximus &c. ". Ibid. pag. 112. Col. 1.

Canones, seu anathemata, idem demonstrant. 12.^us sic habet: „ Si quis defendit impium Theodorum Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum, & alium Christum, . . . & tanquam purum hominem baptizatum esse, & alias impietates quae ibidem referuntur, . . . Si quis igitur impie defendit praedictum impium Theodorum & impia eius conscripta, in quibus tam praedictas, quam alias innumerabiles blasphemias effudit contra magnum Deum & Salvatorem Iesum Christum, & non anathematizat eum, & impia eius conscripta, & omnes qui suscipiunt vel defendunt eum, & dicunt orthodoxe eum exposuisse, & qui scripserunt pro eo, & eadem illi sapuerunt . . . talis anathema sit ". Videtis eos solos defensores Theodori damnari qui errorum eius & impietatum socii, eadem cum illo sapiebant. Frustra obiicerentur haec verba, *Et qui dicunt eum orthodoxe exposuisse*. Non enim di- Ibid. pag 116. Col. 2.

citur, *qui orthodoxe eum exponunt*, quod designaret Catholicos de illius sensu disputantes; sed, *qui dicunt eum orthodoxe exposuisse*, quod denotat Nestorianos, qui suum errorem a Theodoro traditum expositionem orthodoxam esse contendebant.

Canon 13.us „ Si quis defendit impia Theodoreti conscripta, „ quae contra rectam fidem & contra primam Ephesinam Sanctam „ Synodum & S. Cyrillum, & duodecim eius Capitula exposuit, „ & omnia quae conscripsit pro Theodoro & Nestorio impiis . . . „ defendens eos & *EORUM IMPIETATEM*, & propter hoc „ impios vocans Doctores Ecclesiae, qui unitatem secundum subsi- „ stentiam Dei Verbi ad carnem confitentur, & non anathemati- „ zat ea & eos qui similia eis sapuerunt, vel sapiunt, . . . talis „ anathema sit ".

Canon 14.us „ Si quis defendit Epistolam (Ibae) . . . quae „ abnegat quidem Deum Verbum, de Sancta Dei genitrice semper „ Virgine Maria incarnatum, hominem factum esse, dicit autem „ purum hominem ex ipsa natum esse, quem templum vocat, ut „ alius sit Deus Verbum, & alius Homo . . . si quis igitur memo- „ ratam impiam Epistolam defendit, & non anathematizat eam, „ & defensores eius, & eos qui dicunt eam rectam esse, vel eius „ partem & eos qui scripserunt vel scribunt pro ea, vel pro *IM-* „ *PIETATE* quae in ea continetur, & praesumunt eam defendere „ vel *INSERTAM EI IMPIETATEM* nomine SS. Patrum vel „ Sancti Chalcedonensis Concilii, in his usque ad mortem perma- „ nent; talis anathema sit ". Haec verba: *qui dicunt eam rectam esse, vel eius partem*, ex antecedentibus & consequentibus significant eos, qui impiam Nestorii doctrinam, quam in Epistola Ibae aut in aliqua eius parte contineri credebant, rectam sanamque esse praedicabant,

Ibid. Col. 2. Subscriptiones Episcoporum idem evincunt. His verbis subscripsit Eutychius Constantinopolitanus, quem caeteri secuti sunt: „ Condemno & anathematizo . . . impium Theodorum . . . una „ cum impiis eius conscriptis, & omnia quae impie Theodoretus „ conscripsit, . . . & impiam Epistolam, quae dicitur Ibae, & qui „ similia eis sapuerunt & sapiunt, & subscripsi ".

Et sane quis credat uno & eodem anathemate promiscue proscriptos fuisse orthodoxos & haereticos, quorum tam dispar caussa fuit?

Demum illi soli Capitulorum defensores damnati sunt, de quibus in actis passim agitur. Atqui hi non alii quam Nestoriani fuere: v. g. in quarta Collatione, lecto Theodori Symbolo, exclamarunt Episcopi: „ Anathema Theodoro Mopsuesteno. Iste Evange- Ibid pag. 61. Col. 1
„ lia reprobavit. Anathema illis qui non anathematizant eum.
„ Defensores eius Iudaei sunt: sequaces eius Pagani sunt ". Quinam, quaeso, Iudaeorum & Paganorum nominibus ibi notantur, nisi haeretici qui Incarnationem de medio tollebant? Quantumvis enim dicat Cameracensis, Synodum sic appellasse illos, qui suo de factis textualibus iudicio non assentiebantur, nemini sensato persuadebit. An v. g. Petavius, Sirmondus, aliique bene multi, qui Theodoreti scripta vindicarunt, pro Iudaeis & Paganis habebuntur?

3.° Quo iure Concilium 164. Orientalium, Catholicos de critica quaestione aliter, quam se, sentientes, id est maximam partem Episcoporum Galliae, Hispaniae, Liguriae, Aemiliae, Venetiae &c. anathematizasset? Absit a Patribus quintae Synodi tam inaudita temeritas.

4.° Summi Pontifices, quibus meliores illorum Canonum interpretes desiderari non possunt, adeo persuasi fuerunt, eos qui tria Capitula orthodoxe exponebant, damnatos non fuisse, ut ad haec damnanda nunquam eos compulerint, ut in probatione demonstravimus. Respondet Cameracensis eos indulgentia usos fuisse. Esto: saltem illa indulgentia supponit illos defensores Capitulorum anathemate innodatos non fuisse. Non enim cum excommunicatis communicassent Pelagius I. & II. & S. Gregorius Magnus? Verum eadem indulgentia etiamnum perseverat; quandoquidem Summis Pontificibus & Episcopis permittentibus Theodoreti & Ibae, sicut & Honorii scripta, a Theologis quotidie defenduntur.

Iam ad argumenta adversariorum singillatim respondeo.

Ad 1.um e Canonibus petitum modo satisfactum est. Quod post Canones subditur, est mera Canonum recapitulatio, spectatque haereticos in quatuor primis Conciliis damnatos, & eos, qui trium Capitulorum impietatem defendebant. „ Cum igitur haec ita recte
„ confessi sumus ", ait Synodus, „ quae tradita nobis sunt tam a
„ divinis Scripturis quam a SS. Patrum doctrina, & ab his quae
„ definita sunt de una eademque fide a praedictis Sanctis quatuor Con-
„ ciliis, facta autem a nobis & condemnatione contra haereticos &
„ eorum impietatem, nec non etiam contra eos, qui defenderunt

„ vel defendunt praedicta impia tria Capitula, & permanserunt in „ suo errore, vel qui permanent &c. “. His verbis confirmarunt Patres, quidquid in Canonibus definierant. Nam decem priores fidem contra Nestorium & Eutychetem sanciunt; XI. approbat quatuor prima Concilia, damnatque Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychem, & alios haereticos ab Ecclesia anathematizatos; demum XII., XIII. & XIV. tria Capitula eorumque defensores damnant.

Ad 2.um Vigilius nihil dicit quod in Canonibus non contineatur, adeoque non alium sensum habet.

Ad 3.um Iustinianus loquitur de Schismaticis, qui ab Ecclesia catholica propter tria Capitula se separabant; nec dicit eos a Synodo anathematizatos fuisse, quippe quorum schisma Synodus praevidere non potuerit, sed *rationem reddituros magno Deo, & Salvatori nostro Iesu Christo*. Caeterum insinuat disputationem de tribus Capitulis, *salvo manente pio intellectu*, hoc est, quando fides est in tuto & de sola critica textuum expositione agitur, ad pietatem non magnopere pertinere, *tanquam*, inquit, *non in rebus, sed in nominibus solis ac dictionibus posita nobis pietate:* cum tamen si Ecclesia speciali Spiritus Sancti assistentia dirigeretur ad definiendas huiusmodi quaestiones, non parvi ad pietatem momenti fuisset.

Ad 4.um Audiendus non est hac in parte Facundus. Ut enim mos est Schismaticorum, Canones quintae Synodi invidiose interpretatur, quasi doctrinae Chalcedonensis Concilii adversi fuissent. Nihilominus ex ipsiusmet verbis apparet Schismaticos ad communionem invitatos fuisse, etiamsi tria Capitula damnare nollent. Idem fatetur Lib. 2. Cap. 3. „ Cum constituerint, inquit, ut si quis „ non anathematizet memoratam venerabilis Ibae Epistolam, anathema sit; considera, quaeso, cuius sit levitatis, . . . ut nos sibi „ communicare compellant, permanentes in ea sententia, qua non „ solum anathema ei non dicimus, sed negamus esse dicendum “. Utri porro Canones rectius intelligebant, Schismatici ne, qui ad conflandam invidiam se damnatos esse vociferabantur, an Summi Pontifices, qui ad Ecclesiae communionem illos, tametsi in sua de tribus Capitulis opinione perseverantes, admittere parati erant?

Ad 5.um Facundus ibi loquitur de subscriptionibus a Iustiniano per vim extortis. Nemo nescit hunc Imperatorem tractandi Ecclesiae negotia nimis cupidum, nimis acrem hac in re fuisse, multos-

que catholicos a se diffidentes iniuste exagitasse. Quod probat, interdum contingere, ut viri catholici veritatisque tenaces per nonnullorum potentium contentiones immerito vexentur. S. Isidorus Hispalensis, in chronico, loquens de Iustiniano: „ Iste, inquit, Acephalorum haeresim suscipiens omnes in regno suo Episcopos tria „ Chalcedonensis Concilii Capitula damnare compellit". Caeterum hoc inconsultum Iustiniani studium secuti non sunt Romani Pontifices: quamvis enim Capitula damnarent, tamen eorum damnationi subscribere neminem coegerunt.

Nam quod obiicitur S. Gregorium a Laurentio Mediolanensi id exegisse, mera hallucinatio est. Cautio quam Laurentius dedit, non fuit Capitulorum damnatio, sed promissio qua se schismati non consensurum spopondit, ut patet, tum ex eo quod non aliud praescriberetur iis qui schisma deserebant, ut dictum est: tum ex caussa quam affert S. Gregorius cur illa cautio data sit: „ Postquam " inquit Lib. 3. Epist. 2. „ talis scissura pro nulla re facta est (notate quam parvi momenti tota haec quaestio Sanctissimo Pontifici visa fuerit) „ iustum fuit, ut Sedes Apostolica curam gereret, quatenus unitatem universalis Ecclesiae, in Sacerdotum mentibus, per „ omnia custodiret": tum quia de eodem Laurentio sic loquitur Epistola 37. eiusdem libri: „ Eumdem virum credimus sua Sacra„ menta servasse, atque in unitate Ecclesiae Catholicae permansisse". Nihil igitur aliud iuraverat, nisi se in unitate permansurum.

Nec obstat quod ait S. Gregorius, Laurentium, illaesis cautionis suae Sacramentis, iurare non potuisse se tria Capitula non damnasse. Cum enim Cives Brixiae ideo iuramentum illud exigerent, quod Capitulorum damnatoribus communicare nolebant; si Laurentius annuisset, eorum schismati consentire, & ab eorum, qui tria Capitula damnabant, communione recedere visus esset; quod contrarium erat priori iuramento ab eo praestito. Hinc licet Constantius, Laurentii successor, Capitula non damnasset, vetuit tamen S. Gregorius Lib. 3. Epist. 2. ne iuraret se illa non damnasse, spectata nimirum eorum intentione, qui huiusmodi iuramentum exigebant. Caeterum, etsi darem Laurentium tria Capitula damnasse, inde non probaretur, omnes ad subscribendum compulsos esse, sed tantum eum sponte id fecisse. Si enim vigebat subscribendi lex, cur a Constantio Laurentii successore, ab Hispanis, a Gallis &c. nulla subscriptio postulata fuit?

Anastasium Presbyterum de Isauria, ad quem Epistola 64. libri 5. scripta est, merito suspectum fecerat libellus quidam perversae doctrinae, apud eum repertus. Hanc suspicionem ut elueret, sponte sua scripsit S. Gregorio damnare se omnes haereses, & non tantum quatuor prima Concilia, sed etiam quintum suscipere. Tuncque S. Gregorius rescribens, eum „ ab omni haereticae pravitatis macu- „ la, iuxta professionem suam liberum esse atque catholicum " pronunciavit.

Ad 6.um fateor controversiam de tribus Capitulis in Occidente inter Catholicos praesertim agitatam esse: verum in Oriente, ubi Nestorii error invaluerat, plurimi haeretica mente illa defendebant; hosque tanquam sibi magis cognitos, damnare intendit quinta Synodus, ex solis Orientalibus convocata. Falsum autem est Summos Pontifices, ut Schismaticos reducerent, nunquam dixisse, anathemata quintae Synodi non spectare Catholicos Capitulorum defensores. Nam revera id dixerunt, quoties pacem Schismaticis obtulerunt, etiam non damnatis tribus Capitulis.

Instant: Patres quintae Synodi illam controversiam ex speciali Spiritus Sancti assistentia definierunt: Nam 1.° dicunt se illa auctoritate damnasse tria Capitula qua Ecclesia circa fidem pronuntiat; sic loquuntur Collat. 8. „ Ad memoriam eius (Vigilii) perduximus magna illa Apostolorum exempla & Patrum traditiones. „ Licet enim S. Spiritus gratia & circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno auxilio, ad ea quae agenda erant; „ non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur, si oporteret „ gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque dicta sua confirmaverunt. Unde communiter de eo sententiam protulerunt ad gentes scribentes, *visum est Spiritui Sancto & nobis &c.* ... Nec enim „ potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, cum unusquisque proximi auxilio indigeat, sicut ... „ ipse Dominus dicit, *ubicumque fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum in medio ipsorum* ". Et immediate ante Canones: „ His ita cum omni subtilitate dispositis, inquiunt, in memoria tenentes promissiones de Sancta Ecclesia factas, & qui dixit quod *portae inferi non praevalebunt adversus eam*, id est haereticorum mortiferae linguae &c. ". 2.° Vigilius Papa, in Epist. 9. ad Episcopos Galliae, „ Necesse est, inquit,

Tom 2. Concil. Binii Part. 2. p. 112 Col 2.

Ibid. pag. 115. Col. 1.

Ibid. pag. 8. Col. 1.

„ quoties in nomine Domini eius famuli, ad tractanda quae sunt „ illi placita, colliguntur, Sancti Spiritus non deesse praesentiam. „ Ita enim Christi Dei Domini & Salvatoris nostri mandata nos „ instruunt, ubi ait: *Ubi fuerint duo aut tres in nomine meo con-* „ *gregati, ibi ero in medio eorum* ". Et in Epist. qua confirmavit quintum Concilium, postquam praefatus est, se damnationi trium Capitulorum prius obstitisse, addit: „ Sed quoniam Christus Do- „ minus noster, qui est, lux vera, quem tenebrae non comprehen- „ dunt, omni confusione a mentibus nostris remota, universum or- „ bem & Ecclesiam ad pacem revocavit, ita ut quae a nobis defi- „ niri debent, revelante Domino & veritate investigata salubriter „ impleta sint: idcirco sciat universa fraternitas &c. ". Ergo &c.

Respondeo ad 1.^am^ probationem, Patres quintae Synodi haec verba, *visum est Spiritui Sancto &c.* &, *ubi fuerint duo vel tres &c.* &, *portae inferi non praevalebunt adversus eam*, historice recitasse, non ut ius sibi arrogarent de sensu librorum certo & infallibiliter pronunciandi: alioquin idem sibi arrogassent ad definiendum factum personale Theodori; quod ipsimet adversarii negant. Aliunde in ea Synodo non tantum de scriptis & personis actum est, sed etiam de fide, ad quam decem primi Canones pertinent. Frustra reponit Cameracensis Praesul, illos Canones nihil novi definivisse. Nam Spiritus Sancti assistentia non minus necessaria est, ut veteres de fide definitiones infallibiliter confirmentur, quam novae condantur.

Demum si recte attenderis, Canones quibus tria Capitula damnata sunt, non merum factum definierunt, sed, supposita eius veritate, impietates erroresque Nestorianorum, quae in illis contineri videbantur, anathemate perculerunt; quod procul dubio ad fidem pertinet. Eodem sensu Synodus Chalcedonensis Act. 4. dixerat, *Dioscorum Christus deposuit*; & Act. 6.^a^ *Nestorio & Eutychi & Dioscoro anathema: Trinitas hos tres damnavit; Trinitas hos tres eiecit*. Non enim his verbis sibi arrogavit potestatem definiendi infallibiliter facta personalia, sed erroribus Nestorii & Eutychetis, criminibusque Dioscori maxima in luce positis, illos ita damnavit tanquam facinorosos & haereticos, ut non tam ipsos quam haereses aut crimina, quorum secundum iuris formam convicti erant, damnasse videatur.

Tom. 2. Concil. Binii Part. 1. p. 132. Col. 1. Ibid. pag. 270.

Ad 2.^am^ probationem respondeo: Vigilium in Epistola ad Episcopos Galliae non alludere ad quintam Synodum, quippe quae post

octo annos habita est, sed generatim exponere quanta sit Conciliorum auctoritas, & quantum pro illorum convocatione studium gerendum sit. Si autem ex ipsius verbis inferre velis privilegium non errandi Ecclesiae concessum ad facti quaestiones extendi, ipsa facta personalia, quae in Synodis semper tractata sunt, intra easdem Christi promissiones comprehendas necesse est.

Altera Vigilii Epistola manifeste alludit ad fidei definitionem in primis quinti Concilii canonibus comprehensam. Aliunde necesse non est haec verba, *Domino revelante*, obiter prolata, de speciali Spiritus Sancti assistentia exponere; cum in loquendi usu generalem Dei providentiam non raro significent; eoque magis, quod si nimis urgerentur, sequeretur factum trium Capitulorum, non tantum assistente, sed etiam revelante Deo definitum esse; quod est haereticum.

Instant 2.° Constabat, tum apud trium Capitulorum defensores, tum apud eorumdem damnatores, iudicia Ecclesiae de librorum sensu esse irreformabilia.

1.° quidem id constabat apud defensores trium Capitulorum. Nam praecipuum argumentum quo nitebantur hoc fuit: Epistolam Ibae in Concilio Chalcedonensi semel approbatam denuo retractari non debuisse. Facundus Hermianensis Lib. 2. Cap. *6.* „ Quid iam „ integrum, inquit, vel quid constare possit immobile, si tanti „ Concilii sententia vel sicut imperfecta suppleri vel sicut dubia „ rursum discuti videretur? Non autem in sola fidei dubitatione „ vel definitione Conciliorum valet auctoritas: verum etiam in „ omnibus quae pro pacis & unitatis observantia, cuius maxima „ sapientibus cura est, modeste ibi fuerint ac bene composita ". Et postea Imperatorem alloquens: „ Nihil prorsus de bene compositis retractetur: quia prius legitimas & divinitus inspiratas constitutiones velle confligere non pacifici est animi, sed rebellis... „ Nam si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, „ nunquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare. Et revera quis erit contentionum vel certaminum finis, si de his quae „ totius Ecclesiae consensione firmata sunt semper licuerit ferre iudicium? Cur enim non rursus & ipsum iudicium iudicetur ". Et Lib. 5. Cap. 5. de Epistola Ibae sic loquitur: „ Sufficit nobis „ ad defensionem ipsius Epistolae, quod eam tanta Synodus . . . „ approbavit. Haec est prima immobilis & secura nostra ratio,

„ quae

„ quae nos tuetur ac firmat adversus omnes contradicentium quaestiones: ut, sicut Apostolus dicit, non cito moveamur a nostro sensu neque terreamur, vel si minus hinc possumus dare sive accipere rationem, cur Synodus orthodoxam iudicavit. Neque enim est alia Conciliorum faciendorum utilitas, quam ut quod intellectu non capimus, ex auctoritate credamus; & sicubi ratio minus nobis occurrerit, fides, ne labamur, cito succurrat. Nam si post decretum disceptare libuerit, ut dicatur: prius probetur Epistola illa quod recta sit, ut credatur fuisse suscepta; non est quare Concilia congregentur; nec terminatae, immo nec terminabiles dicantur quaestiones quarum probatio semper exigitur. Cur enim non dicetur similiter. Probetur prius quod unius essentiae sint Pater ac filius, ut credatur hoc in Concilio Nicaeno terminatum . . . Atque ita quaestionibus universis in antiquo statu manentibus, non solum nihil Synodorum Constitutionibus absolutum esse videbitur, sed etiam ad perpetuandas lites quaestionum in eis memoria reservata. Et ideo non idem modus esse debet atque ordo quaerendi post definitionem Concilii totius Ecclesiae consensione firmati, qui fuit ante definitionem. Tunc enim ratio poscebat, ut si orthodoxa probaretur illa Epistola, suscipienda iudicaretur a Synodo. Nunc autem ratio poscit, ut si suscepta probetur a Synodo, iudicetur orthodoxa". Et Lib. 12. Cap. 2. Theodorum vindicans, non in nostra ratione, inquit, sed auctoritate Sancti Concilii (Chalcedonensis) constituimus firmitatem".

Ferrandus quoque, Carthaginiensis Diaconus, acerrimus Capitulorum patronus, in Epist. ad Pelagium & Anatolium Ecclesiae Romanae Diaconos, sic loquitur. „ Quidquid *SEMEL* statuitur in Conciliis & Congregatione SS. Patrum, perpetuam debet obtinere iugiter firmitatem . . . Totum Chalcedonense Concilium verum est; nulla pars illius habet ullam reprehensionem, quidquid ibi dictum, gestum, iudicatum novimus atque firmatum, Sancti Spiritus operata est ineffabilis & secreta potentia . . . Si retractentur Chalcedonensis Concilii decreta, de Nicaena Synodo cogitemus, ne simile periculum patiatur. Universalia Concilia, praecipue illa, quibus Ecclesiae Romanae consensus accessit, secundae auctoritatis locum post canonicos libros tenent. Sicut ergo legentibus Scripturam divinitus inspiratam non licet aliquid reprehendere, quamvis minime valeant altitudinem caelestis oraculi comprehendere...

Tom. 9. Biblioth. Patrum pag. 515. & 516.

„ Sic omnino nec aliter Concilia, quae vetuſtas firmavit, & cuſtodi-„ vit poſteritas . . . Quae autem finiuntur iudicantibus Epiſcopis „ Sanctis, & ad B. Petri memoriam perducta diligentius exami-„ nantur atque firmantur, ſequenda ſunt, tenenda ſunt, amplecten-„ da ſunt: in retractatione ſub qualibet pietatis occaſione teneri non „ debent “. Haec ille defendendo Epiſtolam Ibae in Synodo Chalcedonenſi, ut putabat approbatam.

2.° Idem conſtabat apud damnatores trium Capitulorum. Nam 1.° totis viribus demonſtrare nitebantur Epiſtolam Ibae & alia Capitula Chalcedone approbata non fuiſſe. Quorſum autem haec diſputatio, niſi quia ſentiebant iudicium Synodi Chalcedonenſis hac de re irreformabile futurum fuiſſe? 2.° Vigilius, initio ſui Conſtituti, „ inprimis quatuor Sanctas Synodos, inquit, . . . & quaecumque „ . . . tam de fide quam de omnibus aliis cauſſis, iudiciis, Con-„ ſtitutionibus aut diſpoſitionibus definita, aut iudicata, vel conſti-„ tuta, ſive diſpoſita ſunt, inconcuſſe, inviolabiliter, irreprehenſi-„ biliter atque irretractabiliter ſine adiectione vel imminutione ali-„ qua nos promittimus ſecuturos, nec quidquam contrarium, quod „ ad earum reprehenſionem & retractationem vel permutationem „ ſive iniuriam ſub qualibet occaſione vel novitate pertineat, ad-„ miſſuros, aut tale aliquid praeſumentibus conſenſuros “.

S. Gregorius Magnus Lib. 1. Epiſt. 24. ad Ioannem Conſtantinopolitanum, poſtquam ſe quatuor prima Concilia ſuſcipere profeſſus eſt, ſic proſequitur: „ Quintum quoque Concilium pariter „ veneror, in quo & Epiſtola, quae Ibae dicitur, erroris plena re-„ probatur; Theodorus perſonam mediatoris Dei & hominum in „ duabus ſubſiſtentiis ſeparans, ad impietatis perfidiam cecidiſſe con-„ vincitur: ſcripta quoque Theodoreti, per quae B. Cyrilli fides „ reprehenditur, auſu dementi prolata reſutantur. Cunctas vero „ quas praeſata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo; quas „ venerantur, amplector: quia dum univerſali ſunt conſenſu conſti-„ tuta, ſe & non illa deſtruit quiſquis praeſumit aut ſolvere quos „ ligant, aut religare quos ſolvunt. Quiſquis ergo aliud ſapit, „ anathema ſit. Quiſquis vero praedictarum Synodorum fidem te-„ net, pax ei ſit a Deo Patre per Ieſum Chriſtum filium eius “.

Sophronius in Epiſtola Synodica quae lecta eſt Act. XI. Concilii VI. „ Super his (quatuor prioribus Synodis), inquit, & „ hanc quintam honoro & veneror, & cuncta earum libenter ſu-

Tom. 3. Concil. Binii Part. 1. pag. 127.

„ ſcipio, tam in dogmatibus & diverſis doctrinis quamque haereti-
„ corum anathematibus & definitionibus. Unde & comprobo atque
„ ſuſcipio quos ſuſceperunt & approbaverunt; & anathematizo atque
„ abiicio, quos anathemati ſubiecerunt “.

Summi Pontifices idem profitebantur in die inaugurationis ſuae, ut patet ex Diurno Summorum Pontificum tit. *9*. Cap. 2. & tit. *6*. Cap. *60*. „ Quoſquos, inquiebant, vel quaeque ſex univer-
„ ſalia Concilia abiecerunt, ſimili etiam nos percellimus condemna-
„ tione anathematis . . . Quoſquos vero vel quaeque eadem ſex
„ Sancta Concilia ſuſceperunt, ut rectae fidei conſortes ſuſcipimus,
„ & cum eâdem reverentia ore & corde veneramur “.

Reſpondeo Facundum caeteroſque Schiſmaticos revera crediſiſſe, quidquid Concilium Chalcedonenſe circa perſonas & ſcripta iudicaverat, retractari penitus non poſſe. Eorum verba nimis aperta ſunt, quam ut aliter exponi poſſint. Utrum autem ex ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia, quam ad huiuſmodi quaeſtiones iudicandas Eccleſiae attribuerint, an ex pia credulitate aut reverentia erga Concilium Chalcedonenſe id crediderint, non omnino liquet, nec vacat expendere. Quidquid ſit, nullum ex eorum teſtimoniis commodum referre poſſunt adverſarii: 1.° quia ſine ulla exceptione loquuntur de omnibus quae in Conciliis tractantur, proinde tam de factis perſonalibus, quam de textualibus. Porro, fatentibus ipſiſmet adverſariis, iudicia quae circa perſonas in Conciliis feruntur non ſunt immota nec irreformabilia, iuxta hanc Innocentii III. regulam Cap. *a nobis* extr. de ſententia excommunicationis. „ Iudicium Dei ve-
„ ritati, quae non fallit nec fallitur, ſemper innititur; iudicium
„ autem Eccleſiae nonnunquam opinionem ſequitur, quam & falle-
„ re ſaepe contingit & falli; propter quod contingit interdum, ut
„ qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus; & qui ſo-
„ lutus eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus “. 2.° Loquuntur non ſolum de decretis Conciliorum, verum etiam de omnibus quae quovis modo in Conciliis aguntur, etiamſi nulla ſanctione definiantur. Nam Epiſtola Ibae in Concilio Chalcedonenſi lecta quidem fuerat & a legatis S. Leonis aliiſque nonnullis Epiſcopis approbata, verum nihil circa illam decretum fuerat. Theodori eiuſque Scriptorum nulla mentio ibi facta fuerat, niſi quod in Epiſtola Ibae nomen eius appelletur. Demum Theodoretus quidem tanquam orthodoxus admiſſus fuerat, ſed de ſcriptis eius nulla diſceptatio nedum defi-

nitio fuerat. Quis autem credat haec sufficere ut caussae illae postea examinari non potuerint? Facundus igitur ac Ferrandus, schismatica pertinacia longius abrepti, nullatenus hac in parte audiendi sunt.

2.° Summos Pontifices, caeterosque trium Capitulorum damnatores in eadem sententia non fuisse hactenus abunde probatum est. Quamobrem ad ea, quae in contrarium opponuntur, paucis respondere satis est.

Ad 1.um Non incassum Summi Pontifices demonstrare conati sunt Chalcedonensem Synodum non approbasse tria Capitula. Hac enim methodo facilius atque ad hominem, ut aiunt, probabant ea sine illius Synodi iniuria examinari & iudicari potuisse. Verum non ideo aliam responsionem omiserunt, nempe tria Capitula, etiamsi Chalcedone approbata fuissent, diligentius retractari potuisse, eo quod non de fide, sed de factis ageretur. „ Cuncta res, ait Pelagius II. in Epistola ad Episcopos Istriae, quae retractari non debet, sola est professio fidei... specialis quippe Synodalium Conciliorum caussa est fides. Quidquid ergo praeter fidem agitur, „ Leone docente, nihil obstat si ad iudicium revocetur ".

Ad 2.um Vigilius ait quidem sequi se quidquid in quatuor Synodis tam circa fidem quam circa alias caussas constitutum fuerat; sed non ait ea quae praeter fidem constituta fuerant infallibili iudicio constituta esse; quod solum hîc agitur. Aliud est enim quatuor prima Concilia circa facta non errasse, quod credebat Vigilius; aliud errare non potuisse. Et certe Vigilius loquitur de omnibus caussis praeter fidem, proinde de caussis etiam personalibus, circa quas tamen iudicium Ecclesiae errori obnoxium esse omnes fatentur adversarii. Conciliorum vero definitiones, quae ad fidem non pertinent, retractari posse certum est ex Sancto Augustino, qui Libro 2. de Baptismo Capite 3. n. 4. non solum ea, quae per singulas provincias aut regiones fiunt, Concilia, plenariorum Conciliorum auctoritati sine ullis ambagibus cedere docet, sed etiam „ plenaria ipsa saepe priora a posterioribus emendari, cum aliquo „ experimento verum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur „ quod latebat ... cum sancta humilitate, cum pace catholica, „ cum charitate christiana ".

Ad S. Gregorium Magnum, respondeo discernendum esse quid ipse privata sententia crediderit, & quid caeteris credendum sub anathematis poena proposuerit. Ipse quidem tria Capitula haeretica

iudicabat: verum eamdem sentiendi legem aliis non imposuisse probat agendi norma quam cum Hispanis, Gallis, Theodelindâ, Secundino, S. Columbano semper tenuit. Cum vero dicit: *Quisquis aliter sapit, anathema sit: Quisquis vero praedictarum fidem tenet, pax ei sit &c.* nihil aliud vult quam ut Synodorum fides salva & integra servetur. Aliunde non de solis scriptis, sed de personis quoque in quinque primis Conciliis condemnatis loquitur: *Quas*, inquit, *praefata Concilia personas respuerunt, respuo;* nempe Arium, Eunomium, Macedonium, Nestorium, Eutychetem, & Dioscorum, in quatuor primis Conciliis damnatos, & Theodorum Mopsuestenum in quinto. Igitur si nihilominus de personis aliter sentire licet, quam Ecclesia iudicavit; quidni de scripris? Si, cum personarum quas Ecclesia damnavit innocentia cognita est, non tenemur Ecclesiae iudicio interius assentiri, cur de librorum ab ea damnatorum perverso sensu, si dubitandi motiva non desint, dubitare non liceat?

Frivolum est quod reponit Cameracensis, S. Gregorium personarum nomine intellexisse scripta, quae auctorum nominibus vocitari solent. Nam S. Gregorius procul dubio loquitur ad mentem Conciliorum. Porro quatuor priora Concilia non sola scripta, sed personas quoque haereticorum anathemate perculerunt; & Concilium quintum Theodorum Mopsuestenum, olim defunctum, pariter damnavit. 3.° Observandum est, quod iam observavimus, illam Sancti Gregorii professionem directe non ferri in facta sive personalia sive dogmatica, sed in fidem ipsam: cum enim aliquis haereticus, Nestorius v. g. aut Theodorus damnatur, duo iudicia feruntur; unum quo decernitur omnem, qui haeresim, puta duas esse in Christo personas, pertinaciter asserit, damnandum esse; alterum, quo iudicatur talem auctorem illam haeresim pertinaciter defendisse. Primum iudicium ad fidem pertinet, & in omni professione fidei principalius & directius intenditur: posterius ex humana convictione pendet, & minus principaliter in fidei professionibus involvitur. Porro, quamvis qui de auctoris mente aliter sentit, eiusmodi professionibus pure & simpliciter subscribere non debeat, quia nihil affirmare debemus, etiamsi minus principaliter intentum, quod a vero discrepare credamus: nihilominus ipsa professio ad fidei declarationem ex Ecclesiae intentione potissimum, ne dicam unice, ordinatur.

Idem dicendum ad ea, quae ex Sophronio & ex Diurno Romanorum Pontificum obiiciuntur.

Obiiciunt 10.° Martinus V. in Bulla quam promulgavit in ſeſſione ultima Concilii Conſtantienſis, iuſſit eos, qui errorum Wiclefi & Ioannis Hus ſuſpecti forent, interrogari, *utrum crederent quod condemnationes Ioannis Wiclef, Ioannis Hus, & Hieronymi de Praga factae de perſonis eorum, libris & documentis, per Sacrum generale Concilium Conſtantienſe, fuerint rite & iuſte factae, & a quolibet Catbolico pro talibus tenendae & firmiter aſſerendae. Item utrum credant, teneant, aſſerant Ioannem Wiclef de Anglia, Ioannem Hus de Bobemia, & Hieronymum de Praga fuiſſe baereticos, & pro baereticis nominandos ac deputandos, & libros & doctrinas eorum fuiſſe & eſſe perverſas, propter quos, & quas, & per eorum pertinacias, per Sacrum Concilium Conſtantienſe, pro baereticis ſunt condemnati*.

Reſpondeo illis verbis perſonas non minus quam libros damnari, adeoque non magis probari infallibilitatem Eccleſiae circa facta dogmatica, quam circa perſonalia. Reponit D. *Tournely*, ideo Concilium praecepiſſe, ut perſonae damnarentur, quia erant notorie haereticae. Fateor: at quanto potiori iure hoc de ipſorum libris dicere poſſumus, cum perſonarum haereſis ex propriis libris demonſtrata fuerit?

Reſpondetur facto Ianſenii. Obiiciunt 11.° Quae acta ſunt in cauſſa Ianſenii probant Eccleſiam circa textualia facta errare non poſſe: 1.° hoc multoties docuerunt Gallicani Epiſcopi. Conventus anni 1654. in Epiſtola ad Innocentium X. dixit Conſtitutionem per ſe ſolam ſufficere ad terminandam controverſiam de facto Ianſenii. Conventus anni 1656. in ſua Epiſtola obſervavit *deciſionis auctoritatem* per Innocentii Breve *ad iuris quaeſtionem reſtrictam fuiſſe*. Et Conventus anni 1660. declaravit Art. 3. quinque propoſitiones damnatas eſſe in ſenſu Ianſenii, ita ut contradicentes habendi ſint pro haereticis, & poenis in Conſtitutionibus latis coercendi: 2.° Omnes Galliarum Epiſcopi exigunt puram & ſimplicem Formulae ſubſcriptionem: 3.° Si Eccleſia in definiendis huiuſmodi factis errare poſſet, ſequeretur eam a LXX. annis periuria imperaſſe, imperando, ut Formulae ſubſcribatur.

Nego antecedens. Ad 1.am probationem dico memoratas Epiſtolas a D. De Marca inſtructas, ipſius duntaxat mentem exprimere, non caeterorum Epiſcoporum. Verum ut de ſingulis aliquid dicam, ſenſus Epiſtolae anni 1654. non eſt, quaeſtionem facti Ianſeniani per Conſtitutionem ſolam dirimi poſſe; alioquin Conventus

Summo Pontifici solitarie spectato attribuisset infallibilitatem circa facta, quam ne ultramontani quidem ei attribuunt, sed aliam quaestionem, quae tunc agitabatur, num scilicet factum illud ab Innocentio X. definitum esset, per ipsius Constitutionem, in qua Iansenius nominatur, terminari posse.

Quod dicitur in Epistola anni 1656., *decisionis auctoritatem ad iuris quaestionem restrictam esse*, non est ad rem. Nam extra dubium est, Ecclesiam circa ius falli non posse, deque solis factis controversia est. Auctor ipse Epistolae non abnuit Ecclesiam falli posse in quaestionibus facti, contenditque idcirco totam decisionis auctoritatem restrictam fuisse *prudenti verborum complexione*, ad quaestionem iuris. Caeterum impossibile est, sensum aliquem rationabilem conventuque dignum iis in verbis reperire. Vel enim significant, istam quaestionem, an doctrina haeretica in quinque propositionibus damnata contineatur in libro Iansenii, esse quaestionem iuris, controvertique sine haeresi non posse; vel eamdem quaestionem, quamvis diversam a quaestione iuris, ei tamen mira compositionis verborum solertia sic alligatam fuisse, ut controverti sine iuris periculo non possit: atqui primus sensus attribui non potest conventui, ut fatetur auctor historiae quinque propositionum, repugnatque sententiae plerorumque Episcoporum qui in eo sedebant: alter vero adeo absurdus est, ut concipi vix possit quomodo cuiquam in mentem venerit, ut quaest. 3. ostendimus.

V. La Lettre a M. l'Arch. de Cambrai au suj de sa 2. Lettre a M. l'Ev. de S. Pons, en 1707. §. 10. & 11.

2. Edit. Tom. 1 pag. 313.

Demum illi, quos pro haereticis habendos esse declaravit conventus anni 1660., non hi sunt qui negant Ecclesiam esse infallibilem in quaestionibus facti (hoc enim praetensum dogma nec in isto conventu, nec in praecedentibus assertum vel propositum fuerat); sed qui doctrinam in quinque propositionibus damnatam Ianfenioque attributam damnare nollent, quemadmodum ex tota serie actorum sole ipso clarius est. Et certe ille conventus adeo alienus fuit ab opinione praetensae infallibilitatis circa facta, ut D. De Harlai illius Praeses affirmaverit in Epistola ad Card. Rospigliosum, disputationes iam tunc sopiendas fuisse, si Praesulibus oblata esset declaratio, qualem Episcopus Catalaunensis tempore pacis Romam misit, in qua factum a iure distinguitur, eique solam silentii submissionem deberi asseritur.

Ad 2.am probationem respondeo 1.° Multos Episcopos lubentissime supersedere ab exigendis subscriptionibus, easque nonnisi ur-

gentibus aulae iussionibus imperare. 2.° Inter eos qui Formulae subscribi iubent, multos esse, qui firmum assensum pro facto non exigunt. 3.° Ex eis etiam qui factum certo credi volunt, paucissimos hanc fidem ex motivo infallibilitatis praescribere. 4.° Nonnullos etiam ideo subscriptionem Formulae instantius exigere, quia ex praeiudicata opinione censent praetensos Iansenianos haeretico animo Iansenium defendere, doctrinamque damnatam interius retinere, sicut revera Alexandro VII. & Clementi XI. suggestum fuerat. 5.° Demum nihil concludi posse, ex tyrannica illa subscriptionum extorsione, quandiu nec de natura assensus ad subscribendum facto requisiti, nec de illius motivo inter Episcopos constabit.

Ad 3.am probationem dico ex subscriptionum lege male concludi Ecclesiam imperare periuria, tum quia Ecclesiae attribui non debet vexatio, quam nonnulli Praelati exercent; tum quia Praelati qui viros catholicos eam ob rem exagitant, non peierare iubent, sed existimant subscribi debere, quamlibet ob caussam.

Reponet fortasse quispiam tyrannidem esse exigere assensum internum ex motivo auctoritatis fallibilis. Hoc non inficior, sed nunc non quid bonum ac rectum sit, sed quid reipsa fiat, inquirimus. Caeterum adeo verum est ex Bullis contra Iansenium & ex lege subscribendi probari non posse hanc quam reiicimus infallibilitatem, ut qui eam tuentur, a Clemente XI. apud quem nihil poterant, obtinere nequiverint, ut eam decreto sanciret.

Ecclesiae circa facta fallibilitas nullum fidei incommodum importat.

Obiiciunt 12.° Ecclesia est iudex infallibilis doctrinae: Ergo est quoque infallibilis iudex librorum. Probant consequentiam: 1.° Ni ita esset, bona & mala pascua, id est bonos & malos libros Ecclesia discernere non posset, adeoque non impleret hoc mandatum Christi, *Pasce oves meas*. 2.° Si Ecclesia potest errare circa librorum sensum, ac damnare librum qui reipsa catholicus sit, sanam quoque doctrinam damnare potest, filiosque suos in errorem inducere. Demus v. g. Iansenii sensum esse sensum B. Augustini. Hoc posito Ecclesia damnare non potuit sensum Iansenii, quin doctrinam S. Augustini a plurimis saeculis consecratam damnaverit, & in fide ipsa defecerit.

Nego consequentiam. Ad 1.am probationem respondeo bona & mala pascua non esse libros, sed doctrinam bonam vel malam in eis contentam. Porro quando Ecclesia librum aliquem damnat, semper indicat quam doctrinam in eo damnet, eiusque, utpote periculosi,

iosi, lectione fideles interdicit: v. g. posito quod quinta Synodus scripta Theodoreti non recte intellexerit, nihilominus bona pascua a malis sufficienter secrevit, sive declarando unicam in Christo personam esse, sive errorem oppositum, quem Theodoreti scriptis seu recte seu perperam attribuit, anathemate feriendo.

Ad 2.^{am} probationem respondeo, tametsi Ecclesia circa librorum sensum falli absolute possit, fieri vix posse moraliter loquendo ut erret circa textus claros, apertos & obvios, sed tantum circa difficiles, obscuros & controversos. Porro hoc in casu ipsamet controversia fideles contra fidei periculum munit. Aliunde divina providentia, quae specialem Ecclesiae curam gerit, nunquam librum aliquem obscurum damnari permittet, quin satis luminis adsit rectis corde, ut dignoscere possint doctrinam sanam a falsa. Quando v. g. Honorii Epistolae damnatae sunt, nullum erroris circa fidem periculum fuit, quia nemo ignorabat Monotheletarum errorem in eis damnatum fuisse; adeo ut etiamsi earum sensus Catholicus sit, ut existimant plurimi Theologi, non inde sequatur doctrinam Catholicam a Concilio VI. damnatam esse, sed tantum haereticam doctrinam Honorii epistolis errore facti attributam. Pariter si Iansenii sensus ab Augustiniano reipsa non differat, non ideo fideles in errorem inducuntur, quia Summi Pontifices & Episcopi saepius declararunt se damnare noluisse B. Augustini doctrinam de gratia per se efficaci & de praedestinatione ante praevisa merita. Si vero nonnulli abutuntur damnatione libri Iansenii ad adstruendas novitates, id non Ecclesiae, sed ipsis solis imputari debet.

Instant: Ecclesia infallibiliter iudicat de sensu propositionum: ergo infallibiliter iudicat de sensu librorum; siquidem propositio a libro non differt, nisi ut textus brevior a longiori, seu penes maius & minus.

Dist. antecedens: Ecclesia infallibiliter iudicat de sensu propositionum, qualis sit, utrum haereticus, an catholicus, concedo: iudicat infallibiliter de sensu propositionum quis sit, subdistinguo; iudicat infallibiliter ex naturali evidentia, quando propositiones perspicuae sunt, concedo; iudicat infallibiliter ex speciali Spiritus Sancti assistentia, quando propositiones obscurae sunt & ambiguae, subdistinguo; infallibiliter iudicat, id est auctoritatem habet propositionum usum consecrandi vel interdicendi, easque ad Catholicum vel haereticum sensum determinandi, concedo; infallibiliter iudicat, id est definit quis sit grammaticus sensus, nego.

Damnatio cuiusvis propositionis necessario includit duo iudicia: unum, quo iudicatur propositionem iuxta receptum loquendi usum habere talem sensum: alterum, quo iudicatur talem sensum esse haereticum. Hoc iudicium ad fidem pertinet, & infallibiliter ab Ecclesia pronunciatur; illud est facti, definitque quid homines talibus vocibus tali modo dispositis significare seu intelligere soleant.

Plerumque contingit propositiones claras esse, & sensum bonum vel malum manifeste prae se ferre: Tuncque fieri non potest ut Ecclesia circa sensum huiusmodi fallatur; fieri, inquam, non potest, non ex speciali assistentia quae superflua foret, sed propter propositionis perspicuitatem. Verum nonnunquam obscurae & implicatae sunt propositiones, de quarum sensu inter Doctores non convenit: & tunc oritur quaestio facti grammatici, circa quam Ecclesia errare potest; sed hoc in casu, nullum fidei periculum imminet, quia vel Ecclesia expresse determinat quem sensum absolvat aut damnet, vel per communem praedicationem aliasve circumstantias indicat. Ex. caussa, istam propositionem, *Unus de Trinitate passus est*, a Scythiae Monachis prolatam Hormisdas in sensu haeretico acceptam damnavit, eamdemque catholice intellectam Ioannes II. sanam pronunciavit. Hanc quoque propositionem, *Una natura Verbi Incarnata*, pro diversis sensibus alii reiecerunt, alii approbarunt.

Insuper observandum est Ecclesiam, etsi circa grammaticalem propositionum sensum errare potest, habere tamen potestatem voces quasdam ac propositiones consecrandi ad fidem exprimendam, vel respuendi & interdicendi; atque post huiusmodi sanctionem non licere fidelibus proscriptis loquendi modis uti, vel probatos & consecratos reiicere. Sic *hypostasis*, *subsistentiae &c.* vocabulis Ecclesiae usus vel decreta certum sensum alligarunt. Verum his decretis Ecclesia non intendit grammaticalem vocum seu locutionum significationem definire, sed dubiam & ancipitem figere. Hocque praestat ea auctoritate, qua omnia, quae ad disciplinam & administrationem externam divini cultus pertinent, constituit ac decernit. Hinc huiusmodi decreta non immota, ut fidei definitiones, sed velut extera disciplinae Ecclesiasticae capita mutationi obnoxia sunt.

Nec dicas, iudicium, quo decernitur *qualis sit sensus*, fundari in eo, quo determinatur *quis sit sensus*. Nam quamvis hoc iudicium illi praeeat, non tamen illius regula & fundamentum est. Iudicium circa doctrinam unice fundatur in conformitate vel non

conformitate doctrinae propositae cum Scriptura & Traditione, nec pendet ab hoc vel illo verborum contextu. Sane multa iudicia praemitti debent definitionibus fidei, quae tamen ab Ecclesia infallibiliter non feruntur. V. gr. nemo dixerit Ecclesiam specialiter dirigi, ut sciat existere talem librum, vel talem propositionem in eo contineri, vel eos qui scripta in Conciliis legunt & qui audiunt, speciali assistentia dirigi ut recte legant & recte audiant? Nimirum haec sic praecedunt definitionem fidei, ut in eis non fundetur definitio. Idem dicendum est de examine sensus grammaticalis, quod doctrinae determinationem praecedit.

Distinguo pariter consequens: Ecclesia infallibiliter iudicat de sensu librorum: qualis sit, concedo; quis sit, subdist. quando apertus est & evidens sensus, illum infallibiliter naturali lumine cognoscit, concedo; quando abstrusus est & difficilis, illum supernaturali auxilio semper assequitur, nego.

Notandum est 1.° multo facilius esse assequi sensum unius propositionis, quam mens totam complecti potest, quam libri obscuri, cuius partes omnes veluti concatenatae mutuam lucem sibi invicem suppeditant. Aliunde propositiones solitarie consideratae ex consueta loquendi norma & communi hominum instituto diiudicantur; contra vero intimus librorum sensus ex peculiari auctorum ingenio & scopo, ex circumstantiis externis, ex proprio interdum Scriptoris dictionario, ex locorum mutua collatione, ex aetate, qua scripti sunt, & aliis criticae regulis aestimari debet. Proinde, caeteris paribus, multo proclivius est circa librorum quam circa propositionum sensum falli. Enimvero liber ex propositionibus quamplurimis coalescit. Quis autem non intelligat multo difficilius vitari posse errorem ubi centum aut mille propositiones examinandae sunt, quam ubi unica? Ergo falsum est de brevi textu propositionis & de prolixo textu libri eodem modo sentiendum esse.

Alia librorum & propositionum disparitas est, nimirum quod, etiamsi Ecclesia de grammaticali propositionum sensu certo & infallibiliter non pronunciet, ius habeat propositiones & voces quasdam adoptandi vel proscribendi. Hinc S. Hieronymus in Epist. ad Damasum consulebat! utrum tres, an unam hypostasim dicere deberet. Verum librorum sensus ab Ecclesiae legibus non pendet, adeoque per solas grammaticae & criticae regulas dignosci potest. Circa librum quemlibet tria quaeri possunt: 1.° cum convenit quis sit sen-

ſus diſputari poteſt, utrum ſenſus ille catholicus an haereticus ſit. Haec quaeſtio ad fidem pertinet, & infallibiliter ab Eccleſia definiri poteſt: 2.° cum convenit quis ſit ſenſus libri, diſceptari poteſt, an quaedam libri propoſitio accurata ſit, nec ne. Haec quaeſtio partim grammatica eſt, partim ab Eccleſiae decretis pendet: quatenus grammatica, non infallibiliter ab Eccleſia definitur; ſed alio modo ab ipſa pendet, quatenus uſum propoſitionis, de qua ambigitur, Eccleſia ſancire poteſt vel interdicere. 3.° Cum conſtat doctrinam aliquam catholicam eſſe vel haereticam, propoſitionemque recte vel male enunciatam, ambigi poteſt, utrum Germanus totius libri ſenſus idem ſit ac ille quam aliqua eius propoſitio prae ſe fert. Sit in exemplum Ratramni ſeu Bertrami liber, *de Corpore & Sanguine Domini*. Catholici qui de illius ſenſu litigarunt, conſentiebant doctrinam, quae Chriſtum in Euchariſtia realiter praeſentem aſſerit, catholicam eſſe; quae negat, haereticam. Conſentiebant etiam contineri hoc in libro plurimas propoſitiones quae ſolitarie ſpectatae realem praeſentiam excludant: ſed intra criticae fines diſputabant, an illae propoſitiones ad orthodoxum ſenſum, an ad haereticum, per antecedentia & conſequentia & totum operis contextum determinentur. Haec autem critica diſputatio Eccleſia quidem iudicio, ſed fallibili ſubiacet.

Inſtat iterum Cameracenſis. Atqui Eccleſia circa grammaticum propoſitionum & vocum ſenſum falli non poteſt. Nam 1.° Eccleſia in docendo non errat, nec in errorem mittit. At ſi Eccleſia non ſit infallibilis iudex grammatici verborum & propoſitionum ſenſus, errare poſſet in docendo, fideleſque in errorem mittere. Poſſet enim adhibere verba, quae in proprio ſenſu fidei adverſantur, & loco fidei errorem verbis male enunciatis exprimere. 2.° Revera Eccleſia infallibiliter iudicavit de ſenſu vocum ὁμο. ος, θεοτοκος & ſimilium.

Reſpondeo 1.° Etiamſi ſupponeretur Eccleſiam tradendo ſymbolum, vel fidei decreta condendo, in vocum delectu errare non poſſe, male inde concludi eam, quando criticum libri ſenſum determinat, errare pariter non poſſe. Diſparitas eſt, quod ſymbola & canones doctrinae regulam fidei exprimant, contra vero criticae de librorum ſenſu definitiones aedificandae & inſtruendae fidei non inſerviant.

Reſpondeo 2.° Ut Eccleſia in docendo errare non poſſit, neceſſe non eſſe, ut per ſpecialem aſſiſtentiam grammaticam vocum ſignificationem aſſequatur, ſed ſufficere naturale bonum ingenii, &

linguae qua decreta fidei concipiuntur, peritiam. Enimvero qui cogitationem aliquam mente conceptam habet, non indiget speciali assistentia, ut quod concipit, verbis exprimat: v. g. Pater familias, quamvis non sit infallibilis in vocum delectu, tamen a filiis suis, cum aliquid praecipit, intelligitur: forenses curiae nullo supernaturali auxilio adiutae placita sua ita concipiunt, ut quis caussam obtinuerit, quis caussa ceciderit, minime incertum sit. Cur ergo Ecclesia indigeret speciali auxilio, ut voces, quibus utitur, fidem ipsius exprimant? Quonam prodigio accedere posset, ut plures Episcopi, mutuo conferentes, & singula decretorum verba mature ponderantes, ne quid obscurum aut ambiguum sit, nihilominus incongrua loquendi ratione doctrinam ei, quam tradere volunt, plane contrariam exprimerent? Verum, esto, nonnulla obscuritas canonibus inesse possit: haec profecto brevi fugabitur, singulis Episcopis definitionis sensum viva voce exponentibus.

Et certe si Ecclesia opus habet grammaticali infallibilitate, ut condendo fidei decreta per malum verborum delectum fideles in errorem non inducat; eadem infallibilitas necessaria erit interpretibus, qui illa decreta e nativa in aliam linguam vertunt: immo cum fideles plerique Conciliorum textus non legant aut etiam legere non possint, sed per Parochorum aut Concionatorum Sermones, vel per Catechistarum institutiones fidem doceantur; supponi deberet singulos Pastores, Concionatores, Catechistas supernaturaliter dirigi, ne incongrue loquendo errorem, quem detestantur, loco fidei obtrudant. Similem praerogativam singulis quoque fidelibus attribuere oporteret. Quid enim proderit Doctores accurate loqui, si quod dicunt ab audientibus male accipiatur? Proinde tot admittere oportebit Spiritus Sancti miracula quot sunt in catholico orbe Doctores, Pastores, Concionatores, Catechistae, Ludimagistri, & Ludimagistrae; quot in eorum verbis phrases & apices; quot sunt illorum auditores. Apage ineptias.

Quod spectat vocem ὁμοούσιος, Ecclesia nunquam intendit grammaticum illius sensum definire, sed tantum ea uti ad praecludenda Arianorum effugia. S. Athanasius in Epistola ad Africanos, narrat ideo Nicaenos Patres hanc vocem consecrasse, quia Eusebiani caeteras loquendi rationes suo errori accommodabant, hancque tanquam Arianae haeresi infestissimam reformidabant. Caeterum Nicaena Synodus eius usum non prius sancivit quam quo sensu a se accipere-

Tom. 1. Edit. Paris. an. 1626. pag. 935. & 936.

tur, distincte exposuisset; ita ut *non ab ipsis tantummodo verbis verus sensus acceptus fuerit*, inquit Card. Norisius Apologiae Monachorum Scythiae Cap. 1. *sed ab intentione Patrum*, *in qua nulla fuerat aequivocatio*. Hinc cum quidam Catholici cum Basilio Ancyrano hanc vocem reiicerent, eo quod eam aliter quam Nicaeni Patres exponerent, S. Athanasius, Lib. de Synodis, eorum fidem sanam & ab haeresi alienam fuisse agnoscit: „ adversus eos, inquit, „ qui omnia Synodi scripta recipiunt, de solo autem consubstantiali „ ambigunt, non ut adversus inimicos affici nos decet. Neque enim „ veluti adversus Ariomanitas aut adversus Patrum hostes contradi-„ cimus; sed veluti fratres cum fratribus disceptamus, ut cum qui-„ bus nobis eadem sit sententia, controversia autem de verbis ". S. Hilarius Lib. *de Synodis* n. 69. & 70. optabat quoque ut vox, *ὁμοίσιος*, absque explicatione non adhiberetur, ne cuiquam scandalo foret.

Ibid. pag. 915.

Instant 3.° Si Ecclesia infallibiliter non iudicat de proprio & genuino sensu propositionum & librorum, nulla lis terminari poterit, nulla haeresis damnari. Dicent enim haeretici suos libros suasque propositiones male acceptas fuisse, nec confutari poterunt.

Respondeo haereticos omnes ius ipsum, non facta controversisse. Utinam cum Calvinianis v. g. sola nobis quaestio esset de sensu librorum Calvini, circa doctrinam vero consensio! iam non Calviniani, sed orthodoxi forent. Revera vel aperta est librorum haereticorum impietas, vel obscura: si aperta, stultum foret de illorum sensu disputare, sicut stultum esset disputare, utrum Iulius Caesar & Cicero aliquando extiterint: si autem obscura & dubia, salvâ fide in dubium revocari potest. Non igitur arma damus haereticis, sed ipsemet Cameracensis illos non parum adiuvat. Si enim Ecclesiae circa dogmata infallibilitas a grammaticali, ut contendit, infallibilitate dependeat; tandiu illa nutabit, quandiu haec vacillabit. Immo cum facile demonstretur hanc infallibilitatem grammaticalem chimaericam esse, concludent novatores infallibilitatem quoque doctrinalem chimaericam esse.

Instant 4.° Ecclesia infallibiliter cognoscit traditionem divinam: atque eam infallibilitatem dignoscere non potest, nisi infallibiliter cognoscat, quisnam sit operum SS. Patrum sensus, utpote cum traditio in eis contineatur. Ergo Ecclesia infallibiliter assequitur sensum librorum.

Nego minorem. Traditio nihil aliud est, quam certae doctrinae a Christo revelatae ab Apostolis ad nos usque perpetua nec interrupta transmissio. Huius certitudo unice fundatur in revelatione a Christo facta & Ecclesiae concredita, quae revelatio factum quidem est, sed divinum atque ad revelationem pertinens. Proinde traditio non nititur quolibet SS. Patrum textu, cum omnes SS. Patrum libros praecesserit, quamvis veterum Patrum textus ad cognoscendam traditionem Apostolicam non parum inserviant. Hanc praesertim iugem vivamque traditionem consulit Ecclesia, quoties de fide aliquid decernit. Equidem in Conciliis SS. Patrum dicta expenduntur, sive ad elucidandam, si forte obscurata sit, vivam traditionem, sive ad demonstrandum doctrinae quae definitur, cum antiqua consensum: sed in huiusmodi examine probationes, quas Ecclesia adhibet, cum vero definitionis fundamento cave confundas. Fundamentum definitionis est promissio Christi & specialis assistentia Spiritus Sancti cum Ecclesia in aeternum mansuri omnemque veritatem usque ad saeculi consummationem docturi. Probationes vero humanae sunt, & hallucinationi obnoxiae, hocque praestat assistentia Spiritus Sancti, ut error criticus, si quis in probationem obrepit, definitionem ipsam non corrumpat; sicut affectus humani aut secretae molitiones, quibus Concilia ipsa Oecumenica non semper carent, nunquam adeo praevalere possunt, ut error definiatur. „ In „ Conciliis ", ait Bellarminus Lib. 2. de Conciliis & Ecclesia Cap. 12. „ non sunt de fide disputationes quae praemittuntur, ne„ que ratione quae adduntur, neque ea quae ad explicandum & il„ lustrandum afferuntur, sed tantum ipsa nuda decreta, & ea non „ omnia, sed tantum quae proponuntur tanquam de fide ". Addit non ideo traditionis verificationem inutilem esse, quia si non incasso studio privati Theologi SS. Patrum opera evolvant, multo utilius in Conciliis, ubi adsunt viri docti & graves, eorumdem testimonia ponderantur: verum definitionis certitudinem non fundari in examine praecedenti, quamvis Deo sic volente, absolute necessario, sed in promissione Christi & Spiritus Sancti assistentia. Idem docent P. Veronius in regula fidei Cap. 1. parag. 4. & Illustriss. *De Mailly* Archiepiscopus Arelatensis in documento Pastorali dato 3. Maii 1704. contra Casum conscientiae.

Et certe non magis requiritur ad definitionis certitudinem, ut Ecclesia circa sensum singulorum textuum SS. Patrum non erret,

quam ut non fallatur in discretione operum genuinorum a suppositiis: atqui fatentur adversarii, Concilia Oecumenica non secernere infallibiliter libros SS. Patribus suppositos a germanis. Revera, ut alia omittam, quam multa dubia & spuria testimonia sub nomine SS. Patrum in Concilio Nicaeno II. prolata sunt! Quot incerta & fabulosa miracula! Quot apocryphae historiae! Quae tamen non obstant, quominus definitio pro cultu Sacrarum Imaginum lata, ab omnibus catholicis tanquam irreformabilis suscipiatur.

Demum cum Ecclesiae traditio non in libris & syllabis, sed in interno SS. Patrum sensu posita sit, ad firmandam decreti certitudinem non sufficeret Ecclesiam circa librorum sensum falli non posse, nisi internum quoque SS. Patrum sensum certo cognosceret. Porro fatentibus adversariis, Ecclesia certo non cognoscit internum sensum & mentem singulorum Patrum, quippe cum hoc factum sit mere personale. Ergo nulla caussa est, cur Ecclesia dicatur librorum sensum certo assequi. Observandum est tamen fieri vix posse ut Ecclesia circa SS. Patrum textus erret, quia ex innumeris paucos claros & apertos ad fidem probandam seligere solet.

2.° Distinguo min. Ecclesia infallibiliter non cognoscit traditionem, nisi infallibiliter cognoscat quis sit sensus SS. Patrum collective sumptorum, concedo; nisi infallibiliter cognoscat quis sit sensus singulorum Patrum distributive sumptorum, nego. Consensus SS. Patrum certissimum est traditionis indicium, adeoque ab Ecclesia certo cognoscitur: verum idem de singulis Patribus dici non debet. Igitur sicut qui diceret: Concilium generale errare non potest: atqui Concilium generale constat ex singulis Episcopis: ergo singuli Episcopi errare non possunt; male ratiocinaretur, quia concluderet ab universali ad particulare, & a collectione ad distributionem: ita male ratiocinantur adversarii, quia traditio quam Ecclesia certo cognoscit, non in singulis Patribus, sed in communi SS. Patrum consensu sita est.

Instant 5.° Non magis Ecclesia errare potest libros damnando, quam approbando. Atqui ex ipsismet Iansenianis Ecclesia errare non potest cum libros approbat, v. g. libros Sancti Augustini circa gratiam. Ergo &c.

Dist. maiorem. Non magis Ecclesia errare potest damnando libros de quorum sensu constat, quam approbando libros de quorum sensu pariter convenit, concedo maiorem: non magis errare potest damnan-

damnando libros de quorum sensu disputatur, quam approbando libros de quorum sensu convenit, nego maiorem. Itaque vel de librorum sensu convenit, vel non: si convenit, Ecclesia illos damnando vel approbando, non quaestionem facti, quippe cum nulla esse supponitur, definit; sed doctrinam ipsam haereticam aut orthodoxam esse pronunciat, hocque iudicium ad fidem pertinet, nec errori subiectum est. Verum cum de librorum sensu non convenit, tunc duo definienda sunt: 1.um talem doctrinam in libro contineri; quod factum est: alterum, quod iuris est, illam doctrinam catholicam esse aut erroneam. Porro quando Ecclesia approbavit libros S. Augustini, nulla de illorum sensu controversia erat. Semipelagiani consentiebant praedestinationem gratuitam gratiamque ab intrinseco efficacem ab ipso assertam esse, sed eum in eo excessisse contendebant. Proinde circa ius ipsum, non circa merum factum a catholicis diffidebant; hocque quaestionis genus infallibili auctoritate ab Ecclesia definitum est. Enimvero cur affirmamus S. Augustinum docuisse gratuitam praedestinationem ad gloriam, gratiamque vi propria victricem? An quod Ecclesia declaraverit hanc eius doctrinam fuisse? Nequaquam: sed quia haec doctrina omnibus opera eius legentibus sese offert. Hoc unum ergo Ecclesia irreformabili iudicio pronunciavit, doctrinam quam Augustini esse tum catholici tum haeretici uno consensu fatebantur, sanam esse, summoque studio amplectendam.

Unde cum libri Iansenii non eadem ratio sit, eius condemnatio conferri non debet cum solemni commendatione librorum Sancti Augustini, sed cum approbatione librorum Marcelli Ancyrani, quos licet Synodus Sardicensis orthodoxos iudicaverit, ceu doctrinae tamen regulam non proposuit, quique a multis catholicis reprobati sunt. Obscura enim & controversa cum obscuris & controversis, non cum claris & indubitatis componi debent.

At, inquiunt, si Ecclesia circa criticas de librorum sensu quaestiones falli potest, quidni circa sensum Sancti Augustini falli potuerit?

Respondeo, ut Ecclesia circa factum aliquod errasse credatur, non sufficere quod absolute errare possit; alioquin nihil in factis humanis certum foret; sed requiri momenta, quae probent eam reipsa errasse. Porro non adsunt eiusmodi momenta respectu librorum S. Augustini, quae per se clara sunt, & de quorum sensu nulla per plura saecula disputatio fuit.

Urgent. Sancti Augustini doctrina adeo obscura est, ut variae scholae illum ad se trahant.

Respondeo diffidia circa S. Augustini doctrinam a centum & amplius annis exorta demonstrare tantummodo quid contra veritatis evidentiam anticipatae opiniones valeant. Non enim ex Augustini operum obscuritate natae sunt variae interpretationes; sed novitatis amor, ut S. Augustini longa saeculorum serie approbati censuram effugeret, textibus luce fulgentibus nebulas offundere coactus est: eo fere modo quo Calviniani apertissima testimonia SS. Chrysostomi, Ambrosii, Cyrilli Alexandrini & Ierosolymitani pro reali Christi praesentia in Eucharistiae Sacramento ad figurae sensum detorquere conati sunt. Caeterum adeo manifestum est, gratiam seipsa victricem praedestinationemque gratuitam a S. Augustino defensam esse, ut Pelagiani & Semipelagiani id ultro concesserint, & nostra aetate id confiteantur Arminiani & Sociniani, & quicumque e Molinae discipulis bona fide loquuntur.

An auctoritas Ecclesiae declarantis Conciliorum oecumenicitatem, vulgatam Scripturae versionem proponentis & Sanctos canonizantis, sit infallibilis.

Obiiciunt XIII. Plurima sunt factorum non revelatorum genera, circa quae Ecclesia falli non potest. Ergo circa facta quoque textualia infallibilis est.

1.° Inquiunt, quamvis Conciliorum oecumenicitas non sit revelata, tamen Ecclesia infallibiliter definit Concilium esse Oecumenicum. Hinc Concilia generalia initio singularum sessionum sic praefantur: *Sancta Synodus in Sancto Spiritu legitime congregata. &c.* Quae formula frustra adhiberetur, nisi immotam veritatem definiret. Quamobrem Bellarminus Lib. 2. de Sacramentis in genere Cap. 25. „ Si tollamus, inquit, auctoritatem praesentis Ecclesiae „ & praesentis Concilii, in dubium revocari poterunt omnium „ aliorum Conciliorum decreta & tota fides Christiana . . . & „ praeterea omnium Conciliorum veterum & omnium dogmatum „ firmitas pendet ab auctoritate praesentis Ecclesiae. Non enim habemus testimonium infallibile, quod Concilia illa fuerint, & legitima fuerint, & hoc aut illud definierint, nisi quia Ecclesia „ quae nunc est & errare non potest, ita sentit & docet. Quod „ enim historici quidam meminerint eorum Conciliorum, non potest parere fidem nisi humanam, cui potest subesse falsum ".

2.° Quod vulgata Scripturae Sacrae versio sit authentica & conformis primigeniis textibus, factum est non revelatum; & tamen a Concilio Tridentino per specialem Dei opem declaratum.

3.° Quod viri pii ad Sanctorum consortium evecti sint, licet a Deo revelatum non sit, tamen ab Ecclesia certo definitur, dum eos fidelibus colendos proponit. S. Thomas quodlib. *9.* quaest. 8. Art. ult. dicit Sanctorum canonizationem medium locum tenere inter ea quae ad fidem & ea quae ad particularia facta pertinent, „ in qua pie creditur, inquit, iudicium Ecclesiae errare non posse ". Idem docet Melchior Canus Lib. 5. de locis Cap. 5. conclus. 3. Bellarminus Lib. 1. de Sanctorum beatitudine Cap. *9.* & alii.

Respondeo 1.° Etiamsi quoad facta modo memorata errare Ecclesia non posset, non magis inde consecuturum Ecclesiam errare non posse circa facta textualia, quam sequitur eam non posse errare circa facta personalia. Deus liberrimus largiter dona sua prout vult dispensat; temerariumque est, ex eo quod aliquod privilegium concesserit, concludere aliud quoque ab eo concessum esse, nisi Scriptura & Traditio id doceant. Hoc adeo verum est, ut Theologi qui Ecclesiam in canonizandis Sanctis falli non posse opinati sunt, nihilominus negaverint eam circa librorum sensum infallibilem esse.

Respondeo 2.° Ad singula antecedentis membra.

Ad 1.um quod spectat Conciliorum oecumenicitatem, distinguo minorem: Ecclesia errare non potest, cum declarat Concilium aliquod esse Oecumenicum, id est cum illius decreta approbat, illudque consensu suo Oecumenicum facit, concedo; id est cum declarat aliquod Concilium habitum fuisse, Episcopos ex diversis orbis partibus convenisse, omniaque iuxta leges peracta esse, subdistinguo; errare non potest ob facti evidentiam, concedo; ex speciali assistentia, nego. Concilia vel celebratione Oecumenica sunt, quando nimirum omnes Episcopi ad illa invitantur, vel felici exitu, nempe totius Ecclesiae acceptatione. Unanimis enim universae Ecclesiae consensus est praecipua Conciliorum Oecumenicorum nota, quae si desit, caetera nihil prosunt; si adsit, alia supplentur. Hinc Concilium Constantinopolitanum primum per acceptationem Ecclesiae auctoritatem Concilii generalis obtinet, Ephesinum vero primum, quod vocant latrocinium, quamvis Episcoporum numero multo celebrius, defectu acceptationis non est generale. Quamobrem si sensus obiectionis est, Ecclesiam falli non posse, cum unanimi consensu approbans Synodi alicuius decreta eam Oecumenicam aut agnoscit aut facit, verissimum est; sed illa approbatio non circa merum factum, sed circa fidem ipsam versatur, fundaturque in Christi pro-

missionibus, quibus repugnat ut decreta erronea totius Ecclesiae consensu roborentur. Quamobrem tam certum est aliquod Concilium habendum esse pro Oecumenico, quam certum est universam Ecclesiam illud Concilium approbare & pro Oecumenico agnoscere. Hoc similitudine illustratur. Certum est hunc infantem post baptismum mortuum potiri regno caelorum, certum est; inquam, partim propter Christi promissa, partim quia evidens est eum esse baptizatum. Quo fit, ut eius salutem duplici modo impugnare possis, vel negando infantes baptizatos salutem consequi, quod est haereticum; vel negando eum esse baptizatum, quod foret error facti. Scimus pariter Concilium aliquod esse Oecumenicum eiusque decreta suscipienda, partim quia divinae promissioni repugnat, ut Concilium ab Ecclesia universa approbetur velut Oecumenicum; quod tamen a fide dissenserit; partim quia evidens est, illud Concilium ab universa Ecclesia approbari velut Oecumenicum. Christi promissiones negant soli haeretici, at de facti evidentia disputant quandoque Catholici: v. g. Theologi disputant utrum Sardicense Concilium fuerit celebratione Oecumenicum; utrum Basiliense in aliquibus sessionibus pro legitimo agnosci debeat: Synodos Florentinam & Lateranensem quintam inter Oecumenicas Galli non numerant. Hinc cum Vega docuisset Conciliorum oecumenicitatem fide certam esse, Bellarminus id confutavit Lib. 2. de auctoritate Conciliorum Cap. *9.* „ Licet, „ inquit, ex fide catholica habeamus Concilium legitimum non „ posse errare, non tamen nisi ex naturali evidentia & fide huma„ na certissima scimus, hoc vel illud Concilium fuisse legitimum ". Idem docet Melchior Canus Lib. *6.* locorum Theolog. Cap. 8. in solutione *19.* argumenti. Et sane non aliter scimus Concilium velut Oecumenicum agnosci ab Ecclesia, quam scimus Ecclesiam hoc vel illud dogma credendum proponere: atqui licet divina fide adhaereamus omnibus, quae ab Ecclesia proponuntur, tamen per evidentiam praedicationis cognoscimus Ecclesiam credere, & credenda proponere mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiae, peccati originalis &c. Ergo a pari per facti evidentiam scimus, aliquod Concilium suscipi ab Ecclesia, ut Oecumenicum.

Frivolum est argumentum quod petitur ex formula in posterioribus Conciliis adhibita, *Sancta Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata*. Nam, ut recte observat Bellarminus Lib. 2. de Conciliorum auctorit. Cap. *9.* „ 1.° Vetera Concilia non solebant

„ initio testari, suum conventum legitime, & in Spiritu Sancto congregatum: Concilia vero quaedam posteriora, ut Constantiense, „ Basiliense, Lateranense, Tridentinum, & alia id quidem testantur, sed non tanquam decretum aliquod formant de fide. Nusquam enim invenitur, inter canones proprie dictos alicuius Concilii aliquis canon, quo definiatur, illud ipsum Concilium esse legitimum a quo canones illi conditi sunt. 2.° Aut constat nobis „ aliunde Concilium aliquod fuisse legitimum, dum definire vellet „ se esse legitimum, aut non constat: si constat, frustra conditur „ tale decretum; si non constat, iam de ipso decreto dubitare incipiemus ". Et certe illa formula aeque usurpata fuit a Conciliis non vere Oecumenicis & ab Oecumenicis; v. g. adhibita est a Conciliis Pisano, Basiliensi in ea ipsa sessione, in qua Eugenium IV. deposuit, Florentino & Lateranensi quinto, quae pro Oecumenicis non agnoscimus.

Bellarminus in loco, qui obiicitur, loquitur de iure & auctoritate Conciliorum Oecumenicorum, ac merito dicit eam constare per Ecclesiae illa approbantis iudicium, quia revera ad Ecclesiam pertinet robur firmitatemque Conciliis suo consensu dare, aut saltem demonstrare. At ubi de facto agitur, utrum nempe Ecclesia alicui Concilio tale robur tribuerit, vel tribuat; affirmat Bellarminus id *ex naturali evidentia, & fide humana certissima* cognosci.

Ad 2.^{um} membrum, respondeo Concilium Tridentinum, vulgatam authenticam declarando, non factum aliquod definivisse, sed sancivisse rem ad disciplinam pertinentem. En decreti verba, quae extant sess. 4. „ Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex multis latinis editioni- „ bus quae circumferuntur sacrorum librorum, quaenam pro au- „ thentica habenda sit innotescat; statuit & declarat ut haec ipsa „ vetus & vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu, in ipsa „ Ecclesia probata est in publicis lectionibus, disputationibus, prae- „ dicationibus & expositionibus, pro authentica habeatur, & ut „ nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat ".

Authenticum dicitur, quod auctoritate publica approbatum, fidem in iudiciis obtinet. Summo in gradu authentica forent Scripturae Sacrae autographa si extarent & ab Ecclesia recognita fuissent: 2.^{m} Auctoritatis gradum obtinent primigenia exemplaria, ex autographis fideliter descripta: 3.^{m} versiones ab Ecclesia receptae. Nam cum

vulgata editio authentica declarata est, non primigeniis textibus, nec versioni LXX. Interpretum praelata fuit, sed aliis latinis versionibus, ut apparet ex ipso decreto; testanturque Salmeron prolegom. 3. in Evangelia, Bellarminus Lib. 2. de Verbo Dei Cap. 10. & 11. Andraeas Vega Lib. 15. de iustificatione Cap. 9. Mens quoque Synodi non fuit declarare, vulgatam sacris fontibus in omnibus conformem esse, sed tantum eam nihil fidei bonisve moribus contrarium continere. Siquidem nondum illa a levibus mendis purgata erat, quando authentica declarata fuit: immo postquam correcta & purgata est, Bellarminus, qui unus e correctoribus fuerat, ad Lucam Brugensem scribens: „ scias velim, inquiebat, Biblia vulgata „ non esse a nobis accuratissime castigata. Multa enim de industria „ iustis de caussis pertransivimus quae correctione indigere videban- „ tur “. Et in praefatione Bibliorum iussu Clementis VIII. recognitorum sic habetur: „ Quam quidem (vulgatam) sicut nume- „ ris omnibus absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile „ est, ita caeteris omnibus, quae ad hunc usque diem prodierunt, „ emendatiorem purioremque esse minime dubitandum “.

Haec omnia demonstrant Tridentinos Patres, quando versionem vulgatam pro authentica haberi voluerunt non factum aliquod proprie loquendo definivisse, sed rem ad disciplinam spectantem praecepisse.

Hoc etiam evidens est ex Synodi agendi ratione. Si enim propositum ipsi fuerat factum definire, debuerat ante omnia vulgatae textuum mature discutere, & cum sacris fontibus accurate conferre. Hac etenim solâ viâ perveniri poterat ad iuridicam facti cognitionem. Cum ergo certum sit nullum vulgatae examen iuridicum a Patribus Tridentinis factum esse, clarum est eos non factum decernere, sed supposita facti certitudine aliquid circa disciplinam statuere voluisse.

Porro quam versionem sanctiorem aut celebriorem seligere potuerunt, quam quae quinto saeculo a S. Hieronymo summâ curâ elaborata omnium deinceps Patrum Scriptorumque Ecclesiasticorum usu perpetuo trita & consecrata fuerat?

Urgent. Vulgatam Hebraicis & Graecis fontibus in essentialibus conformem esse, factum est non revelatum, & tamen summa auctoritate definitum.

Respondeo hoc factum etsi non revelatum certum & evidens fuisse. S. Hieronymi sinceritas, & maxima quae in illo fuit lin-

guarum Hebraicae, Graecae, & Latinae notitia, persuadent eum Scripturae veritatem reddere & voluisse & potuisse. Non caruit aemulis insensissimis, qui versionem eius carpere avidi, nihil tamen quod alicuius momenti foret reprehendere potuerunt. Dein per XII. saecula omnium manibus trita fuit, ut si quod in ea vitium gravius extitisset, eruditorum vigilantiam & solicitudinem non effugisset. Hoc adeo evidens est, ut doctissimi religionis Apologistae sinceritatem sacrorum codicum & tritarum versionum non ex auctoritate Ecclesiae, quam exteri non admittunt, demonstraverint, sed ex eo quod plane impossibile sit, ut veritas librorum sacrorum in essentialibus corrumpi possit.

Demum huiusmodi factum arctissimam habet connexionem cum Verbo Dei Ecclesiae concredito, & cuius interpres Ecclesia a Christo instituta est. Proinde ad regimen Ecclesiae pertinet, ut versionem aliquam Scripturae solemniter approbet. Porro certum est Ecclesiam a Spiritu Sancto gubernatam nihil circa disciplinam decernere posse quod fidei aut bonis moribus adversetur, adeoque nec infidam fidei regulam fidelibus proponere. Quid ergo inde concludi potest respectu librorum privatorum, qui nec fidei regula nec cum fide connexi sunt?

Ad 3.um membrum, respondeo 1.° Theologos qui Ecclesiam falli non posse sentiunt circa Sanctorum canonizationem, ut Bellarminum, Duvallium, Wigers, Gonetum &c. aliter sentire de sensu librorum. 2.° Illorum opinionem nullis firmis auctoritatibus aut rationibus fulciri, ideoque a maiori Theologorum parte respui. 3.° Illos sibi non constare: fatentur enim generatim Ecclesiam errare posse circa facta quae ab hominum informatione & testimonio pendent. Porro huiusmodi sunt facta quibus piorum hominum Sanctitas probatur. 4.° Ritus canonizandi, qui nunc obtinet, non semper in Ecclesia viguit, nec incoepit ante saeculum X. Antea hic honor a Conciliis provincialibus, vel ad summum nationalibus decernebatur; immo affirmari potest, primos Ecclesiarum Episcopos virosque pietate conspicuos sola populorum devotione publicoque concursu inter Sanctos relatos esse. Atqui omnes illi modi canonizandi non sunt per se infallibiles. Nam populorum suffragium errori obnoxium esse nemo dubitat. Concilia ipsa nationalia & SS. Pontifices errare possunt. Nec dicas iudicium SS. Pontificum infallibile fieri per acceptationem totius Ecclesiae. Cum enim Romani Pon-

tifices processus verbales, quibus ipsorum iudicium innititur, in publicum non emittant, Ecclesiae acceptatio non fit per modum iudicii, nec caussâ cognitâ, sed per simplicem acquiescentiam piamque credulitatem. 5.° Ideo tantum nonnulli Theologi opinati sunt decreta canonizationum infallibilia esse; ut cultui Sanctorum certitudo constet. Verum certissimum est Ecclesiae dogma, quo credimus Sanctos utiliter coli & invocari: & moralis certitudo de alicuius sanctitate, quae per indicium & examen SS. Pontificum vulgo paritur, sufficit, ut qui inter caelites numeratur, absque ulla culpa honorari possit. Etiamsi enim error aliquis hac in parte irrepsisset, huiusmodi error non noceret ei, qui bona fide cultum a Praelatis imperatum vel approbatum exhibent: sicut omnium consensu cultus latriae qui per errorem exhiberetur pani Sacerdotis malitiâ vel incuriâ non consecrato, omni culpâ vacaret. 6.° Qui Ecclesiam circa huiusmodi facta errare non posse sentiunt, fatentur suam opinionem certam non esse, sed probabilem duntaxat, & solis convenientiae, ut aiunt, rationibus innixam. Porro ubi de praerogativis Ecclesiae agitur, tutum non est quidquam revelationi addere, quia si coniecturis locus semel detur, novae opiniones in dies subolescent; paulatimque per simplicium credulitatem ita roborabuntur, ut tantum non fidei dogmata evadant.

Respondetur quorumdam Theologorum testimoniis.

Obiiciunt 14.° nonnullos Theologos; Cardinalem a Turre-Cremata, in Summa de Ecclesia Lib. 4. Part. 2. Cap. 9. ubi enumerans varios catholicae veritatis fontes, hunc inter alios recenset: „ Quae de tenenda fide & confutatione haereticorum a Doctoribus „ ab universali Ecclesia approbatis assertive tradita sunt, licet in „ canone Scripturae non contineantur. Quoniam, inquit, cum Ec- „ clesia universalis, quae regitur Spiritu Sancto, Doctores aliquos „ approbaverit, eorum doctrinam tanquam veram recipiens, necesse „ est, ut talium doctrina assertive posita, & nunquam alias revocata, „ vera sit, & ab omnibus fidelibus firma credulitate tenenda . . . „ Alias universalis Ecclesia videretur aberrasse, approbando & ac- „ ceptando eorum doctrinam tanquam veram, quae tamen vera „ non esset “.

Bellarminum, qui Lib. 3. de Ecclesia militante Cap. 14. sic loquitur: „ Nostra sententia est, Ecclesiam absolute non posse errare „ nec in rebus absolute necessariis, nec in aliis quae credenda vel „ facienda nobis proponit “. Et postea: „ Obligamur sub poena „ ana-

„ anathematis credere Ecclesiae in omnibus. At iniquum esset sub „ tam gravi poena obligari ad assentiendum rebus incertis & inter„ dum falsis “.

Baronium, qui ad annum Christi 256. n. 40. de illis qui pro Origene Apologias scribunt, sic censet: „ Miratus sum, inquit, „ vehementer post damnationem eius (Origenis) ab Anastasio Pa„ pa Pontificia auctoritate inflictam, post eiusdem reprobationem „ in sexto Synodo pronunciatam, post tot antiquorum Patrum in „ idipsum conspirantes sententias, adhuc recentiores quosdam ausos „ esse pro eodem novas edere Apologias, & auctoritate totius Ec„ clesiae iudicatas saepius controversias denuo temere excitare “.

Cardinalem Norisium, in Apologia Monachorum Scythiae Cap. 1. pag. 45. Col. 1. ubi loquens de trium Capitulorum damnatione: „ Quo plane iudicio totius Ecclesiae consensu confirmato, inquit, „ demonstratur Ecclesiam in damnandis propositionibus in sensu ab „ auctoribus intento non errare, neque latum ab eadem semel iu„ dicium posse retractari “.

Cardinalem *D' Aguirre*, in defensione Cathedrae S. Petri Disput. 20. Sect. 3. ubi asserit: „ moraliter certum esse Pontificem nul„ latenus errare, quoties mature rem examinat, invocata privatim „ & publice Spiritus Sancti ope, adhibito consilio S. R. E. Car„ dinalium, consultatione diuturna gravium Theologorum, & in„ spectione attenta omnium, quae circumstant materiam de qua agi„ tur “. Affert in exemplum definitiones Innocentii X. & Alexandri VII. circa factum Iansenii.

Cardinalem Laurea, qui Tom. 3. suae Theologiae, Disp. 6. Art. 6. proposita quaestione, *An propositiones doctrinales includentes aliquid facti possint esse obiectum fidei*, sic respondet: „ Dico 1.° „ Dum Ecclesia in Concilio, vel Romanus Pontifex extra Conci„ lium damnat aliquam doctrinam cum expressione auctoris, v. g. „ Sabellii, Cerinthi, aut Eunomii, vel Arii &c. licet totum com„ plexum includat aliquid facti, damnatio illa est obiectum fidei; „ ideo absolute & sine distinctione facti a iure est recipienda ut „ fidei obiectum . . . . “. Et postea: Dico 2.° „ Dum Ecclesia „ seu in Concilio generali, seu Romanus Pontifex, solum damnat do„ ctrinas cum hac loquendi formula, *in sensu Arii*, *in sensu Ne„ storii &c.* esto tota illa complexio constet ex facto & iure, & ra„ tione unius partis non sit expresse revelata; non propterea defi-

„ nitio illa cessat esse obiectum fidei; ideo ut talis recipienda ab „ Ecclesia “.

Respondeo, mirum non futurum etiamsi quinque aut sex Theologi a caeteris hac in parte dissensissent, praesertim ex quo Iansenismi controversia mota est. Verum hoc ipso praesidio plane destituuntur adversarii.

Cardinalis a Turre-Cremata non loquitur de quaestionibus facti, nec de textibus obscuris SS. Patrum, sed de doctrina quam SS. Patres ab Ecclesia approbati clare tradiderunt. Porro quis dubitat inhaerendum esse doctrinae SS. Patrum ab Ecclesia receptae, iudiciumque Ecclesiae, doctrinam a SS. Doctoribus, Augustino v. g. traditam approbantis, immotum & irreformabile esse? Num idcirco idem iudicium ferri debet de libris obscuris, quorum sensus inter doctos controvertitur? Dicemus ne v. g. omnia quae Marcellus Ancyranus assertive tradidit, habenda esse, ut veritates fidei, eo quod eius scripta a Iulio Romano Pontifice & a Concilio Sardicensi orthodoxa pronunciata sint; cum tamen Petavio haeresibus scatere videantur? Quid de praesenti controversia senserit Cardinalis a Turre-Cremata, patet ex loco supra laudato, ubi ait Synodum sextam errasse *non intellectis Honorii Epistolis*.

Bellarmini quoque sententia ex verbis ipsius in probatione laudatis manifesta est. Quamobrem e loco qui obiicitur, nihil concludi potest, nisi facta textualia, non esse *absolute necessaria*, nec ab Ecclesia *proponi* ut necessario *credenda*.

Cardinalis Baronii mentem demonstrant quae ex ipso supra allata sunt. Non igitur tantopere mirari debuit, quod aliqui Origenis defensionem susceperint, cum ipsemet Honorii epistolas a Concilio sexto damnatas ab errore vindicaverit: nisi forte putavit Origenis scripta nimis aperte erronea esse, quam ut absque temeritatis nota defendi queant.

Cardinalis Norisius in loco citato non de facti definitionibus, sed de fidei decretis loquitur. Cum enim ipsi obiiceretur, eum *Monachos Scythas ab Eutychianae haereseos nota vindicando Romani Pontificis in rebus fidei definiendis infallibilitatem laesisse*, ut refert in prooemio dissertationis; hoc crimen ut a se amoliretur, probat errorem in fide non esse, si unus Pontifex propositionem aequivocam uno sensu approbet quam alter alio sensu damnat. Igitur cum ait Ecclesiam non errare, quando damnat propositiones in

ſenſu ab auctoribus intento, intelligendum eſt, eam non errare contra fidem, non vero, eam circa factum errare non poſſe. Et certe Hormiſdas haereticum ſenſum propoſitionis, *unus de Trinitate paſſus eſt*, Scythiae Monachis attribuit, quos nihilominus in tota diſſertatione purgat Noriſius.

Cardinalis D'Aguirre mentem alibi expoſuimus. In loco vero qui obiicitur, non ait Summum Pontificem errare non poſſe, cum de factis iudicat, ſed *moraliter loquendo non errare*, quando rem mature examinat tum per ſe, tum per diligentem gravium Theologorum conſultationem. Utrum vero tale examen cauſſae Ianſenii factum ſit, alibi expendimus.

Cardinalis de Laurea ſenſus facile innoteſcit ex ipſius voto in cauſſa Archiepiſcopi Mechlinienſis & Theologorum Lovanienſium, ubi docet Eccleſiam errare poſſe circa facta, eaque in formulis enunciari non tanquam res definitas, ſed velut connotatum quoddam & incidens. Igitur loci obiecti ſenſus eſt, propoſitionem facti incidenter enunciatam non impedire quominus definitio ſit obiectum fidei; quia definitio ex natura ſua non in factum ſed in ius tantummodo cadit.

Si quis plura circa hanc quaeſtionem volet, adeat quartam partem *Apologiae pro puellis Monaſterii Portus Regii*, & *Defenſionem Theologorum S. Auguſtini diſcipulorum adverſus Carnotenſem Epiſcopum*, & *Iuſtificationem ſilentii obſequioſi*, in qua omnes Cameracenſis Archiepiſcopi tricae diſſolvuntur.

QUAESTIO QUINTA.

Utrum, poſito quod Eccleſiae de librorum ſenſu iudicia fallibilia ſint, teneantur fideles, ſpectata ſolius Eccleſiae auctoritate, huiuſmodi iudiciis praebere fidem humanam, quae ſit certa & firma perſuaſio?

RES iam nobis eſt cum illis Theologis, qui, tametſi fateantur iudicia Eccleſiae circa facta errori obnoxia eſſe, nihilominus certam fidem eis deberi contendunt. Hos ſicut adverſus Cameracenſim Ar-

chiepiſcopum ſocios & belli comites modo habuimus, ita nunc iunctis cum Cameracenſi copiis impugnabimus.

Caeterum hi non uniuſmodi ſunt. Alii quippe fidem hanc pro ſolis factis textualibus exigunt: alii pro quibuslibet, etiam hiſtoricis ac perſonalibus. 2.° Alii fidem hanc ſemper deberi aſſerunt, alii ad tempus duntaxat & quandiu Eccleſia praecipit; ſopitis enim controverſiis, quando nullum eſt erroris vel ſchiſmatis diſcrimen, licere de illis factis aliter opinari. 3.° Hanc fidem, quam humanam & Eccleſiaſticam appellavit eius parens Illuſtriſſ. *De Perefixe* Pariſienſis Archiepiſcopus, nonnulli adeo firmam eſſe volunt, ut dubium omne excludat: alii e contrario quantum poſſunt extenuant.

Hanc de fide humana opinionem amplexus eſt vir pius aeque & eruditus, qui occaſione Caſus conſcientiae in exilium miſſus, poſt multos annos ad Regiam in Sorbona Cathedram tenendam ob ſummam eruditionis famam electus, eo munere maxima cum laude defunctus eſt, donec aemulorum artibus & calumniis illa ſede non tam ſuo quam Candidatorum & Scholarum detrimento pulſus eſt. Hic in egregio *de locis Theologicis* tractatu, quem in Sorbona dictavit diſſerens *de auctoritate Eccleſiae in factis definiendis* novam defendendae fidei humanae viam iniit, quam ipſiuſmet verbis referam. „ Quod quidem, inquit, ut nitide exponamus, clariuſque ſi „ fieri poteſt quam factum eſt hactenus, videtur operae pretium „ horumce iudiciorum (Eccleſiae) duplicem reſpectum diſtinguere, „ unum neceſſario ſubobſcurum & latentem, alterum quem non repugnat eſſe evidentem & apertum. Cum enim quaeritur an merito anathemate confixus ſit v. g. Theodorus Mopſueſtiae Epiſcopus, quod eſt factum perſonale, ſenſus quaeſtionis eſſe poteſt; 1.° „ an Theodorus in animo habuerit eos errores propter quos damnatus eſt, quod internum totum eſt & latet; 2.° an ita ſe geſſerit „ ille dum viveret, ut iure credi potuerit eoſdem errores voluiſſe „ propugnare, quod externum totum eſt & certis indiciis argumentiſque reddi poteſt evidens. Pariter cum de eiuſdem Theodori „ vel Theodoreti aut cuiuſvis alterius ſcriptis agitur, moveri difficultas poteſt; 1. de eorum ſenſu critico & grammatico qui abſtruſior & reconditior eſt, utpote ex partium multarum arbitraria connexione reſultans, quae non ita ſemper ſe prodit; 2.° de „ ſenſu obvio qui cuivis legenti obiicitur. Quamquam enim obvius „ libri ſenſus, maxime ſi clare & aperte loquatur homo & ſibi

„ constet semper, in sensu grammatico & critico fundetur; dubitari
„ tamen non potest quin alter ab altero aliquando differat, tunc
„ vero maxime cum aut scriptor sui parum memor secum ipse pu-
„ gnat, aut verbis ambiguis mentem exprimit, quod vel de indu-
„ stria vel ex ingenii aut attentionis defectu, vel ex materiae dif-
„ ficultate potest facere etiam invitus “.

Nimirum, pergit clarissimus Doctor. „ Si habet sensus libri
„ criticus ad sensum obvium, quomodo se habet voluntas defenden-
„ di errores ad externam propositionum erronearum defensionem:
„ porro quemadmodum, licet rarius accidat eum qui propositiones
„ erroneas propugnat errorem propositionibus latentem nolle defen-
„ dere, accidit tamen ut nolit; ita etiam aliquando evenit, etsi
„ rarius, obvium libri sensum cum critico & grammatico confun-
„ dendum non esse. Ut enim potest auctor minus accurate loqui,
„ errorésque verbis exprimere quos damnat, sic potest minus accu-
„ rate scribere viderique errores scripto mandasse, a quibus reipsa
„ alienus est, quod reconditior magisque rigorosa eius operum in-
„ vestigatio, & singularis quarumdam vocum huic forte soli propria
„ nec alii cuiquam communis significatio revelabit “.

„ Ex quo sequitur aliam hic esse conditionem librorum aper-
„ to & nitido stilo fulgentium, aliam eorum qui obscuris vocibus
„ & minus aperta orationis serie texuntur: in illis scilicet sensus
„ obvius cum critico & grammatico, uterque cum interno scriben-
„ tium sensu non immerito confunditur . . . in his autem libris
„ qui obscurioribus terminis & confuso stilo exarati sunt, non mo-
„ do non confundendus sensus internus cum obvio & grammatico,
„ sed sensus grammaticus & criticus distingui debet triplex: 1.us
„ quasi internus quem mente gessit auctor cum scripsit: alter exter-
„ nus totus, quem liber videri potest exprimere, quoniam eo scri-
„ ptus est modo quo possit excitari in animo legentium: 3.us pro-
„ fundior, nempe internus simul & externus, quem & reipsa voluit
„ auctor, & exprimit si quem exprimit “.

His expositis, mentem suam duplici propositione tripartita ape-
rit vir eruditus. 1.a Haec est: „ Ecclesiae iudicia de personis, qua-
„ tenus in externam duntaxat earum agendi rationem tendunt, &
„ significant recte laudabiliterque se gessisse eos quos probat, male
„ vero quos damnat, tandiu humana fide tenenda sunt quandiu ea
„ tenenda esse iudicat Ecclesia “. En prima pars. „ Quod si ali-

„ quando permittat vel argui eos quos probavit, vel probari quos „ arguit, non solum humana fide non sunt tenenda, sed ab his, „ licet palam & publice, modeste tamen recedere ". En altera pars. „ Quatenus vero in occultam & privatam earumdem personarum „ mentem indirecte saltem refluunt, tandiu non assentiri licet, „ quandiu in contrarium adsunt certissima ex sensu intimo, quae „ tamen vix alius a reo habere potest, & evidentia argumenta ". En tertia pars. Affert exemplum hominis, quem Ecclesia excommunicaret, quia redire cum ea non vult quam sibi conscius est non esse suam. Altera propositio pariter tripartita haec est: „ Ecclesiae „ iudicia de libris, sive ut directe tendunt in sensum obvium quem „ libri exhibent, sive ut aliquem sensum criticum & grammaticum, „ externum nempe & minus profundum in libris obscuris, internum „ & profundiorem in nitidis & apertis indirecte saltem & conse„ quenter denotant, tandiu humana fide tenenda sunt, quandiu sua „ de libris iudicia teneri vult & iubet Ecclesia ". Duae sunt partes, altera de sensu obvio, altera de critico & grammatico. „ Qua„ tenus vero ea iudicia in profundiorem sensum librorum obscu„ rorum refluunt, nihil obstat, quominus ipsa Ecclesia consentiente „ ut sua de libris iudicia non teneantur, a privatis modeste im„ pugnentur ": Et haec tertia pars est.

Hactenus vir multis nominibus commendandus, cuius integrum textum etsi prolixiorem referre malui, quam decurtando aliquid de vi verborum imminuere. Apparet autem 1.° iuxta illum fideles ad fidem humanam teneri quando Ecclesia hanc fidem exigit. Unde sequitur eam fidem non deberi nisi imperetur. 2.° Quantum ex eius verbis coniicio, apparet mentem eius esse, iudicia Ecclesiae nunquam directe ferri in profundiorem & reconditiorem librorum obscurorum sensum, sed indirecte duntaxat & consequenter, quatenus de obvio & de critico sensu minus profundo pronunciat: unde merito ambigitur, utrum in eius sententia fideles hoc in casu teneantur credere, profundiorem librorum obscurorum sensum haereticum esse, an credere sufficiat sensum minus profundum, perversum & erroneum esse. 3.° Apparet iuxta eumdem licere Theologis, quando Ecclesia permittit, reconditum hunc sensum aperte defendere; utrum autem aliquando liceat sensum obvium aut minus profundum, de quo Ecclesia directe iudicavit, benigne interpretari, clare non definit.

Quamobrem vir clarissimus partim consentit caeteris fidei hu-

manae patronis, partim ab illis dissentit. Consentit in quantum definitionibus circa facta seu personalia seu dogmatica fidem humanam deberi existimat; dissentit vero in quantum negat iudicium Ecclesiae in profundiorem & reconditiorem librorum obscurorum sensum ferri, nisi indirecte & consequenter. Itaque ut haec quaestio dilucide tractetur, duo praestanda sunt. Primum examinandum quod eruditi Doctoris systemati proprium; secundo quod illi cum caeteris commune est.

PRIMA PROPOSITIO.

Unicus est librorum etiam obscurorum sensus, non multiplex, huncque unicum sensum respicit Ecclesia, quoties librum aliquem sive clarum, sive obscurum damnat vel approbat.

Probatur 1.ª pars, nempe librorum, etiam obscurorum (de iis enim agitur) sensum esse unicum. Auctores eo fine scribunt, ut mentem suam aperiant, eoque fine leguntur libri, ut auctorum mens innotescat. Atqui mens auctoris unica est. Ergo & libri sensus unicus est, & tunc solum attingitur, cum considerata totius libri textura, collatisque variis eius partibus, scopus, intentio, sensusque auctoris attingitur. Alioquin si pro interpretationum varietate multiplicarentur librorum sensus, tot forent eiusdem libri sensus admittendi, quot sunt in legentibus ingeniorum vel affectuum varietates.

At inquies, cum libri obscuri sunt, „ quis ambigat alium esse „ sensum, quem vult auctor, alium, quem reipsa significat, alium „ denique, quem videri cum fundamento potest & voluisse & signi„ ficasse "? Aliunde accidit quandoque, ut auctor minus accurate sensa sua exprimat, aut secum ipse pugnet.

Respondeo libri obscuritate sensum non multiplicari, sed tantum intellectu difficiliorem reddi. Tunc non in superficie haerendum est, sed integer textus mature dispiciendus, singuli apices excutiendi, diversa loca secum invicem conferenda, ut quod alicubi obscurum est, aliorum locorum comparatione & luce illustretur. Sit in exemplum liber Ratramni, in quo nonnullae sunt propositiones primo intuitu erroneae, & rursus aliae, quae veritatem catholicam prima fronte

exhibeant. Quo iure afferis fenfum obvium haereticum effe propter propofitiones male expreffas, eodem ex adverfo contendam fenfum obvium orthodoxum effe propter propofitiones, quae orthodoxam fidem aperta fronte exhibent. Erunt ergo duo fenfus obvii eiufdem libri; quod abfurdum eft. Efto namque quod fuperficies unius propofitionis vel paginae, vel etiam integri capitis feorfim fpectati erronea fit; non idcirco fenfus libri erroneus eft, quia quod hîc offendit, alibi catholice exponitur; nec in una pagina totius libri doctrina continetur, fed in partium omnium ex quibus coalefcit confenfione.

Probatur 2.ª pars multiplici argumento.

1.° De illo librorum obfcurorum fenfu Ecclefia iudicat, de quo diffidium effe poteft; alias ipfius iudicium fuperfluum foret. Atqui quoties difputatur de fenfu librorum obfcurorum, difputatio non verfatur circa fenfum minus profundum, quem in legentium imperitorum animis libri excitare poffunt, fed circa intimum & profundiorem fenfum. Hoc evidens eft ex diffidiis occafione Ianfeniani libri exortis.

Verum, ut antiquiora exempla commemorem, quando de Marcelli Ancyrani fcriptis difputatum eft, in quibus multa funt quae primo intuitu haerefim fonant; de quo certabatur, nifi utrum pravus fenfus in fuperficie tantum emineret, an in intimis, ut ita dicam, medullis lateret? Quid nifi hoc ipfum examinatum & iudicatum eft a Patribus Synodi Sardicenfis? Ioannes Antiochenus & alii Neftorii defenfores non negabant in eius fcriptis & fermonibus ad populum habitis aliqua effe fpecie tenus haeretica, fed dicebant ea in rigore accipi non debere, atque ex catholica auctoris intentione & ex comparatione cum aliis eiufdem verbis fenfum catholicum refultare, nec prius eius damnationi confenferunt, quam de haeretica ipfius mente fibi conftitiffet. Pariter in difputatione tam fervida circa tria Capitula non de fenfu quodam minus profundo agebatur, fed de unico, quem alii orthodoxum effe contendebant, alii Neftorianum; Facundus v. g. non abnuebat in Theodori Mopfuefteni libris multa effe, quae in malam partem accipere proclive erat, fi cum auctoris fcopo & aliis locis non conferrentur. Si ergo Ecclefia directe non iudicat de interno & recondito librorum fenfu, illae contentiones ftatim componi potuiffent, immo nullae extitiffent; Summifque Pontificibus facillimum fuiffet fcrupulos & querelas fchifmatico-

maticorum qui tria Capitula defendebant compescere, dicendo nempe: alium sensum Epistolae Ibae, in Synodo Chalcedonensi approbatum, alium a quinta Synodo damnatum; Synodum quintam directe non pronunciasse circa intimam & profundiorem Capitulorum doctrinam, quam solam illi defendebant. Cur hac responsione non usi sunt, nisi quia quod hic refellimus systema, Ecclesiae incognitum erat.

2.° Si Ecclesia cum de libris iudicat, non directe attingit profundiorem illorum sensum, sed eum duntaxat quem verborum superficies plurimis lectoribus offert; multa SS. Patrum scripta damnari possent, in quibus nonnulla reperiuntur, quae benigna interpretatione indigeant. In Patrum ante Nicaenorum operibus, multa Sanctissimae Trinitatis mysterio, prima fronte contraria videntur: Patres Graeci quibusdam phrasibus usi sunt, quae Pelagianismum aut Semi-Pelagianismum sapere videantur: S. Hieronymus secundas nuptias quandoque damnare, & S. Chrysostomus in Homiliis quibusdam, Sacramentalis Confessionis necessitatem tollere videntur: S. Hilarius Pictaviensis de Christi passionibus quaedam scripsit, quae erronea crederentur, nisi eius scopus mature & profunde attenderetur. Num idcirco Ecclesia hos Patres eorumque scripta in sensu ab ipsis intento damnare potuisset? Fatendum est ergo Ecclesiam, quando auctorem aliquem librumve damnat, de sensu proprio & intimo iudicare, sive apertus ille sit, sive obscurus & reconditus.

3.° Aliud est librum prohibere, aliud doctrinam eius haereticam pronunciare. Ad libri prohibitionem, necesse non est reconditos eius sensus rimari, sed satis est quod incautis lectoribus offensioni esse posset: verum, ut liber damnetur tanquam haereticus, constare debet illius doctrinam reipsa haereticam esse; constare autem non potest, nisi omnibus rite consideratis, errorem, in intimis medullis latere deprehendatur. Quomodo in systemate viri eruditi haec stare possint, vix concipitur.

4.° Omnes Theologi qui circa scripta Marcelli Ancyrani, Theodoreti, vel Honorii, Ecclesiam errasse crediderunt, persuasum habebant, Ecclesiam, de unico eoque occulto & recondito illorum sensu iudicasse. Nam circa eum ipsum sensum illam errasse crediderunt, quam ipsi ab errore vindicarunt: atqui non aliquem minus profundum, sed unicum eumque intimum & latentem sensum catholica expositione vindicarunt: Ergo circa hunc ipsum sensum Ec-

clesiam erraſſe, adeoque de illo directe iudicaſſe perſuaſum habuerunt. Plerique illorum dicunt ſextam Synodum non recte intellexiſſe Honorii Epiſtolas: male profecto in opinione quam refellimus, iuxta quam & ſexta Synodus ex una parte, & Bellarminus aliique Theologi ex altera, illas recte intellexiſſe potuerunt. Synodus ſexta ſenſum criticum minus profundum merito damnaſſet: Bellarminus & alii ſenſum profundiorem merito defendiſſent: Illos inter & Synodum nulla contradictio foret; ſiquidem ſub variis reſpectibus utrique verum dixiſſent. Cur igitur memorati Theologi dicunt Synodum ſextam erraſſe, niſi quia intimum & profundiorem ſenſum, quem ipſi defendebant, a Concilio directe damnatum fuiſſe crediderunt?

5. Vel Eccleſia, cum de libris iudicat, exigit ut aſſenſus ſuis definitionibus detur, prout in ſenſum profundiorem indirecte refluunt, vel non exigit. Si exigit, cui bono haec ſenſuum diſtinctio, cum hominum ſcrupulis mederi non poſſit: ſi autem non exigit, de fide humana actum eſt.

SECUNDA PROPOSITIO.

Iudicio Eccleſiae de factis textualibus in ſe praeciſe ſpectato, & ſepoſita factorum evidentia, non debetur fides humana certa & indubitata, qualis ad licite iurandum requiritur.

Dico *iudicio Eccleſiae in ſe ſpectato:* Nam certum eſt aſſenſum deberi, quando facta ſunt evidentia, & in confeſſo apud omnes, nullaque momenta in contrarium adſunt.

Probatur propoſitio primum hoc argumento: huiuſmodi iudicia ſunt errori obnoxia: atqui auctoritati errori obnoxiae, in ſe praeciſe conſideratae, non debetur certus & firmus aſſenſus, praeſertim ubi adſunt dubitandi motiva: Ergo Eccleſiae iudiciis circa facta non debetur fides humana ſeu firmus aſſenſus.

Maior iam probata eſt, & ab adverſariis conceditur. Minorem itaque, in qua tota difficultas eſt, probo auctoritate, exemplis, & ratione.

Auctoritate quidem & exemplis: S. Thomas quaest. 18. de veritate Art. *6.* hoc principium statuit: „ Semper contingit inordi„ natio, quando aliquod movetur non proprio motivo, sicut si vo„ luntas moveatur a delectabili sensus, cum debeat tantummodo „ moveri ab honesto. Proprium autem motivum intellectus est ve„ rum id, quod habet infallibilem veritatem. Unde quandocumque „ voluntas movetur ab aliquo fallibili signo, est aliqua inordinatio „ in ipso, sive perfecte, sive imperfecte moveatur ". Porro auctoritas errori obnoxia, est signum veritatis fallibile, ut patet.

Huic principio innixus S. Augustinus Lib. 2. de Baptismo cont. Donatistas Cap. 3. n. 4. Cap. 4. n. 5. Cap. 8. n. 13. definivit S. Cyprianum, aliosque Africanos, qui redeuntes ab haeresi denuo baptizandos esse contendebant, auctoritati S. Stephani & maioris partis Episcoporum cedere non debuisse; quia, quamvis magna, non tamen suprema & infallibilis erat. „ Noluit vir gravissimus, in„ quit, Cap. 8. n. 13., rationes suas, etsi non veras (quod eum „ latebat), sed tamen non victas, veraci quidem, sed non asser„ tae consuetudini cedere ". Et Cap. 3. „ Nec nos ipsi tale ali„ quid auderemus asserere, nisi universae Ecclesiae concordissima au„ ctoritate firmati, cui & ipse procul dubio cederet si iam illo „ tempore quaestionis huius veritas eliquata & declarata per plena„ rium Concilium solidaretur . . . quia profecto & uni verum di„ centi & demonstranti posset facillime consentire tam sancta ani„ ma, tam pacata ".

Eodem principio Theologi ipsaque Synodus Basiliensis probaverunt Ecclesiam errare non posse circa fidem ac bonos mores; eo quod fideles omnes teneantur eiusmodi decretis per consensum internum subiici. Sic loquitur Concilium Basiliense Epist. 3. Synodica: „ Quod si errare possent Concilia generalia in iis quae ad salutem „ sunt necessaria, profecto nimis vanum ac perniciosum esset ad ta„ lem fidem populum Christianum adstringi ". Polemici Scriptores assentiendi necessitatem, cum privilegio non errandi adeo reciprocam censuerunt, ut unanimi consensu doceant firmum assensum definitionibus fidei non deberi si Ecclesia errare in fide posset: ideo catholicorum fidem certam esse & immotam, quia sciunt Ecclesiam cui credunt falli non posse; haereticos vero, qui Ecclesiam errori obnoxiam sibi fingunt, nutantem incertamque fidem habere: Conciliis generalibus ideo assentiendum, quia universam Ecclesiam,

Tom. 4. Concil. Binii Part. 2. p. 104. Col. 1.

columnam & firmamentum veritates repraesentant; Provincialibus autem & nationalibus non semper credendum, quia non errandi privilegium non acceperunt. Hoc argumentum erudite tractat auctor libri cui titulus, *obedientiae credulae vana religio*, Tom. 2. Cap. 2.

Hinc cum Calviniani praecepissent ut Synodorum suorum definitioni crederetur, tametsi infallibilitatis donum in eis non agnoscerent, hanc fidem velut temerariam, rationi contrariam, & tyrannice extortam exagitarunt catholici Scriptores demonstraruntque praeberi non posse nec debere firmum assensum ei auctoritati, quae fallibilis supponitur. Inprimis Illustr. *Bossuet* Episcopus Meldensis, in colloquio cum Ministro Claudio, vehementer reprehendit iuramentum quo Calviniani, deputatos ad Synodum Provincialem mittendo, sese obstringebant ad recipiendum quidquid illa decrevisset, quamvis in ea nullam certam Spiritus Sancti assistentiam, sed solam
Colloquii pag. 173. humanam cognitionem & inquisitionem agnoscerent. Reponebat Claudius eos promittere tantummodo fidem humanam: verum Meldensis urgebat illam fidem humanam fallibili fundamento subnixam necessario incertam ac dubiam esse, nec posse cum iureiurando pro-
ibid. pag. 237. mitti: „ Eligant igitur, inquiebat, e duobus unum, qui se Reformatos dicunt: aut eam formulam cui subscribere solent dum delegatos a se mittunt ad Synodum Nationalem, meram illusionem esse, vel infallibilitatis Ecclesiae apertam confessionem ". Hoc argumento Cameracensis Archipraesul de patronis humanae fidei triumphavit. Qui Ecclesiam circa facta falli posse censent, inquiebat, maiorem hac in parte auctoritatem ei tribuere non possunt, quam Reformati Synodo suae Nationali: atqui auctoritas fallibilis, quam Reformati suae Synodo attribuunt, sola non sufficit, teste Episcopo Meldensi, ut Reformati firmum rebus a Synodo definiendis assensum cum iuramento promittant vel exhibeant: Ergo pariter Ecclesiae auctoritas circa facta, si falli possit, sola non sufficit ad obtinendam certam fidem. Porro si auctoritati fallibili, antequam iudicaverit, firmus assensus promitti non potest, quando licet praesumere eam non erraturam; quanto minus exhiberi potest, quando iudicavit, & errasse existimatur, quemadmodum Iansenii defensores credunt SS. Pontifices errasse in caussa Iansenii? Ita Cameracensis.

Demum eodem principio nixi Galliae Theologi, cum credant iudicium Romani Pontificis circa fidem esse fallibile, concludunt eius Constitutionibus assensum non deberi, priusquam ab Ecclesia ap-

probatae fuerint: „ In caussis fidei “, inquit Ioannes Gerson in libro *de appellationibus a Summo Pontifice in caussis fidei*, „ nulla Pag. 431.
„ determinatio Papae solius . . . ligat fideles ad credendum . . .
„ obligat tamen subditos quod non dogmatizent contrarium talis
„ determinationis, nisi appareat manifesta ratio repugnandi “. Igitur auctoritate & exemplis constat, certam & firmam persuasionem soli auctoritati infallibili deberi.

Hoc etiam ratione constat. Nam assensus non potest esse maior, quam unicum illius motivum; siquidem nullus effectus maior est sua caussa: atqui auctoritas fallibilis, non est motivum firmum assentiendi, maxime quando in contrarium suppetunt dubitandi momenta. Quandiu enim huiusmodi auctoritas in se praecise consideratur, semper incertum est utrum erraverit, necne: Ergo fallibili auctoritati non potest dari certus assensus, si gravia in oppositum momenta suppetant.

Enimvero mentis assensus non est quid liberum & voluntatis imperio subiectum. Si momenta certa & inconcussa mentem afficiant, assensus illico sequitur; si vero desint, necessario continetur. Potest quidem hoc in casu voluntas minis deterrita, aut promissis illecta, linguae vel manui imperare ut voce vel scripto caedere se mentiantur: ut vero quod incertum videtur, pro certo teneat, nec voluntas menti imperare potest, nec mens obtemperare. Igitur qui exigit assensum certum, pro facto, quod nulla argumenta certum faciunt, rem omnino impossibilem exigit; quod, sicut Deo attribuere sacrilegum est, ita Ecclesiae imputare impium. Sic iusto Dei iudicio contingit ut qui S. Augustini discipulos calumniantur, quasi teneant Deum iustis praecipere impossibilia; ipsi hoc crimen verissime incurrunt, assensum plane impossibilem sub poenarum gravissimarum interminatione imperando.

2.° Imperari non potest perversus usus rationis: Porro perversus rationis usus est, aliquid propter incertum motivum certo credere, solus quippe ille ratione bene utitur, qui veritati nihil addit, nihil detrahit, qui non plus progreditur quam momenta impellant, qui certa pro certis, incerta & dubia pro incertis ac dubiis habet: Ergo iniuste imperatur firmus assensus auctoritati fallibili.

3.° Nemo cuiuscumque dignitatis vel potestatis sit, ius habet exigendi, ut sibi deferatur honor soli Deo debitus: atqui captivare intellectum, ac fidem certam praebere, cum stant gravia dubitandi

motiva, honor est soli Deo debitus: *Est enim*, ait Apostolus, *solus Deus verax, omnis autem homo mendax*. Cur enim vero articulos fidei ab Ecclesia propositos credere tenemur, quidquid in contrarium ratio suggerat, nisi quia Deus per Ecclesiam loquitur: Ergo quando Deus nón loquitur, solaque hominum auctoritas adest, & aliunde suppetunt dubitandi motiva, credere non tenemur.

4.° Alia submissio debetur auctoritati infallibili, alia fallibili: atqui auctoritati infallibili debetur tantum persuasio certa & firma; Ergo auctoritati fallibili non debetur eiusmodi persuasio, sed obsequiosum duntaxat silentium.

5.° Deus qui est summa veritas, & Ecclesia, quae est columna, firmamentum, & magistra veritatis, ad falsum amplectendum neminem compellere possunt. Tametsi enim qui errat non semper fortasse peccet, tamen errare semper malum est, semperque cavendum: „ Error “, ait S. Augustinus Enchiridii Cap. 17. num. 5. „ quanta possumus cura cavendus est; non solum in maioribus, sed „ etiam in minoribus rebus “. Et Cap. 19. n. 6. „ Ipse per seipsum error, aut magnum in re magna, aut parvum in re parva, tamen semper est malum. Quis enim, nisi errans, malum „ neget approbare falsa pro veris, aut improbare vera pro falsis, „ aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis “. Atqui si auctoritati Ecclesiae circa facta fallibili, assensum firmum praebere teneremur, dari posset casus in quo Deus & Ecclesia errorem praeciperent. Supponamus v. g. quintam Synodum circa sensum librorum Theodoreti errasse. Res est, fatentibus adversariis possibilis & forsitan vera. Nonne hoc in casu si Ecclesia auctoritate Christi praecepit ut factum illud certo crederetur, Deus & Ecclesia compulissent ad credendum falsum.

Et sane repugnat. Ecclesiam diversis temporibus iudicia contradictoria de una eademque re fidelibus praescribere posse: atqui in opinione adversariorum fieri potest ut Ecclesia, quae olim Honorii Epistolas v. g. ut haereticas damnavit, nunc eas catholicas esse pronunciet. Nec dicas hanc sortem esse rerum humanarum, ut error omni ex parte vitari non possit; & quae diu pro veris habita sunt, postea falsa reperiantur. Nam aliud est ex infirmitate & ignorantia in errorem quandoque labi, quod humanum est; aliud a Deo & Ecclesia in errorem compelli. Porro hoc in casu Ecclesia ipsa in errorem impelleret, ut manifestum est, & Deus erroris auctor & suasor esset, praecipiendo ut Ecclesiae in huiusmodi credatur.

Porro si generatim verum est, auctoritati fallibili in se praecise spectatae assensum non deberi contra valida in contrarium momenta, quanto magis si agatur de fama proximi, crimenque vel error catholico Episcopo attribuenda sint. Vetat Christus ne temere iudicemus: *Nolite iudicare*, inquit, *ut non iudicemini; nolite condemnare, & non condemnabimini*. Temerarium autem iudicium est, iuxta unanimem SS. Patrum consensum, quod absque evidentia aut alio momento certo & indubitato fertur. „ *De manifestis* “, inquit S. Augustinus Lib. 2. de Serm. de Sermone Domini in monte Cap. 18. n. 60. „ iudicemus; de occultis vero Deo iudicium relin„ quamus “. Idem docent S. Gregorius Magnus Lib. 2. Epist. 44., S. Bernardus in Cant. Cap. 11., S. Thomas 2. 2. quaest. 60. Art. 2. Ad iudicium legitimum requirit *certitudinem rationis*, & Art. 4. *caussam cogentem & manifestam rationem*. Atqui auctoritas fallibilis non est motivum certum, nec certitudo rationis, nec caussa cogens, nec manifesta ratio: Ergo non sufficit ut error imputetur alicui in communione Ecclesiae viventi vel mortuo; praesertim si gravia momenta suadeant aut demonstrent errorem immerito ipsi attributum fuisse.

Probatur 2.° Ex consensu Theologorum qui ante Iansenismum floruerunt, quique omnes, ex eo quod Ecclesia circa facta non revelata falli possit, concluserunt istiusmodi definitionibus assensum certum non deberi. Alphonsus a Castro ex Ordine Minorum Lib. 1. adversus haereses Cap. 7. sic loquitur: „ Quid obstat ut eum „ qui falli potest falsum fuisse dicamus? Non est ergo aequum aut „ rationi consentaneum, ut ei qui aut falli aut fallere potest, qua„ lis est purus homo, sub interminatione gehennae credere tenea„ mur? Nam inde eveniret, ut saepissime falsa pro veris recipere „ teneremur & vera pro falsis, quod nefas est credere ...... Pau„ lus quidem iussit captivare intellectum nostrum, sed in obsequium „ Christi, non in obsequium hominum “. Melchior Canus Lib. 5. de locis Theologicis Cap. 5. probat ex Innocentio III. „ certa & „ firma Ecclesiae decreta esse non posse quae non certis ac firmis „ principiis ac fundamentis innitantur “. Theologi quos in quaestione praecedenti appellavimus, hoc adeo persuasum habuerunt, ut circa facta Marcelli Ancyrani, Origenis Theodoreti, Ibae, Honorii, Abbatis Ioachimi, ab Ecclesiae iudicio palam dissentire, non dubitaverint.

E contrario a defenforibus fidei humanae crebro & enixe poftulatum eft, ut aliquem proferrent qui ante hafce controverfias fuam opinionem tradiderit; nec ullum proferre potuerunt.

Reponunt nonnulli, licere quidem vetera facta in dubium revocare; at quandiu contentiones vigent, credi illa debere, fi Ecclefia exigat. Sed mera eft petitio principii. Nullum quippe dubium eft quin facta ab Ecclefia definita credi oporteat, fi Ecclefia id imperet; fed quaeritur utrum Ecclefia fidem humanam vi folius fuae definitionis aliquando imperet. 2.° Cur antiqua facta in dubium revocari poffent, recentia non poffent? Num Ecclefiae iudicia vetuftate obfolefcunt; cum e contrario plurimorum faeculorum confenfu roborari maioremque vim obtinere videantur? Num hodie nova monumenta vel argumenta fuppetunt, veteribus ignota, quae probent Ecclefiam circa Theodoreti v. g. fenfum erraffe? An demum, quia fopitis controverfiis nullum fchifmatis aut erroris periculum eft? Verum in ipfo difputationum aeftu vitatur fcandalum, fi contra iudicium Ecclefiae non reclametur, filentiumque obfequiofum praebeatur; & error cavetur per claram & apertam fidei profeffionem.

Saepenumero accidit, inquiunt, ea quae olim ab Ecclefia prohibita funt, temporum decurfu non prohiberi. Quidni ergo fideles aliquandiu teneantur factis ab Ecclefia definitis affentiri & poftea diffentire permittantur?

Refpondeo, Ecclefiam quidem diverfa praecipere, prout locis & temporibus expedire iudicat, fed haec diverfitas in iis duntaxat locum habet quae difciplinae funt, id eft quae facienda praecipiuntur, non autem in eis quae credenda proponuntur. Inter utrumque enim difcrimen eft, quod externi ritus qui obfervari iubentur non femper aeque utiles fint, fed pro diverfis ingeniis, confuetudinibus, vitiis, temporibus, locifque expedire aut nocere poffint: quae vero credenda proponuntur, femper eodem modo fe habeant, quia ficut veritas unicum eft intellectus obiectum, ita unicum eft affentiendi motivum. Porro quod femel verum eft, femper & ubique verum eft: adeoque quod femel credendum eft, femper & ubique credendum eft. Si ergo nunc factis Theodoreti vel Honorii affentire non tenemur, nunquam illis affentiri neceffe fuit.

Eft tamen, inquies, infignis differentia. Nam qui nunc illa facta negant, non improbantur; improbati autem fuiffent qui fervente difputationum aeftu id attentaffent.

Refpon-

Respondeo, dato, non concesso, quod improbati fuissent Catholici qui scripta ab Ecclesia damnata orthodoxo sensu intellecta vindicassent (Nam multi aperte defenderunt tria Capitula statim atque damnata sunt, nec a Summis Pontificibus reprehensi sunt). Respondeo, inquam, hanc differentiam disciplinae esse, non fidei humanae. Nimirum ferventibus disputationibus Ecclesia praecipere potest, ne quis definitioni suae aperte obloquendo pacem turbet scandalumque pariat; sopitis autem motibus, cum nullum est schismatis vel scandali periculum, liberam cuique potestatem facit quae sentit in medium proferendi.

Probatur 3.° Ex consensu Ecclesiae Gallicanae initio motuum Iansenismi, ex pace Clementina & iis quae subsecuta sunt. Hanc quippe doctrinam non solorum Alectensis, Apamiensis, Andegavensis, & Bellovacensis Episcoporum qui Mandatis publicis eam tradiderunt; sed caeterorum quoque Galliae Praesulum fuisse declararunt XIX. Episcopi in Epistola ad Clementem IX. „ Ita sentire, inquiebant, si criminosum est, non ipsorum tantummodo, sed & „ omnium nostrum, immo totius Ecclesiae crimen fuerit ". Revera plerique Praesules idem prorsus quod quatuor, licet diversa disciplinae forma, tradidere, quidam mandatis publicis, sed non excusis; nonnulli processibus verbalibus; alii declarationibus viva voce factis; alii lubenter admittendo subscriptiones explicatas, quibus iuris & facti distinctio exprimebatur. Singulos enumerat D. *Nicole* Epist. 10. *De haeresi imaginaria*. D. De Perefixe Parisiensis Archipraesul omnium primus *fidem humanam & Ecclesiasticam* imperavit, prius re & nomine inauditam. Huius exemplum nullus Episcopus imitatus est, quamvis hoc pacto Iesuitis & aulae gratificati essent. Quod manifeste demonstrat, omnibus persuasum fuisse fidem illam exigi non posse, vi solius definitionis Ecclesiae. Ipsummet Perefixium sui inventi poenituisse inde probabilissimum est, quod multis scriptis lacessitus, fidem humanam ultra non imperaverit, sed vagis obedientiae, & submissionis vocibus deinceps usus sit. 2.° D. Chamillard, ipsius nomine, saepe obtulit Monialibus Portus-Regii ut sincerae submissionis, quae illis praecipiebatur, voce submissionem fidei divinae pro iure, & solius reverentiae pro facto intelligerent, ut narratur in Apologia illarum puellarum. 3.° Praesul Andegavensis litteris eum precatus est, ut declararet utrum internum assensum pro Iansenii facto reipsa requireret, nullumque res- Part. 1. pag. 36.

ponsum retulit. 4.° Moniales ipsae, ab eodem saepissime efflagitaverunt, ut distincte & Instrumento publico explicaret quale submissionis genus ab ipsis exigeret; Ille vero diu tergiversatus, tandem responsum negavit. Demum cum Electensis Praesul litteris ad ipsum datis apertum hac de re responsum instanter postulasset, rescripsit D. *De Perefixe*, otium sibi deesse, ut mentem suam distincte exponeret. Varios ipsius in diversas partes motus graphice adumbratos videre est in Epistola *6. de haeresi imaginaria*.

Igitur quatuor Episcopi nihil in suis Mandatis quod caeteris non probaretur tradiderunt, penes solam docendi formam dispares. Hinc Episcopus Pontis-Poleos, unus e novemdecim qui ad Clementem IX. scripserant, testabatur 1705. in Epistola ad Cameracensem, „ Doctrinam Ecclesiae Gallicanae circa debitam factis non „ revelatis submissionem, pene uniformem eo tempore fuisse nempe „ sufficere silentium obsequiosum “: Et Cardinalis *D' Estreés*, qui
7. Septembris 1705. in pacis negotio magnas partes habuerat, affirmavit in Epistola ad Clementem XI. „ Quatuor Episcopos cum caeteris Praesulibus omnino consensisse “.

Illam porro Ecclesiae Gallicanae doctrinam, Apostolicae Sedi acceptam fuisse, demonstrat pax Clementina, de qua supra satis actum est. Probavimus quippe Clementem IX. non ignorasse, quatuor Episcopos in actis Synodalibus solam silentii submissionem pro Iansenii facto imperasse. Retulimus inprimis instrumentum Illustrissimi Felicis *De Vialart* Catalaunensis Episcopi, & D. Arnaldi chirographo munitum & Romam missum, in quo eadem doctrina verbis apertissimis exprimitur: „ Quod vero ad attributionem spectat, in„ quiebant, qua propositiones illae adscribuntur libro Iansenii, ite„ rum praestiterunt, iusseruntque praestari Sanctae Sedi omnem reve„ rentiam & obedientiam, qualis ipsi, dum libros proscribit, exhi„ beri debet, iuxta Theologorum omnium consensum, iuxta doctri„ nam omnium retro saeculorum Catholicam, immo & novissimis „ temporibus assertam ab acerrimis auctoritatis S. Sedis defensori„ bus, quales fuere Cardinales Baronius, Bellarminus, Richelius, „ Pallavicinus, & Patres Petavius & Sirmondus, idque conformiter „ ad mentem Constitutionum Apostolicarum, quae in eo posita est „ nihil ut dicatur, scribatur, vel doceatur, Pontificum decisionibus „ contrarium “. Retulimus hoc instrumentum a Romanis diligenter examinatum, adeo acceptum fuisse, ut statim conclusa pace

Clemens IX. rescripserit, *veram & totalem perfectam & integram obedientiam sibi & Apostolicae Sedi praestitam* fuisse a quatuor Episcopis. Retulimus etiam Epistolam Harlaei Rothomagensis ad Cardinalem Rospigliosum, ubi asserit, *maiorem submissionem iuxta rigidioris Theologiae principia exigi non posse*.

Qui post Clementem IX. Sedem Apostolicam tenuerunt eodem modo affecti sunt, ut constat nominatim de Innocentio XI. ad quem Electensis, Tornacensis, Catalaunensis & Andegavensis pro pacis conservatione scripserunt, quique quatuor Praesulum acta Synodalia ad se missa nunquam improbavit; & de Innocentio XII. qui additiones a Mechliniensi Archiepiscopo factas abrogavit, & declarationibus D. Hennebel favit. Consulite quae de Clementina pace, tum in historia, tum in dissertationibus dicta sunt.

Idem erat Episcoporum Gallicanorum sensus, quando Casus conscientiae editus est. Illustriss. Mauritius *Le Tellier* Archiepiscopus Remensis, scribens 2. Novembris *1696*. ad D. *Vivant* Romae tunc agentem: „ Quantum ad factum Iansenii, inquit, privatim convi„ ctus sum, doctrinam Iansenii in quinque propositionibus contineri; „ nihilominus persuasum habeo ridiculum esse existimare eos qui „ mecum ea de re non sentiunt, ad credendum factum adigi posse; „ sed ad obsequiosum silentium cogi possunt & debent ". Catalaunensis Episcopus, Cardinalis Noallii Frater, in Mandato 3. Maii 1703. „ Quamvis, aiebat, decreta definitionesque Ecclesiae impu„ gnari non debeant; si quid in eis tamen occurrit, quod divina „ fide credi non debeat, debita reverentia iudicibus exhiberi, pax„ que servari per humile obsequiosumque silentium debet ".

Haec doctrina post Casum conscientiae, non minus immota stetit. Nam supra demonstratum est, Clementem XI. in Constitutione, *VINEAM DOMINI SABAOTH*, non imposuisse obligationem credendi factum Iansenii. Tamen certum est nihil obiici potuisse Ecclesiasticis, qui formulae praetextu variis modis vexabantur, nisi quod illud factum credere, & cum iuramento affirmare detrectarent, persuasi nimirum, definitionibus Ecclesiae circa facta non revelata, assensum interiorem non deberi. His in rerum articulis, Episcopi qui eos acrius persequebantur, S. Pontificem Iesuitis devinctissimum litteris interpellant, ut palam declararet, huiusmodi facta ab Ecclesia definita, omnium fidelium assensum exigere (quod profecto non postulassent, si res fuisset, iam definita), favebat

eorum petitioni Regia Maiestas, nihilque metuebat Romanus Pontifex ex parte praetensorum Iansenianorum, quos utraque potestas, Ecclesiastica & temporalis, iamdudum opprimebat. E contrario omnia eum impellebant, ut Praesulum aulicorum votis satisfaceret. Cur ergo non satisfecit, nisi quia principium quo praetensi Ianseniani nitebantur, nimis evidens certumque erat apud omnes Theologos, quam ut ulla auctoritate labefactari posset? Hinc ex Episcopis Galliae pauci in comparatione caeterorum mandatis publicis docuerunt, interiorem assensum facto Iansenii deberi, cumque Illustrissimi Senecensis & Montis-Pessulani palam declararunt, silentium obsequiosum ea ex parte sufficere, non solum duodecim Episcopi in Epistola ad Regem Ludovicum XV. adversus Conventum Ebredunensem hanc doctrinam sanam esse declararunt, sed etiam Illustr. De Beanjeu, De Quiqueran Castrensis Episcopus in Epist. ad eumdem, asserere non dubitavit, eosdem esse plerorumque Episcoporum Galliae sensus.

Probatur 4.° Unicum adversae opinionis fundamentum est, Ecclesiam exigere huiusmodi fidem humanam. Si enim ab Ecclesia non exigitur, fideles nulla lege ad eam praebendam adstringuntur. Atqui hoc fundamentum caducum est. Nam Ecclesia, quae a Christo instituta est, ad ea tantum docenda, quae ad animarum salutem pertinent, nihil fidelibus imperat quod ad salutem consequendam inutile sit: Atqui credere facta non revelata omnino inutile est ad salutem; cum istiusmodi fides nec informandis moribus inserviat, utpote mere speculativa, nec augeat fidem, spem, charitatem, aliasque virtutes christianas, utpote quae versetur circa facta humana nec revelata.

Non diffiteor Ecclesiam aliquando praecepisse, ut Haeretici eorumque scripta damnarentur: verum qui diligenter attenderit, animadvertet eam tunc non imperasse ut crederetur virtute suae definitionis aliquos talem errorem docuisse; sed supposita facti evidentia, imperasse ut error manifestus una cum apertis eius auctoribus maiori odio haberetur.

Hinc quoties contigit, ut facta obscura essent, & bona fide in dubium revocarentur, nunquam Ecclesia invitos ad assensum compulit. Sic eos qui, sincere repudiatis erroribus, Origenis personam & scripta defenderunt, pro catholicis agnovit, nec eius damnationi subscribere coegit. Sic quamvis Nestorii haeresis satis manifesta

esset, tamen Catholicos, qui de hoc facto adhuc ambigebant, Ioannes Antiochenus ad communionem & pacem admisit, annuente S. Cyrillo, ut in praecedenti quaestione probatum est de Secundae Ciliciae & aliis Episcopis. Sic Catholicos trium Capitulorum damnationi subscribere non coegerunt Pelagius I. & II., & Gregorius Magnus, sed a iudicio quintae Synodi pacifice dissentire permiserunt: immo Schismaticis pacem ultro offerebant in defensione trium Capitulorum perseverantibus, modo schismaticam mentem exuerent, ut ibidem ostensum est. Sic etiamnum Ecclesia permittit palam defendi scripta Theodoreti, Ibae & Honorii, olim a se damnata, & abiici scripta Marcelli Ancyrani, quae catholica esse pronunciavit.

Solvuntur Obiectiones.

Obiiciunt 1.° S. Augustinus Lib. 1. contra Epistolam Parmeniani docet, credi debuisse iudiciis Romano & Arelatensi, quibus, absoluto Caeciliano, Donatistae illius accusatores, caussa ciciderant. „ Qui sine partium studio iudicat, eligat quibus credat, inquit „ Cap. *6.* Utrum iudicibus sententias proferentibus, an litigatori- „ bus contra quos prolatae sunt, litem finire nolentibus. Certe or- „ bis terrarum iudicibus credidit. Qui autem Donatistis consentiunt „ eosque defendunt, fatentur se illis credere qui caussam suam, qua- „ liscumque illa fuerit, non potuerunt tamen in transmarinis tot „ disceptationibus obtinere, & eorum adversus iudices murmura & „ crimina credula vanitate suscipiunt". Et Cap. 7. n. 12. inducit Ecclesias particulares ab Africa longe remotas de Donatistis hunc in modum expostulantes: „ Cur non credam recte damnari potuisse „ a vicino iudice auditum, qui me fratrem tam longe absentem „ damnare non dubitat inauditum; hoc mihi obiiciens crimen, quo- „ niam qui praesens esse non potui, eis ad quos caussa perducta est „ iudicibus potius quam victis litigatoribus credidi? Quibus iudici- „ bus si non potius credidissem, etiamsi illi qui victi sunt innocen- „ tes essent, ego innocens esse non possem. Magno enim delicto „ implicaremur, si cum corda humana non cerneremus, nec disci- „ plinam Ecclesiasticam teneremus, cum eis nollemus iudicantibus „ credere, ultra quos non potuit caussa transire, & per quos potuit „ ad nos fama percurrere". Ergo iudiciis Ecclesiae circa facta, debetur humana & certa fides.

Nego consequentiam. S. Augustinus non loquitur de credulitate quae sit firma persuasio, qualis ad subscribendum & iurandum requiritur, sed quae sit mera praesumptio qua iudices non damnantur inauditi, nec temere creduntur male iudicasse. Caecilianus, Carthaginiensis Episcopus, invidia praedivitis foeminae & factione LXX. Episcoporum absens damnatus, tanquam sacrorum codicum traditor & a Felice Aptungitano, quem eiusdem criminis accusabant, ordinatus; caussam suam transmarinis Ecclesiis cognoscendam reservavit, & revera absolutus est a Concilio Romano 13. aut 14. Episcoporum sub Melchiade Summo Pontifice; deinde, Donatistis aliud iudicium postulantibus, a Concilio Arelatensi anni 314. Demum a Constantino Magno, ad quem Donatistae appellaverant. Tamen toties victi Donatistae acquiescere noluerunt, & quoniam orbis Catholicus Caeciliano communicare non destitit, ab totius orbis communione semetipsos lugendo schismate absciderunt. Totus est S. Augustinus in locis allatis, ut demonstret quam iniuste illi universas Ecclesias damnarent, ob id solum quod, qualiscumque fuisset Caeciliani caussa, iudicibus potius qui eum absolverant, quam accusatoribus qui ter victi erant credere mallent. Porro duobus modis credi potest iudicibus, vel firmiter tenendo ipsos recte iudicasse, ita ut iudicii aequitatem iuramento affirmare quisque paratus sit, vel cum ignoratur rectene an male iudicatum sit, exterius acquiescendo & communionem cum iudicibus servando. Hoc secundo sensu S. Doctor dicit Ecclesias toto orbe dispersas, a quibus Caeciliani caussa cognosci non potuit, iudicibus potius quam victis litigatoribus credere debuisse. Revera quo iure damnassent Caecilianum nullo in tribunali convictum, immo ter absolutum; cum iuxta regulam iuris, *actore non probante, absolvatur reus?* At fidem humanam seu assensum internum praestari debuisse, iudiciis quibus Caecilianus absolutus fuerat, nusquam dixit. Et certe non etiam fidem haberi voluit Iudicibus Romanis & Arelatensibus, quam Constantino; cum eodem modo de utrisque loquatur: Atqui iudicio Constantini, utpote mere civili internum assensum deberi non credidit: Ergo nec iudicio Romano & Arelatensi. Praeterea ibid. Cap. *6.* n. 11. loquens de Donatistis: „ Isti, inquit, non ideo scelerati sunt quia „ de omnibus victis nolunt temere aliquid credere, sed ideo quia „ se furore schismatis praeciderunt ab eis innocentibus, qui multo „ rationabilibus nolunt tale aliquid de ipsis iudicibus credere ". De-

mum: etiam poſtquam in Collatione Carthaginienſi anni 411. cui aderant ex Catholicis & Donatiſtis Epiſcopi 600. innocentia Caeciliani ex publicis actis demonſtrata fuit; non poſtulatum eſt a Donatiſtis ad Eccleſiam redeuntibus ut eam confiterentur, ſed tantum ut Catholicos de illius criminibus dubitare ſinerent: „ Tu “, aiebat S. Auguſt. in Lib. 3. cont. Creſconium Cap. 13. „ cum de optato lo„ quereris, dixiſti: Ego quidem optatum nec abſolvo, nec damno. „ Si hoc ego, immo non tantum ego, ſed omnis Africana Catho„ lica Eccleſia, quanto magis etiam tranſmarina, tam longe late„ que diffuſa, de Caeciliano eiuſque ordinatoribus dicat, Ego illos „ nec abſolvo, nec damno &c. “. Et Cap. 40. „ Adhuc nos de „ Caeciliano certos eſſe non vultis, ſaltem dubitare permittite: vin„ cit enim vos non ſolum qui Caecilianum ſcit innocentem, verum „ etiam qui neſcit nocentem “. Igitur ſolum obſequioſum ſilentium in Caeciliani cauſſa imperabatur Donatiſtis ad unitatem redire volentibus, immo hoc ſolum ut ſchiſma deponerent.

Obiiciunt 2.° Deuteron. 17. v. 8. dicitur: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſſam & cauſſam, lepram & lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari . . . venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quaereſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui praeſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille.* His verbis iubentur Iſraelitae iudicio Sacerdotum acquieſcere: Ergo a fortiori fideles iudicio Eccleſiae in omnibus acquieſcere tenentur.

Diſtinguo antecedens: Iubebantur Iſraelitae acquieſcere iudicio Sacerdotum in iis quae ſpectabant explicationem legis, ut patet ex hac clauſula, *facies quodcumque . . . docuerint te ſecundum legem eius*, concedo; in cauſſis perſonalibus, ſubdiſtinguo; iubebantur acquieſcere exterius, id eſt non reclamare contra ſententiam a iudicibus latam, concedo; iubebantur interius acquieſcere ac firmiſſime credere, iudices recte iudicaſſe, nego.

Inſtant: Quamvis Eccleſia circa facta falli poſſit, eius tamen iudicium parit ſaltem certitudinem moralem, quae ſufficit ad obtinendum aſſenſum.

Dist. maiorem: Iudicium Ecclesiae parit certitudinem moralem quando non suppetunt momenta in contrarium, esto; secus, nego. Num v. g. Synodi sextae auctoritas Baronio, Bellarmino, & aliis innumeris Theologis moralem de Honorii epistolarum heterodoxia certitudinem parere visa est?

Instant 2.° Etsi verum est Ecclesiam absolute errare posse, tamen in praxi supponendum est eam non errasse.

Respondet Fenelonius Cameracensis, illusorium esse, cum Ecclesiae deneges privilegium non errandi circa facta, nescio quod infallibilitatis phantasma fingere, quod errare possit, cui tamen necessario credendum sit. Si enim Ecclesia in huiusmodi quaestionibus errare potest, cur credi non poterit actu errasse, quando gravia momenta ad hoc credendum impellerent?

Instant 3.° Ex eo quod Ecclesia errare possit, non sequitur eam errasse: Ergo nihilominus certa fides ipsius iudicio habenda est.

Retorqueo argumentum: Ex eo quod privatus Theologus errare possit, non sequitur eum errare: Ergo assensus ei semper debetur. Ineptae huic argumentationi, adversariorum argumentatio simillima est: Quamobrem.

Nego consequentiam. Ex antecedente enim contingenti, consequens necessarium inferre absurdum est, cum conclusio semper sequitur debiliorem partem. Ineptum quidem foret factum aliquod ideo praecise controvertere quod Ecclesia circa illud errare absolute loquendo potuerit; sed rationi valde congruum est de veritate definitionis tunc dubitare, quando adsunt argumenta, quae probent Ecclesiam reipsa errasse.

Instant 4.° Auctoritas Summi Pontificis & Episcoporum, quamvis absolute fallibilis, praeponderat iudicio quorumcumque Theologorum, qui aliter sentiunt: Ergo eorum iudicio firmiter inhaerendum est.

1.° Dist. antecedens: Auctoritas Summi Pontificis & Episcoporum praeponderat iudicio Theologorum ratione iurisdictionis, concedo; siquidem Summus Pontifex & Episcopi praecipere possunt, ne quis iudicia sua palam impugnet; quod reverentiae genus nulli privato Theologo debetur, ratione persuasionis, nego. Nam contingere potest ut Theologi maxime, si doctissimi sint & ad alicuius libri lectionem multum otii & attentionis attulerint, illius sensum multo clarius pervideant & solidius demonstrent, quam Episcopi, liqui-

qui licet auctoritate & gradu plus polleant, eruditione tamen & otio, ad criticam discussionem necessario, inferiores sunt. „ Evidens „ est “, ait Holdenus in defensione Formularii, „ Summos Pon„ tifices, Episcopos & Pastores Ecclesiae, sub hac, inquam, ratio„ ne consideratos, privatos habendos esse Doctores, nullamque in„ fallibilitatem eorum personis, in huiusmodi perquisitionibus facien„ dis annexam esse; immo nec illis potius quam aliis, hisce in re„ bus magis versatis fidem adhibendam esse. Certa enim & indubi„ tata veritatis cognitio, in rerum particularium quotidie gestarum „ perquisitionibus, nec a Pastorali aliqua auctoritate dependet, nec „ ab ea profluit, sed ab humanae scientiae & cognitionis principiis, „ nempe ab ingenio, doctrina, lectione, accurata diligentia ac de„ nique aequa & insigni iudicandi facultate inquisitorum “. Hinc licet Synodi sextae auctoritas, infinite superet cuiusvis Theologi auctoritatem, tamen Bellarmini de Honorii epistolarum sensu iudicium illius iudicio praeferri potest.

Aliunde cum de librorum intelligentia agitur; aequissime monet S. Augustinus illis potius credendum esse qui in eorum lectione magis versati & in auctores melius affecti sunt, quam eis qui ex praeoccupatione omnia in perversos sensus interpretari proclives sunt. „ Nihil profecto est temeritatis plenius “, ait Lib. de utilitate credendi Cap. *6.* n. 13. „ quam quorumcumque librorum exposi„ tores deserere, qui eos se tenere ac discipulis tradere posse profi„ tentur, & eorum sententiam requirere ab his, qui conditoribus „ illorum atque auctoribus acerbissimum, nescio qua cogente caussa, „ bellum indixerunt “. Num Aristotelis v. g. aut Epicuri placita ab eorum adversariis inquiruntur? Nonne ab illis qui doctrinam eorum colere & amplecti se profitentur? *Agendum tecum prius est, ut auctores ipsos non oderis, deinde ut ames.* Si Virgilium oderis, nunquam tibi satisfiet circa difficultates grammaticas, quae in eius poësibus occurrunt: quia vero plerique Virgilium plurimi faciunt, ideo gratissime recipiuntur quae pro illo dicunt grammatici. Haec S. Augustinus. Porro nemo nescit Iesuitas, qui primi libro Iansenii bellum indixerunt, in Iansenium doctrinamque gratiae per se efficacis ab eo traditam, male affectos fuisse, eiusque volumen non benevole, nec discendi studio, sed impugnandi, legisse (de Pontificibus & Episcopis non loquor, quorum maxima pars librum non examinavit, sed ex accusatorum fide damnavit). E contrario Ian-

ſenii defenſores quanto ſtudioſius ac ſaepius ſcripta eius legerunt, tanto facilius genuinum eorum ſenſum aſſequi potuerunt.

2.° Nego conſequentiam. Nam, ut recte obſervat Cameracenſis, quaeſtio non eſt, utra e duabus opinionibus probabilior ſit, ſed quid certum & indubitatum ſit, cum ad ſubſcribendum & iurandum non probabilis opinio, ſed firma perſuaſio requiratur. Praeterea, pergit ille, Eſto, in hypotheſi quod iudicare oporteat, auctoritati Eccleſiae deferatur: ſed in caſu multo tutius eſt iudicium penitus ſuſpendere, donec veritas clare eluceſcat. „ Vis enim longe eſſe a „ periurio ", ait S. Auguſtinus Serm. 180. n. 3. olim Serm. 28. de verbis Apoſtoli; „ iurare noli ". Revera qui ad credendum Ianſenii factum compellitur vel librum ipſius legit, ſenſumque catholicum in eo percipere ſibi videtur, vel non legit nec forſan legere poteſt. Si ex libri lectione perſuaſum habet errores quinque propoſitionum in eo non contineri, auctoritati Epiſcoporum contrarium definienti aſſentiri non debet, ait idem Cameracenſis; quia, Eccleſiam non erraſſe, probabile tantum eſt, erraſſe vero videtur ei evidens. Si autem librum non legit, quid ſapientius in tanta opinionum pugna, quam abſtinere a iudicando, ne in alterutram partem aſſenſus temere detur?

Inſtant 5.° Superbum eſt praeſumere, ſe Romano Pontifice & Epiſcopis perſpicaciorem eſſe. Ergo privatum iudicium, Paſtorum iudicio ſubiici debet.

Reſpondeo, e contrario ſuperbum eſſe privatam opinionem, nullo traditionis teſtimonio ſuffultam, quaſi fidei articulum proponere, propugnare, viroſque Catholicos qui aliter ſentiunt tanquam haereticos vexare, ſicuti nunc multi faciunt.

Reſpondeo 2.° Eos qui de Ianſenii facto in incerto remanent, ut plerique faciunt, non credere ſe omnibus Epiſcopis perſpicaciores. Qui vero libro attente perlecto Catholicos ſenſus in eo contineri arbitrantur, non ideo ſe Paſtoribus Eccleſiae praeponunt: non enim ignorant, ſe quoque falli poſſe; ſed quod verum ſibi videtur, deponere nec debent, nec poſſunt ſine motivo certo; quod hac in re deſiderari conſentiunt adverſarii. Cum igitur non ſolum ex arrogantia & ſuperbia, ſed etiam ex ſinceritate & periurii metu, aſſenſus, quem adverſarii poſtulant, negari poſſit; cur contra Chriſti vetitum, latentem intentionem in ſiniſtram partem interpretantur? Si arrogans non fuit Petavius, quando Marcellum Ancyranum, in

Sardicensi Concilio absolutum, haereticum censuit, & Theodoreti scripta, in quinta Synodo anathematizata, ab errore vindicavit, si superbi non sunt tot Theologi qui Honorii epistolas catholice interpretantur, cur superbos & arrogantes dicemus, qui librum Iansenii excusari posse autumant, vel de hoc dubitant?

Instant 6.° Securius est Ecclesiae iudicio consentire; at suo inniti semper periculosum.

Respondeo hoc verissimum esse, quoties agitur de fide ac moribus, vel de disciplinae capitibus ab Ecclesia sancitis; non autem ubi de factis privatis. Si enim huiusmodi facta a viris doctis controvertuntur, nulla maior imperitorum securitas est, quam abstinere a iudicando, iurandoque non affirmare quod nec sciunt nec certo scire possunt.

Instant 7.° Ergo nunquam assentiendum erit iudiciis Ecclesiae circa facta?

Respondeo malam esse consequentiam. Nam inter, nunquam assentiri, &, semper assentiri, datur medium, scilicet aliquando assentiri. Hoc scilicet distant auctoritas infallibilis & auctoritas fallibilis, quod illi consensus semper debeatur, huic non semper, sed tantum quando adiuncta habet certa veritatis indicia, quibus error subesse non possit, ut erudite exposuit Illustriss. *Pavillon*, Electensis Episcopus, in Epistola ad Illustr. *De Perefixe* Archiepiscopum Parisiensem 7. Novembris *1667*. Ut vero circa hoc caput aliquid fixum habeatur, haec principia statui possunt: 1.um Ecclesiam potestatem habet iudicandi de factis ad mores vel doctrinam privatorum spectantibus; Potest enim excommunicare, deponere, libros damnare vel approbare. 2.um Ecclesiae iudicia circa huiusmodi facta non sunt infallibilia. 3.um Haec facta plerumque adeo certa & evidentia sunt, ut stultum foret ea negare. 4.um Tunc illa facta credere suadet recta ratio. 5.um Quod Ecclesia circa huiusmodi facta non erret, non certae Spiritus Sancti assistentiae, tribuendum est, sed accidit ex rerum evidentia, ex examinis diligentia, ex Consultorum scientia & ingenii acumine. 6.um Sunt alia facta obscura & ambigua, de quibus quaestio oriri potest rectene an male definita sint. 7.um Tunc momenta quae ad dubitandum impellunt vel levia sunt, vel gravia. 8.um Si levia sint, non impediunt assensum, verum eum aliquantum retardent & imminuant. 9.um Si gravia & mature expensa, merito impediunt ne iudicio Ecclesiae assensus detur. 10.um

Hoc in casu Ecclesiae intentio non est, fideles ad sibi assentiendum compellere, quia eos compellendo, sibi arrogaret infallibilitatem quam non accepit, possetque in errorem compellere. 11.^{um} Nihilominus hoc ipso in casu contra iudicium Ecclesiae temere insurgendum non est, sed silentio obsequioso acquiescendum, quandiu ad fovendam pacem necessarium est. 12.^{um} Finitis contentionibus, licet, permittitque Ecclesia, ut qui aliter sentiunt, id palam modeste tamen aperiant.

Instant 8.° Si ita sit, nulla haeresis, ultimo iudicio damnari poterit: semper enim circa factum disputatio recurret interminabilis.

Nego sequelam. Nam haereses infallibiliter damnantur, quando doctrina haeretica proscribitur; quaestionesque terminantur, quando omnes erroris damnationi sincere subscribunt, etiamsi de illius attributione alicui libro vel auctori nonnulli dubitent. V. gr. dudum terminata est quaestio Monothelismi, omnibus duplicem in Christo voluntatem & operationem esse, sincere profitentibus, tametsi de sensu epistolarum Honorii disputent eruditi. Immo ipsa de factis dissidia terminantur, quando Ecclesia expedire iudicat, per silentium obsequiosum: sicut caussae civiles finiuntur, cum utraque pars iudicum sententiae exterius acquiescit, etiamsi qui caussa cecidit male iudicatum esse arbitretur.

Instant 9.° Ipsemet Iansenius librum suum iudicio Sedis Apostolicae subiecit: Ergo a fortiori eius defensores iudicio S. Sedis assentiri tenentur.

Dist. antecedens: Iansenius librum suum subiecit quantum ad doctrinam, concedo; quo ad factum, nego. Fecit Iansenius quod omnes scriptores Catholici faciunt; nullus est enim qui paratus esse non debeat ea revocare, quae in suis scriptis Ecclesia improbaret. Sed circa libri sui sensum se nec subiecit, nec subiicere potuit iudicio Sedis Apostolicae; quoniam quid sentiret, nemini notius esse poterat, quam sibi ipsi.

Obiiciunt 3.° Quaedam sunt iudicia absolute fallibilia, quibus assensus internus debetur: 1.° Concilia Provincialia aut Nationalia, quamvis circa fidem errare possint; tamen sub anathematis poena haereses proscribunt & proscribi iubent: 2.° Licet iudicium quo canonizantur Sancti non sit infallibile, tenentur tamen fideles ei assentiri: 3.° Idem dicendum est de festorum quorumdam institutione, v. g. Conceptionis, Praesentationis, & Assumptionis B. Mariae: Ergo &c.

Nego ant. Ad 1.um respondeo falsum esse, assensum semper deberi Conciliis particularibus. Num v. g. Africanis Conciliis, quae decreverunt haereticos denuo baptizari oportere, credendum fuit? Concilia quibus Pelagiani damnati sunt, non erant ex seipsis majoris auctoritatis: Cur ergo his assentiendum fuit, non illis, nisi quia horum definitiones totius Ecclesiae consensu roborabantur; illorum vero decreta, veritati & caeterarum Ecclesiarum praxi adversabantur? Si omnibus promiscue Conciliis ante universalem Ecclesiae consensum credendum est, assentiendum fuisset Concilio Tyrio, a quo S. Athanasius damnatus est; Ariminensi, in quo 400. Episcopi Formulae fraudulentae subscripserunt; Concilio ad Quercum, in quo S. Chrysostomus depositus est, & Constantinopolitano in caussa Sanctarum Imaginum sub Copronymo. Quo semel admisso, fides, quae immota esse debet, pro temporibus & locis variaret, fidelesque circumferrentur omni vento doctrinae.

Ad 2.um Respondeo, examen adeo rigidum tum vitae, tum miraculorum, canonizationi Sanctorum praemitti solere, ut quamvis error absolute irrepere possit, vix irrepat. At si examen leviter aut cum praeoccupatione fieret, aut legitima dubitandi momenta suppeterent, tunc dissentire liceret, sicut non tenemur fidem habere multis apocryphis historiis quae in Romano Breviario leguntur. Adde quod Bullae canonizationis non obligent ad firmum assensum, sed tantum ad piam praesumptionem seu credulitatem, quae sufficit ad colendum exterius eum, qui inter Sanctos relatus est, sed non sufficeret ut plurimum ad affirmandum cum iuramento, eum esse Sanctum.

Ad 3.um Respondeo, Ecclesiam approbando, vel permittendo haec festa, nolle definire B. Mariam immunem fuisse a peccato originali in primo Conceptionis instanti; aut solemni ritu praesentatam in templo; aut statim a morte resurrexisse, & corpore in caelos evectam. Certum quippe est liberum esse unicuique de illis factis aliter sentire.

COROLLARIUM.

De obsequioso silentio.

Ex dictis colligendum est, submissionem iudiciis Ecclesiae circa facta debitam, consistere in religioso silentio, quo adversus illa non

reclametur, sed eis exterius acquiescatur; sicut supremarum Curiarum iudiciis, legitime & sufficienter subiiciuntur, qui, quidquid intus opinentur, exterius obtemperant. Cum enim hoc in casu fideles ad assensum internum non obligentur, hoc unum restat obsequii genus quod deferre debeant. Neque negari debet huiusmodi reverentia; siquidem error facti, non tanti momenti est, ut propterea pacem Ecclesiae turbare oporteat. Aliunde si iudicum civilium iudiciis, etiam iniquis, hoc submissionis genus exhibetur, quanto potiori iure Ecclesiae iudicio exhibendum est?

QUAESTIO SEXTA.

Utrum omnes, quando Praelati exigunt, formulae Alexandrinae pure & simpliciter subscribere teneantur?

Ex principiis hactenus positis, haec quaestio facile absolvetur. Dico igitur fideles ad puram ac simplicem Formulae subscriptionem non teneri, etiamsi Praelati id exigant.

Ad subscriptionem puram & simplicem requiritur firma persuasio, qua credatur quinque propositiones in Iansenii libro contineri, ut quaest. 1. demonstratum est: atqui non omnes fideles possunt, vel tenentur habere huiusmodi firmam persuasionem. Nam si eam habere possent vel deberent, vel quia factum in se evidens foret, vel quia infallibiliter ab Ecclesia definitum esset, vel quia definitioni Ecclesiae, etsi fallibili, fides certa deberetur: Atqui nullum horum dici potest, ut de singulis seorsim probatum est: Ergo fideles omnes nec possunt nec debent certo credere, quinque propositiones contineri in libro Iansenii, adeoque Formulae pure & simpliciter subscribere non tenentur.

Et certe quid magis liberum esse debet, quam de rebus incertis ac dubiis dubitare? Porro Iansenii factum plerisque fidelibus & clericis incertum ac dubium est, sive in se consideretur, siquidem multi, librum de quo agitur, legere, vel intelligere nequeunt; sive comparate ad testimonia externa, siquidem plurimae sunt & contrariae de huius libri sensu opiniones, eaque obscuritas per auctorita-

tem Ecclesiae hac in re fallibilem non tollitur. Ergo licitum est plerisque fidelibus & clericis, ne dicam necessarium, de Iansenii facto dubitare. Atqui in dubio pure & simpliciter Formulae subscribi sine mendacio & periurio non potest. Ergo licitum est, ne dicam necessarium, factum a iure secernere.

Obiiciunt: Ecclesia semper iussit auctorum ac librorum damnationi subscribi: Ergo nemo non debet Formulae subscribere.

Dist. ant. Ecclesia subscribi iussit damnationi auctorum ac librorum, de quorum sensu conveniebat, concedo; quando de libri sensu contendebatur, iterum distinguo; subscribere iussit eos quos mala fide, atque ut haeresim occultarent, agere credidit, concedo; eos qui sanam fidem aperte profitentes de factis bona fide dubitabant, nego.

Instant: Nunc saltem Ecclesia praecipit ut omnes ordinandi & ad beneficia promovendi, Formulae, pure & simpliciter subscribant. Porro, ut observat S. Augustinus Epist. 55. Cap. 19. n. 35. „ Ecclesia Dei inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat, & tamen quae sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit ". Ergo pura & simplex Formulae subscriptio non est contra fidem vel bonos mores.

Respondeo: Ecclesiam nunquam approbasse, ut viri pii & docti a paucis ordinibus & beneficiis excludantur, eo quod in facti, quod nec norunt, nec certo nosse possunt, veritatem iurare nolint. Veros Ecclesiae sensus demonstravit Clementina pax omnibus unitatem amantibus gratissima. Equidem nonnulli Episcopi pacem hanc saluberrimam conculcant; verum eorum agendi rationem, Ecclesia non approbat; nec tacet; ut constat ex querelis ab Illustr. *De Vialart* Catalaunensi Episcopo & aliis Praesulibus ad Innocentium XI. delatis, ex Senecensis, Monspeliensis & Castrensis Praesulum documentis & Epistolis, nec non e suffragiis 600. & amplius Doctorum, Parochorum, Sacerdotum qui mentem suam hac de re publicis monumentis exposuerunt. Absit ut sponsae Christi id imputemus quod sanctissimi eius filii palam improbant.

Et sane, illa lex Ecclesiae attribui non debet, de cuius sanciendae motivo, Episcopi necdum consenserunt. Atqui Episcopi qui puram & simplicem Formulae subscriptionem exigunt, de illius exigendae motivis nondum consentire potuerunt. Alii quippe ideo subscribere iubent, quia sibi fingunt Ecclesiam circa facta errare non

posse; alii quia credunt auctoritati Ecclesiae, tametsi fallibili, certum & immotum assensum deberi; alii quia arbitrantur, factum Iansenii esse evidens; alii quia falso supponunt hoc factum, animo haeretico, & intentione tuendi erroris, in dubium revocari; alii demum aliis momentis impulsi.

Instant: Saltem plerique Episcopi imperant puram & simplicem Formulae subscriptionem: Atqui fideles tenentur morem gerere Episcopis, in rebus quae ad religionem pertinent, iuxta illud Apostoli ad Hebraeos 13. *Obedite praepositis vestris & subiacete eis:* Ergo &c.

Respondeo 1.° Minorem non esse universaliter veram. Si enim universaliter verum est obediendum esse praepositis, quaecumque ab illis male sanciuntur approbare oporteret. Igitur restringenda est propositio ad ea quae & iuste imperantur, & licite fieri possunt: *Obedire* enim *oportet Deo magis quam hominibus*.

Porro in casu proposito, quod praecipitur licite fieri non potest. Nam licite non subscribit qui firmiter non credit quinque propositiones in libro Iansenii contineri. Haec autem fides non est in nostra potestate, nec gignitur per solam praecipientis auctoritatem, sed tantum per certa momenta, quae si desint, mentem in incerto fluctuare necesse est.

Instant 3.° Factum Iansenii saltem dubium est: Atqui S. Bernardus Lib. de praecepto & dispensatione Cap. 9. n. 21. docet in rebus dubiis obediendum esse praepositis: „ Quidquid vice Dei prae„ cipit homo, inquit, quod non sit tamen certum displicere Deo, „ haud secus omnino accipiendum est quam si praecipiat Deus. Sed „ homines, inquit, falli in Dei voluntate de rebus dubiis perci„ pienda, & in praecipienda fallere possunt. Sed enim quid hoc „ refert tua, qui conscius non es? Praesertim cum teneas de Scri„ pturis quia *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam &c.* ... Ipsum „ proinde quem pro Deo habemus, tanquam Deum, in his quae „ aperte non sunt contra Deum, audire debemus ". Ergo &c.

Distinguo minorem: Obediendum est praepositis, in dubio practico, concedo; in dubio speculativo, nego. Dubium speculativum est, cum dubitatur utrum aliquid verum sit an falsum, vel utrum aliqua actio per se bona sit an mala. Dubium practicum est, cum ex duobus actibus bonis vel indifferentibus, incertum est, uter alteri praeferendus sit. Dubium speculativum non tollitur per praeceptum,

quia

quia stante praecepto aliquid credendi, adhuc dubitari potest, utrum quod credendum proponitur, verum sit nec ne: sed dubium practicum per superiorum iussionem tollitur, quia in rebus ex se bonis aut liberis, hoc potissimum eligendum est, quod praeceptum determinat. Porro S. Bernardus non loquitur de dubio speculativo, nec de obedientia quae posita sit in assensu interno: obedientia quippe, praeter illam soli Deo debitam qua captivatur intellectus, non est circa credenda, sed tantum circa agenda. Non loquitur etiam de illo dubio quo incertum foret, an actio quae praecipitur sit licita nec ne; siquidem certum est iuxta ipsum, solos actus ex se indifferentes a superioribus praecipi posse. „ Quaedam sunt pura bona ", inquit Epist. 7. n. 4. „ quaedam pura mala. In his nulla debetur „ hominibus obedientia. Porro inter haec sunt media quaedam, quae „ pro modo, loco, tempore, & persona & mala possunt esse & „ bona. In his lex posita est obedientiae ". Ubi vero peccati periculum est, monet praeceptum prius discutiendum esse, quam implendum: „ Suspectum ", inquit ibid. n. 11. „ videris habuisse „ imperium, cui obsequi gravabaris. Ubi vero suspicio, ibi discussio „ necessaria. Verum tu nihil discutiens, trahi te passus es, non solum praeter voluntatem tuam, sed & contra conscientiam ". Et in Lib. de praecepto & dispensatione qui obiicitur, docet: illam obedientiam, qua quis ignorando agit contra legem Dei, non excusare a peccato, iuxta illud Evangelicum, *si caecus caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt*. Restat ergo, ut loquatur tantum de dubio mere practico, quo inter plures actiones ex se bonas, licitas, vel indifferentes, ambigitur utra magis placeat Deo: Quod dubitationis genus, per superioris auctoritatem, reipsa tollitur; quia in huiusmodi, etsi superior interdum peccare possit praecipiendo, subditus nunquam peccat obsequendo, cum id quod agit, nec legi Dei adversetur, nec propria voluntate aut cupiditate fiat.

Iam vero dubium quo ambigitur, an error quinque propositionum contineatur in libro Iansenii, speculativum est, ut patet; nec tollitur per legem subscribendi: siquidem haec lex nullo modo demonstrat factum Iansenii verum esse; aliunde vero sine certa persuasione huius facti, Formulae subscribere, non est actio licita, sed legi Dei manifeste contraria.

Instant 4.° Pietas, simplicitas, humilitasque Christiana, non sinunt adeo rigide discuti superiorum praecepta, sed promptam ac

caecam obedientiam suggerunt. „ Imperfecti cordis est “, inquit S. Bernardus in eodem lib. Cap. 10. „ & infirmae prorsus voluntatis „ indicium est, statuta seniorum studiosius discutere, haerere ad „ singula quae iniunguntur, exigere de quibusque rationem, & ma- „ le suspicari de omni praecepto cuius caussa latuerit; nec unquam „ libenter obedire, nisi cum audire contigerit, quod forte libuerit „ aut quod non aliter licere, seu expedire monstraverit, vel aperta „ ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata satis, immo nimis mo- „ lesta huiuscemodi obedientia “: Ergo.

Dist. ant. Pietas, simplicitas, & humilitas non sinunt discuti superiorum praecepta, quando legi Dei contraria non putantur, sed ignorantur duntaxat quam ob caussam imponantur, concedo: quando legi Dei contraria creduntur, nego. Quod non tantum liceat, sed etiam necesse sit superiorum praecepta aliquando discutere, inde manifestum est, quod non raro contingat, superiores iniusta imperare, & aliunde iniusta imperantibus parendum non sit, quia obedire oportet Deo magis quam hominibus. „ Non dico “, ait S. Bernardus Epist. 7. n. 10. „ a subditis mandata superiorum esse diiu- „ dicanda, ubi nil iuberi deprehenditur, divinis contrarium institu- „ tis; sed necessariam assero & prudentiam, qua advertatur si quid „ adversatur, & libertatem qua & ingenue contemnatur “. Porro si quandoque non obtemperare pietas iubet, tunc maxime cum conscientia reclamat, & quod imperatur sine mendacio & periurio praestari non posse creditur. Christus quidem commendat columbarum simplicitatem, sed quae prudentiam comitem habeat, ne caeca sit & insipiens. „ Videte “ ait idem Doctor in Lib. de praecepto & dispensat. Cap. 14. n. 34. „ ne forte non sit vere oculus sim- „ plex qui fallitur “. Et n. 35. „ Ego vero ut oculus interior „ vere simplex sit, duo illi esse arbitror necessaria, charitatem in „ intentione, & in electione veritatem ... Et nescio, quemadmodum „ iudicio veritatis, vera possit esse cum falsitate simplicitas ... „ Oculum simplicem, duo ista faciunt bona, amor boni, & co- „ gnitio veri “.

Humilitatem christianam, non melius cognitam habent; qui eam in inconsulta obediendi temeritate collocant, cum e contrario Spiritus Sanctus, Eccl. 13. v. 11. sic moneat: *Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris*. Praecipitem illam imprudentemque humilitatem arguit S. Gregorius Ma-

gnus Lib. 3. de cura Pastorali Cap. 17. „ Humiles admonendi sunt, „ inquit, ne plus quam expedit sint subiecti . . . ne cum student „ plus quam necesse est hominibus subiici, compellantur eorum „ etiam vitia imitari ". Et Lib. 1. in Ezech. Hom. 9. n. 12. „ Inesse priori humilis auctoritas, ait, inesse autem minori libera „ humilitas debet ... humanus timor sub humilitate se palliat... „ Iste nonnunquam dum timet ne maioris gratiam amittat atque „ per hoc aliquid temporalis damni sustineat, recta quae intelligit „ occultat: atque apud se tacitus ipsum timorem quo constringitur „ humilitatem nominat ". S. Paulinus, vir vera & rara humilitate praeditus. „ Est " ait in Epist. 10. ad S. Amandum n. 7. „ Sancta superbia, & humilitas iniqua . . . Illa humilitas condemnatur quae non ex fide, sed ex ignavia mentis, hominibus addicitur, & humanam gratiam magis, quam suam salutem curat, mendacii famula, veritatis inimica, libertatis expers; iniquitati „ obnoxia ".

Instant 5.° Etiamsi aliqua hac in re culpa foret, tota praepositorum esset, non eorum qui submisso animo obediunt.

Respondeo: Hoc praetexuisse Monachum quemdam, Adamum nomine, qui Abbatis sui iussu & obtenta Summi Pontificis licentia e Monasterio egressus fuerat. „ Quid ad me?, inquiebat; Ille „ viderit, cui mihi contradicere fas non est "? Sed reponebat S. Bernardus in Epist. 7. ad eum scripta n. 8. „ Quomodo vel Abbatis iussio, vel Papae permissio licitum facere potuit, quod purum malum fuit "? Et n. 10. „ Tu mihi obedientiam nominas . . . hanc ego nunquam aemuler obedientiam . . . talis siquidem obedientia omni est contemptu deterior ". Et n. 12. „ Si „ ita oportet, sine caussa legitur in Ecclesia: *Omnia probate, quod bonum est tenete*. Si ita oportet, deleamus iam de libro Evangelii, *Estote prudentes sicut serpentes*, sufficiente quippe quod „ sequitur, *Et simplices sicut columbae* ". Pariter cum Stephanus III. Summus Pontifex iussisset iterum consecrari qui a Formoso decessore suo ordinati fuerant, multique obtemperarent dicendo. „ Qua „ lance pensetur Sacrae Ordinationis iteratio, non mihi, sed illi „ adscribendum est qui me primam negare, & secundam consecrationem suscipere compulit "; Sic eos Auxilius, in dialogo illa occasione conscripto, refellit: „ O Domine universorum Magister, „ quid ad hoc dicis? *Sinite* illos; Caeci sunt & duces caecorum:

„ *Si caecus caeco ducatum praestet*, *nonne ambo in foveam ca-*
„ *dunt* “. Cumque reponerent: „ Quid ergo adversus eos agendum
„ est, quibus resistere minime possumus “? Sic ille: „ Quid ergo
„ agendum est? Illud quod ait Salvator: *Nolite timere eos qui oc-*
„ *cidunt corpus &c.* “.

Instant nonnulli, & dicunt saltem licere pro bono pacis subscribere; ut serventur Monasteria, ut Sacri Ordines & beneficia Ecclesiastica obtineri & retineri possint; ad amoliendam a se haeresis suspicionem; demum ad vitandum censuras, interdicta, ipsumque excommunicationis malum: nimisque pertinax videri, gravissimis incommodis pro re nullius momenti, quale est factum Iansenii, sese exponere.

Respondeo factum Iansenii parvi quidem esse momenti; sed illud factum iure iurando affirmare, cum de eo ambigitur, peccatum esse gravissimum & nunquam committendum, neque ad vitanda maxima incommoda, neque ad consequenda maxima commoda; cum doceat Apostolus in Epist. ad Rom. *non* esse *facienda mala ut eveniant bona*. Quae ex subscriptionis detrectatione nascuntur mala, non eis imputari debent qui ideo non subscribunt quod sine mendacio ac periurio subscribere non possint; sed eis qui conculcatis aequitatis & iustitiae legibus, eos ad subscriptionem compellunt. Lugendum equidem est, Monasteria sanctissima & optime moderata everti, sed peccando id impedire non licet. Luctuosum optimos quosque a gradibus & ab animarum cura excludi: verum ideone conscientia reclamante subscribendum est? Si multis suspecti sunt, qui pure & simpliciter subscribere detrectant, nihil profecto hac suspicione iniquius est; cum nullius erroris hactenus convinci potuerint, semperque declaraverint damnare se quinque propositiones in omnibus sensibus ab Ecclesia damnatis. Quid tam expressae declarationi addere posset, facti humani, incerti, & a fide alieni confessio? Revera experientia compertum est, etiamsi subscribas, tuam fidem nihilominus suspectam illis futuram, quibus nihil catholicum sapit nisi quod Molinianum. Tollis quidem subscribendo persecutionis praetextum, at malevolas suspiciones nequaquam eluis: quamquam etsi elueres, non ideo contra conscientiam subscribendum foret. Demum censurae, quae subscribere nolentibus imminent, consensum extorquere non debent in id, quod malum creditur. Cum enim censurae ex natura sua ordinentur, ad puniendum peccatum, nimis

inordinatum eſt, peccare, ne in illas incurras. Excommunicatio, poenarum maxima, minus tamen formidanda eſt, quam peccatum leviſſimum, & ſi quando iniuſte decernitur, illi nocet a quo decernitur, non ei in quem decernitur, cui e contrario maioris profeſtus occaſio eſt, ſi patienter & cum ſincero unitatis amore toleretur. Nam, ut ait egregie S. Auguſtinus, Lib. de vera religione Cap. 6. n. 11. „ Saepe ſinit divina providentia, per nonnullas nimium turbulentas „ carnalium hominum ſeditiones, expelli de Congregatione Chriſtiana etiam bonos viros. Quam contumeliam vel iniuriam ſuam „ cum patientiſſime pro Eccleſiae pace tulerint, nec ullas novitates „ vel ſchiſmatis vel haereſis moliti fuerint, docebunt homines, quam „ vero affectu, & quanta ſinceritate caritatis, Deo ſerviendum ſit. „ Talium ergo virorum propoſitum eſt, aut ſedatis remeare turbinibus, aut, ſi id non ſinantur, vel eadem tempeſtate perſeverante, vel ne ſuo reditu talis aut ſaevior oriatur, tenent voluntatem conſulendi etiam iis ipſis, quorum motibus perturbationibuſque ceſſerunt, ſine ulla conventiculorum ſegregatione, uſque ad „ mortem defendentes, ac teſtimonio iuvantes eam fidem, quam in „ Eccleſia catholica praedicari ſciunt. Hos coronat in occulto, Pater in occulto videns. Rarum hoc videtur genus; ſed tamen „ exempla non deſunt: immo plura ſunt quam credi poteſt “. Et ſane, coram Deo peccatum ſolum ligat: Tolle peccatum, nullum erit interius excommunicationis malum, licet in foro externo & coram hominibus eſſe videatur. Verum ſi nedum reprehendendi, immo magnopere laudandi ſunt, qui Sacramentis Eccleſiae, quae ſincere venerantur, privari malunt quam temere, & in incertum iurare, quis exprimat quanto peccato ſeſe obſtringant, qui hanc ob cauſſam viros pios, & Eccleſiae utiles, cenſuris, interdictis, aut etiam excommunicatione feriunt. Etiamſi enim qui a pura & ſimplici ſubſcriptione abhorrent nimis hac in parte ſcrupuloſi forent, levior certe haec culpa foret, quam ut privatione Sacramentorum, quae omnium maxima poena eſt, merito plectantur: ut enim ait S. Auguſt. Lib. de mendacio n. 1. „ Nunquam errari tutius exiſtimo, quam cum amore nimio veritatis, & reiectione nimia falſitatis erratur “.

QUAESTIO SEPTIMA.

Utrum qui Formulae pure ac simpliciter subscribere renuunt, habendi sint ut haeretici, rebelles ac seditiosi, temerarii &c.

Quamvis ex dictis satis liqueat, quid de hac quaestione sentiendum sit, abs re tamen non erit, obtrectatorum criminationes refellere, deditaque opera Sanctissimorum aeque ac doctissimorum Theologorum famam, plurimis lacessitam calumniis vindicare.

PROPOSITIO.

Haeresis, rebellionis, aut temeritatis accusari non possunt qui Formulae aliter subscribere nolunt, quam cum expressa iuris & facti distinctione.

Probatur 1.ª pars, scilicet eos haereticos non esse. Si pro haereticis habendi essent, vel quod supponerentur damnatos errores sincere non damnare, vel praecise, quia dubitant, an illi errores Iansenio recte attributi sint. Atqui iniquissimum foret supponere, eos non sincere damnare quinque propositionum errores: dubitare vero de Iansenii facto, haeresis esse non potest.

Ac 1.º quidem, iniquum est supponere illos, quinque propositionum errores sincere non damnare, quandoquidem centies professi sunt, se illas in omnibus ab Ecclesia proscriptis sensibus proscribere; nemoque illorum ab annis 8c. iuridice convinci potuit, aliquam ex damnatis propositionibus docuisse vel tenuisse. Quid porro malignius, quam eorum fidem suspectam habere, quorum fidei professio catholica est, quique nulla haereseos iudicia prae se ferunt. „ Sicut, enim, haereticorum pravitas “, ait S. Gregorius Magnus Lib. 6. alias 5. Epist. 15. „ zelo rectae fidei comprimenda, ita „ verae confessionis est integritas amplectenda. Nam si credi, fideliter confitenti despicitur, cunctorum in dubium fides adducitur ... „ sub praetextu haeresis affligi quemquam, veraciter profitentem fidem „ catholicam, non sinamus: ne, quod absit, haeresim fieri sub emendationis magis specie permittamus “.

Dicentne solam Iansenii defensionem, sufficiens haeresis argumentum esse? Verum quis nescit Iansenii librum duobus modis defendi posse: 1.° Fatendo sensus ab Ecclesia damnatos in eo contineri, negandoque hos sensus haereticos esse: 2.° Fatendo sensus ab Ecclesia damnatos haereticos esse, negandoque eos Iansenii esse. Priori modo defendere auctores vel libros ab Ecclesia damnatos, haereticum est: sic Nestoriani Nestorium, Pelagiani Pelagium, Lutherani & Calviniani Lutherum & Calvinum defenderunt. Altero modo libros vel Scriptores vindicare, catholicum est; sicque multi etiamnum Theodoreti, Ibae, Origenis, Honorii scripta absque ulla haeresis suspicione defendunt. „ Aliud est “, ait Facundus Lib. 3. Cap. 3. „ haereticum excusare, quod Catholicus putetur, & aliud ipsam haeresim probare atque defendere; quemadmodum aliud est accusare „ catholicum, quod haereticus putetur, & aliud ipsam catholicam „ improbare fidem “. S. Augustinus in Lib. de utilitate credendi Cap. 4. n. 10. distinguit „ tria genera erroris quibus homines errant cum aliquid legunt “. Tertium (quod ad nostrum propositum spectat) dicit esse, „ cum ex alieno scripto intelligitur aliquid veri; cum hoc ille qui scripsit non intellexerit. In quo genere, inquit, non parum est utilitatis, immo, si diligentius consideres, totus legendi fructus est integer “. Affert in exemplum Epicuri libros: „ Si quis Epicurum, inquit, lecto eius in libris „ aliquo loco in quo continentiam laudat, in virtute illum summum bonum posuisse asseveret, & ideo non esse culpandum; huic „ quid obest error Epicuri, si summum bonum, hominis voluptatem, ille corporis credit, cum iste non se dederit tam turpi noxiaeque sententiae; neque ob aliam caussam ei placeat Epicurus, „ nisi quod eum sensisse non putat quod sentiri non oporteat? Hic „ error non modo humanus est, sed saepe etiam homine dignissimus “. Aliud exemplum proponit. Si quis barbarus diceret ita se infantili vita delectari, ut eam vivere velit; ego autem hoc sic acciperem, ut innocentiam infantium, non vitam puerilem sensibusque deditam ab illo amari crederem, ipse vero de sua mente interrogari non posset: „ Essetne, inquit, quisquam tam improbus, qui „ mihi succenseret, cum hominis laudarem propositum & volunta„ tem, per illa verba quae acceperam? Quid quod etiam iustus aesti„ mator, non dubitaret fortasse laudare opinionem ac voluntatem „ meam, cum & innocentia mihi placeret, & homo de homine in

„ re dubia bene potius existimarem, cum etiam male liceret ". Ibid Cap. 5. n. 11. „ Unum genus est, inquit, probatissimum & „ quasi purgatissimum, cum & bona scripta sunt, & in bonam par„ tem accipiuntur a legentibus. Id quoque tamen adhuc in duo di„ viditur; non enim penitus excludit errorem. Nam evenit ple„ rumque ut bene senserit scriptor, bene etiam lector sentiat, sed „ aliud quam ille, & saepe melius saepe inferius, utiliter tamen. „ Cum autem & hoc sentimus quod ille quem legimus, & id est „ vitae agendae accommodatissimum, cumulatissime sese habet veri„ tas, nec aliunde aperitur falsitatis locus. Quod genus, cum de „ rebus obscurissimis quaestio est, rarissimum omnino est; neque „ id, mea sententia, liquido sciri, sed tantummodo credi potest. „ Quibus enim argumentis, absentis vel mortui hominis voluntatem „ ita colligam, ut de illa iurare possim "? Haec applicat Cap. 6. libris veteris testamenti, quos Manichaei blasphemabant: aitque, quidquid fuerit de sensu auctorum a quibus scripti sunt, Catholicis qui recto sensu eos accipiunt, praeiudicare non posse... Si enim dicant Manichaei nos in perverso sensu libros veteris testamenti intelligere, „ grave omnino crimen, inquit, sed defensionem longin„ quam non requirit; satis est enim negare nos ita intelligere, ut „ illi, cum inveliuntur, existimant . . . An illud dicent: Quam„ vis bene a vobis accipiantur, mali sunt tamen? Quid est aliud „ vivos, cum quibus res agitur, adversarios absolvere, atque olim „ mortuos, cum quibus nulla contentio est, accusare "? Hactenus S. Augustinus, cuius verba facile applicari possunt, iis, qui de gratia catholice sentientes, Iansenii opus ideo defendunt, quia in sensu catholico accipiendum putant.

Hinc cum Leo X. plures propositiones sub Lutheri nomine damnasset, Adrianus VI. in Instructione ad Franciscum Cheregat, Nuntium suum, praecipit ut factum a iure distingui permitteret. „ Et certe, ait, fatemur Luthero defensionem negari non debere „ in his quae sunt facti, id est utrum dixerit, nec ne; utrum prae„ dicaverit vel scripserit, nec ne. Super divino vero iure, & mate„ ria Sacramentorum, standum auctoritati Sanctorum & Ecclesiae ".

Porro qui iurare nolunt in factum Iansenii: 1.° Non omnes eius librum innoxium iudicant; sed plerique circa hoc nihil omnino pronunciant, incertique remanent: 2.° Qui libro Iansenii lecto & discusso eum ab errore immunem existimant; hi non primo, sed secun-

secundo modo eum vindicant, hoc est damnant quidquid sub Iansenii nomine damnatum est, sed credunt errorem damnatum, non recte ipsi attributum esse, ut constat non modo ex repetitis apertissimisque ipsorum declarationibus, sed etiam ex Episcoporum Galliae confessione in Epistola ad Alexandrum VII. anno *1661*. „ Solertes „ sibi videri volunt, inquiunt, omnia verba Iansenii ad sensum ali- „ quem catholicum futiliter detorquentes". Revera, vel sensus Iansenii est sensus gratiae necessitantis, vel non: si Iansenius gratiam necessitantem, aliosque sibi attributos errores non docuit, nulla eius defensorum culpa est: si autem docuit, a nullo defenditur, siquidem in tantum defenditur, in quantum ab eis alienus fuisse creditur.

Reponunt adversarii, Iansenianos ea mente defendisse Iansenium, ut faciliorem ad tuendos eius errores viam sibi aperirent. Grave profecto crimen, at, si certissimis argumentis probari non possit, horrenda calumnia. Proferant ergo, nisi pro calumniatoribus haberi velint, manifesta argumenta. Nam ad occultam putatorum Iansenianorum intentionem recurrere, quid est, nisi putide calumniari, cum interna voluntas nemini nota esse queat, nisi renum & cordium scrutatori Deo, & *quae sunt hominis*, Apostolo teste, *nemo cognoscat nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Atqui nullum argumentum proferre possunt, nisi ipsammet de Iansenii facto dubitationem: quasi vero factum iuri ita alligetur, ut divelli nequeat: quasi Baronio, & aliis Theologis, attribui posset Monotheletarum haeresis eo quod Honorii epistolas ab ea immunes esse crediderint. Certe si defensores Iansenii a mendacio tantopere abhorrent, ut factum humanum, exigui per se momenti, affirmare contra conscientiam nolint; paratique sunt omnia potius tolerare, quam latum unguem a veritate hac in parte recedere: quis credat eos circa fidem ipsam ab octoginta annis mentiri & peierare, palam profitendo, se corde respuere, quos corde foveant errores. *Qui in modico fidelis est*, ait Christus, *& in maiori fidelis est*. Igitur eo maiorem fidem merentur putati Anti-Ianseniani, cum declarant, se omnes errores ab Ecclesia proscriptos anathematizare, quod ad affirmandum factum de quo dubitant, nec minis nec promissis adduci possint.

2.° Haereticum non est, de veritate facti Ianseniani dubitare. Nam 1.° Clemens IX. quatuor Episcopis, Theologis, Monialibusque Portus-Regii de hoc facto dubitantibus pacem annuendo, declaravit eos, qui solum silentii obsequium hac in parte praestant, a se pro

23. Augusti 1668. catholicis agnosci. 2.° Ludovicus XIV. in supremi Consilii arresto quod ad concludendam pacem datum est, & postea saepissime renovatum & confirmatum, districte vetuit, ne quis *haereticorum*, *Iansenianorum aliisve contumeliosis nominibus eos proscindat*, *qui formulae fidei subscripserint*, eo scilicet modo, quo quatuor Episcopos subscripsisse non ignorabat. 3.° Innocentius XII. in Brevi dato 28. Ianuarii *1694.* ad Episcopos Belgii, vetat quemquam ut Iansenianum traduci nisi qui aliquam e quinque propositionibus tenere vel docere perspectus fuerit: „ Ad extinguenda, inquit, Theologorum „ iam pridem inter se dissidia, fraternitatibus vestris, quantum in „ Domino possumus, praesentibus nostris mandatis iniungimus, ne „ ulla ratione quemquam vaga ista accusatione & invidioso nomine „ Iansenismi traduci aut nuncupari sinatis, nisi prius suspectum esse „ constiterit, aliquam ex his propositionibus docuisse aut tenuisse; „ nec quemquam sub hoc praetextu repelli ab officiis, muniis, be„ neficiis, gradibus & concionibus habendis, vel alia quacumque „ functione Ecclesiastica permittatis, nisi servato iuris ordine, eam „ poenam, quae viris alioquin catholicis gravissima est commeruisse „ probatum fuerit “. 4.° D. *Dumas* Hist. quinque propos. Lib. 5. Tom. 2. p. 115. Doctor, quem a patria Sabaudum nuncupant, *in praeiudiciis legitimis adversus Iansenianos;* & alii Anti-Ianseniani, confessi sunt, neminem eo praecise haereticum esse, quod Iansenii factum non credat. 5.° Nemo alieno, sed proprio quisque errore haereticus est; sicut nemo alieno, sed suo quisque crimine maculatur: „ Quis enim lo„ cus innocentiae reservatur “, ait S. August. Epist. olim 48. nunc *93.* Cap. 4. n. 15. „ si crimen est proprium nescire crimen alie„ num “? Ergo etiamsi Iansenii liber haereticus foret, qui sanam & orthodoxam fidem alioqui profitentur, eo solo nomine haeretici censendi non sunt, quod de hoc facto dubitent.

Et certe, ibi haeresis non est, ubi nihil tenetur fidei contrarium, atqui nihil fidei contrarium tenent, qui ambigunt tantum de Iansenii facto, idque iurando affirmare detrectant: Nam supra demonstratum est, erroneum non esse credere; Ecclesiam circa facta tum personalia, tum textualia, errori obnoxiam esse, vel auctoritati, quae errori obnoxia sit, certum firmumque assensum non deberi, praesertim si adsint gravia momenta, quae ad dubitandum impellant.

Probatur altera pars, scilicet eosdem Ecclesiae rebelles non esse. Ibi nullum rebellionis crimen est, ubi & Ecclesiae obtempera-

tur, & contra eius decreta, qua parte falli possunt, temere non insurgitur: Atqui utrumque praestant, qui ad Clementinae pacis normam subscribere consentiunt. 1.° Ecclesiae obtemperant; siquidem errores ab ea damnatos absque ulla exceptione damnant, nec de facti Iansenianі veritate dubitarent, nisi certo scirent Ecclesiam, firmum huiusmodi definitionibus assensum vi solius suae auctoritatis non praescribere. 2.° Adversus Ecclesiae definitionem, qua parte falli potest, temere non insurgunt; quandoquidem circa factum ipsum pollicentur obsequiosum silentium: quod summum est reverentiae genus hoc in casu a rigidioribus Theologis requisitum.

Tertia pars, nimirum eosdem temerarios non esse, probatur, quia tunc temeritas admittitur, quando novae ac singulares opiniones nullo firmo fundamento suffultae invehuntur: atqui in putatis Iansenianis nihil tale reperies. Quis enim ab affirmandi temeritate remotior est, quam qui nihil affirmat? Porro qui subscribere detrectant, plerique circa factum Iansenii nihil affirmant; sed de illo dubitant, eo quod nullo satis firmo argumento ipsis probatum videatur.

Verum quomodo temeritatis notam effugere possunt, qui contra unanimem Theologorum doctrinam, nova in dies systemata procudunt, v. g. infallibilitas Ecclesiae circa facta non revelata, fidei humanae &c.

Nec dicas temerarium esse id controvertere, de quo omnes fere consentiant. Nam etiamsi verum esset omnes fere in Iansenii factum consentire, prudentissimum tamen foret assensum omnem cohibere quo usque firmis momentis probatum fuerit. Sed gratis supponitur omnes fere illud factum credere, cum plurimi subscribentium illud aut nullatenus credant, aut opinentur tantum; paucissimosque reperire sit, qui certo persuasum habeant, Iansenium errores ipsi attributos revera docuisse.

Obiiciunt contra primam partem: haereticus est, qui sensum ab Ecclesia damnatum damnare detrectat. Atqui Iansenianі detrectant sensum Iansenii ab Ecclesia damnatum damnare: Ergo reipsa errorem fovent, adeoque haeretici sunt.

Respondeo miseram hanc aequivocationem, centies confutatam esse. Distinguo igitur minorem: Iansenianі damnare nolunt sensum Iansenii, id est, non credunt errorem gratiae necessitantis a Iansenio traditum esse, concedo; id est, non damnant sensum gratiae necessitantis, qui ab Ecclesia damnatus, & Iansenio attributus est, ne-

go. Culpandi forent Iansenii defensores, si explicare noluissent, quo sensu Iansenii librum defendant, vel si, Summis Pontificibus & Episcopis distincte proponentibus sensum a se damnatum, eum damnare recusassent. Verum cum semper expresse declaraverint solum gratiae per se efficacis dogma a se in libro Iansenii defendi, & aliunde nullus erroris ab Ecclesia clare damnati convinci hactenus potuerit, quae calumnia est eos velut haereticos traducere?

QUAESTIO OCTAVA.

Utrum sint veri haeretici Ianseniani, veraque errantium Secta, seu, utrum Iansenismus sit merum Phantasma?

AD metam pervenimus, iamque definiri potest, quid demum sit Iansenismus; vera haeresis, an haereseos larva. Ab octoginta annis praetensa Iansenianorum secta, velut teterrima pestis Bullis, Mandatis, Censuris exagitatur; necdum tamen in quo ea posita sit, aperte expositum est. Verum prout quisque arctioris vitae est, ab omni cupiditate & ambitione remotior, erga poenitentes cautior, & regularum tenacior, morum corruptelis infestior; quamvis haec cum errore quinque propositionum nihil prorsus affine habeant, audit illico, Iansenianus est: malam pestem cave, fuge. Quo factum est ut nomen ad conflandam invidiam excogitatum, apud plurimos in gloriae titulum versum fuerit; quamque turpe & ignominiosum est dici Molinianum, tam decorum & honorificum vulgo videatur Iansenianum nuncupari.

Ad verum tamen redeamus. Iansenianus dici non debet, nisi qui errores Iansenio attributos tuetur, ut definierunt Innocentius XII. in Brevi ad Episcopos Belgii anno 1694. & Clerus Gallicanus in Comitiis anni 1700. Porro demonstratum est hos errores ab omnibus reiici, a nemine defendi: Ergo Iansenismus est merum phantasma, quod si apprehendere velis, umbram tenueris.

Et certe nemo haereticus est, nisi teneat aliquem errorem unanimi Ecclesiae consensu damnatum. Atqui nemo damnatos errores defendit; nemo canonica & legitima iudicii forma erroris convictus est, omnia confusis clamoribus, occultisve delationibus peraguntur: Ergo nulli sunt in Ecclesia haeretici Ianseniani, nulla haeresis, nulla secta Iansenianorum.

Revera quid praeter larvam est, quod ad fingentium arbitrium quotidie mutari, novosque vultus inducere videas? Non ita pridem Ianseniani gratiam absolute necessitantem cum Calvino admittere dicebantur. In hoc eorum error collocabatur: hoc sublato, nullum Iansenismum fore omnes fatebantur. Nunc ab illo errore scriptis & ore adversariorum vindicantur, errorque desultorius in doctrina delectationis relative victricis reponitur; adeo ut, teste D. Tournely, nulli unquam fuerint sintque Ianseniani, si Iansenismus in errore gratiae absolute necessitantis collocetur. Igitur fatentibus novis Anti-Iansenianis, veteres cum fictitia secta dimicaverunt; & veterum Anti-Iansenianorum iudicio, non vera, sed fictitia haeresis sit, quam nunc recentiores persequuntur.

Quam chimaerica sit secta haereticorum Iansenianorum, evidenter apparuit eo tempore, quo, per utriusque potestatis sapientiam, cunctis mature perpensis, pax aurea, Praesulibus, Theologis, caeterisque qui vulgo Ianseniani audiebant concessa est. Cur enim tunc nulla erroris eiuratio, nullaque fidei professio ab illis postulatae sunt, nisi quia certum erat, eos ab omni errore alienos esse?

Hinc piissimi aeque ac doctissimi Episcopi, non raro conquesti sunt quod Iansenismi nota optimi quique invidiose aspergerentur. D. *Godeau* Venciensis, in Epist. ad Alexandrum VII. & ad Regem Christianissimum an. *1661.*, D. *De Choiseuil*, Tornacensis, in Epist. ad Innocentium XI., D. *Vialart*, Catalaunensis, in Epist. ad eumdem, testabantur nullos in Gallia Iansenianos esse, sub hocque nomine pios & Ecclesiae utiles Sacerdotes immerito vexari & proscindi. Hoc intellexerunt Clemens IX. pacis restitutor; Innocentius XI. qui praetensos Iansenianos in pretio semper habuit, & Innocentius XII. qui in rescripto ad Episcopos Belgii anni *1696.* Lovanienses, Iansenismi accusatos, bis appellavit *praetensos Iansenistas*.

Iidem Lovanienses de Iansenismo apud Alexandrum VIII. accusati, ad illum his verbis scripserant 14. Martii *1690.* „ Neque
„ omnino nos fugit quinam hi esse possint qui talia audent, nem-
„ pe qui nihil non audent, quorum interest ut semper in Ecclesia
„ sint Iansenistae, semperque hi male grati sint apud Sanctam Se-
„ dem qui non per omnia in opiniones eorum concedunt . . . Ita
„ Iansenismus nunc, ut cum politico Romano dicamus, CRIMEN
„ EST OMNIUM, NULLUM CRIMEN HABENTIUM ".

Clerus Gallicanus anno 1700., in praefatione Censurae quam

adverſus plurimas Caſuiſtarum propoſitiones tulit, non diſſimulavit quantum Eccleſiae noceat eorum temeritas, qui Ianſeniſmi crimen omnibus qui ſibi diſplicent imponunt; vetuitque quemquam hoc nomine notari, niſi qui aliquam e damnatis propoſitionibus defendere convictus fuerit.

Opponunt eumdem Clerum inter alias propoſitiones, hanc, *Ianſeniſmus eſt merum phantaſma*, damnaſſe veluti „ falſam, temerariam, ſcandaloſam, iniurioſam Clero Gallicano, Summis „ Pontificibus & univerſae Eccleſiae, ſchiſmaticam & damnatis erroribus patrocinantem “.

Reſpondeo hoc donatum eſſe Ieſuitis, quorum errores gravi cenſura illo in conventu damnati ſunt. Caeterum memorata propoſitio triplici ſenſu accipi poteſt: 1.^us eſt, doctrinam in quinque propoſitionibus comprehenſam & damnatam non veram haereſim eſſe, ſed erroris phantaſma. Hunc ſenſum, quem potiſſimum attendiſſe Comitiorum Praeſules iudicat qualificatio, omnes ſincere & ex animo reiiciunt: 2.^us eſt, nullos eſſe, qui errores in quinque propoſitionibus damnatos tueatur; huncque ab Illuſtriſſimis *Godeau*, *De Choiſeuil*, *De Vialart &c.* clare aſſertum, ſacer conventus cenſura configere profecto noluit. Quamquam etiamſi nonnulli Praeſules, Ieſuitarum criminationibus occupati, aliter ſenſiſſent, nihil inde probaretur, quamdiu nemo iuridice convincetur errores illos docuiſſe: 3.^us eſt, dubitare de facto Ianſenii, non haereſim, ſed haereſis phantaſma eſſe: hic etiam ſenſus damnari non potuit, niſi ſupponendo Eccleſiam circa facta errare non poſſe; quae doctrina Illuſtriſſimo Coetui attribui ſine gravi illius iniuria non poteſt.

COROLLARIUM.

Subſcribendi lex de medio tolli deberet, aut ſaltem ad normam Clementinae Pacis temperari.

Meum non eſt, Epiſcopis, quos tanquam primos Paſtores a Chriſto inſtitutos veneror, quidquam praeſcribere: verum optare ſaltem liceat, quod plurimi Praeſules & peroptarunt & identidem efflagitarunt. Illuſtriſſimus *De Harlay*, erga praetenſos Ianſenianos non optime animatus, Cardinali Roſpiglioſo ſuggeſſit ſubſcriptiones iam tanquam inutiles aboleri poſſe, ut teſtatur Illuſtriſſ. *De Vialart*

in Epist. ad Card. Cibo, cui & ipse idem afferebat. Episcopus Pontis-Poleos Innocentium XI. monuit non aliter pacem Ecclesiae Gallicanae restitui posse, ut ipsemet refert in Epist. ad Illustr. *De Fenelon* 22. Maii 1706. Plurimos Episcopos idem sentire inde apparet, quod a subscriptionibus exigendis quantum possunt supersedeant.

Quid hac de re senserit Facultas Parisiensis, dum stabat, testantur viginti supra centum Baccalaurei & Licentiati, quos post Ludovici XIV. mortem, aut sine subscriptione, aut cum explicata subscriptione, in suum gremium benigne admisit.

Et sane quid iuvat subscriptio? Vel ideo imperatur ut constet subscribentes damnare quinque propositionum errores, vel ut constet eos assentiri facto Iansenii; nihil est medium: atqui utrovis fine imperetur, inutilis est immo noxia. Ac 1.° quidem quid de iure sentiatur, subscriptionibus explorare superfluum est. Ubi enim nulla circa fidem dissensio, ibi nulla formularum fidei utilitas. Atqui nullae sunt hodie circa ius in formula sancitum dissensiones; siquidem nemo ab octoginta annis, quinque propositionum damnationi obstitit aut subscribere detrectavit. Aliunde Ecclesia haereticos quidem vel de haeresi suspectos ad subscribendum suis definitionibus, compellere consuevit, verum ab omnibus Catholicis, Clericis, Doctoribus, Beneficiatis, subscriptiones exigere, ubi de fide nulla dissensio est, res est ante haec tempora prorsus inaudita. Hinc Bellarminus in iudicio de libro Concordiae Lutheranorum reprehendit quod illius subscriptio omnibus imperata fuisset. „ Quorsum, inquit, attinebat ut omnes Ministri, Concionatores, Ludimagistri, „ Hypodidascali subscriberent? Certe non potest exemplum ullum „ huiusmodi subscriptionum in negotio fidei, ab antiquitate peti. „ Siquidem ab Apostolicis temporibus per annos mille quingentos, „ in omnibus Conciliis, tam Generalibus quam Nationalibus, aut „ Provincialibus, soli Praelati, qui iurisdictionem aliquam habent, „ subscribere consueverunt “.

Aliunde si ideo tantum subscriptio exigitur, ut singulorum fides innotescat, repudiari non debet iuris & facti distinctio; cum facti confessio ad probandam fidem minime inserviat.

2.° Superfluum, immo noxium est, subscriptiones exigere, ut constet, eum, qui subscribit, assentiri facto Iansenii. Si enim insolitum est, in ipso fidei negotio, subscriptionem omnibus promiscue imperare, ut modo aiebat Bellarminus, quanto magis ubi agitur de

facto controverso, & a fide alieno? Quid enimvero Iansenii factum Ecclesiae, quid Religionis ac fidei intereft, modo dogma in tuto fit? Aliunde falso supponeretur per subscriptionem innotescere quid quisque de facto Iansenii sentiat; cum non pauci subscribant qui illud non credunt, aut non firmiter credunt. Nulla ergo subscriptionum utilitas assignari potest.

Verum quis enumeret quanta mala ex subscriptionum lege pullulaverint, & in dies pullulent? Turbatur Ecclesiae pax; infirmi scrupulis cruciantur; plurimi ut Sacros Ordines vel Beneficia obtineant, reclamante conscientia subscribunt: quo fit ut, iusto Dei iudicio, fideles eis commissi parum aut nihil proficiant. Cuduntur in dies nova systemata, veritati & sinceritati adversa; panditur ostium iudiciis temerariis contra viros probos & catholicos; haereticis praetextus subministratur Ecclesiam calumniandi in eiusque sinum non redeundi, Sponsa Christi irreligiosorum ludibrio exponitur; Sacerdotes doctissimi saluti animarum inutiles redduntur, & a fidelium regimine caeterisque officiis pelluntur. Unde magnopere metuere debent Episcopi, ne puram & simplicem Formulae subscriptionem ab omnibus exigendo, potestate a Christo sibi credita abutantur *in destructionem & non in aedificationem*, & meditari haec verba Proverb. 24. 15. *Ne insidieris & quaeras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius.*

Enimvero si fidei pietatisque zelo utuntur, cur eum inprimis non exerunt contra innumera opinionum monstra, quae miserrima haec aetas quotidie parit? Cur contra periculosa doctrinarum fruteta cessat Apostolicus vigor? Cur resecta iterum pullulare sinuntur? Cur Societas infandis morum corruptelis, quales nec apud Ethnicos reperias, omnibus notissima, apud plerosque Episcopos, proh dolor! nihil non potest? Cur suspecti evadunt quicumque illius errores perniciosaque dogmata ut par est exagitant? Quis Ecclesiam veritatemque sincere amans, talia cernendo temperet a lacrymis? Quis aequo animo videat nova & execranda dogmata impune grassari, dum pro facto humano ad fidem bonosque mores non pertinente tanta bella moventur? Vide Arnaldi Epistolam 520. ad D. Duvaucel Tom. 6. pag. 380.

Haec pacis amore, veritatisque studio, non ad cuiusquam Praesulis offensionem, sed si fieri potest ad Ecclesiae utilitatem dicta sint.

FINIS.

INDEX
CAPITUM AC TITULORUM.

F I N I S.